Digitized by Google

7
S-a
17

9
16 MC
6

56
B
14

~~56 C 4~~

Digitized by Google

7-8 a 17

Digitized by Google

Catal. Inscr. C.R. B.6.

MARTYROLOGIVM,

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE VSVI IN SINGVLOS ANNI DIES

Collegij Rom ACCOMMODATVM, Societatis Iesu

AD SANCTISSIMVM PATREM GREGORIVM XIII. PONTIFICEM OPTIMVM. MAXIMVM

Petro Galeſinio, Protonotario Apoſtolico auctore.

NOTATIONES ITEM, multiplici antiquitatis eccleſiaſticæ doctrina cumulatæ, ad omnem totius Martyrologij explicandi rationem ab eodem enucleate conſcriptæ.

Cum Priuilegio Pontificio, et alijs.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
38. 1. 17.

MEDIOLANI,
Apud Pacificum Pontium. M. D. LXXVIII.

B. Sup.



SANCTISSIMO
GREGORIO XIII.
PONT. OPT. MAX.

OB EIVS SVMMAM, VEREQ. PONTIFICIAM
CATHOLICÆ REIP. RESTITVENDÆ
CVRAM

HOS BEATISSIMORVM CHRISTI MARTYRVM FASTOS
E PRISCIS SACRARVM AEDIVM TABVLIS,
TAM LATINIS, QVAM GRAECIS
RESTITVTOS

P. GALESINIVS
PROTONOTARIVS APOSTOLICVS
PERPETVO DICAVIT.

BIBLIOTEC[A] ROMA VITTORIO [EMANUELE]

SANCTISSIMO PATRI,

GREGORIO XIII.

PONTIFICI. OPTIMO. MAXIMO.

P. GALESINIVS

PROTONOTARIVS APOSTOLICVS

S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VBI primum, Pater ſanctiſsime, Franciſci Alciati, Cardinalis ampliſsimi, rogatu protonotarium me creauiſti: næ ego ſane iſto ſanctitatis tuæ beneficio erga me ſingulari excitatus, in eam plane deliberationem ueni, ut martyrologij ſcriptionem, quam muneris, mihi delati, rationibus optime conuenire intelligebam, tanto ſuſciperem ſtudio, quantum certè maximum depoſcere res ipſa uidebatur. Sunt enim ſanctorum martyrum, in quorum laudibus perpetuus eſt catholicæ Eccleſiæ curſus, dimicationes, pugnæ, et actiones, pro Chriſti IESV gloria, proq. fidei propugnatione fortiter ſuſceptæ, amplæ illæ quidem, diuinæ, atque immortales. Quare cùm multa primum ab hoc ſcribendi genere me ualde deducere poterant; tum illud deterrebat maximè, quòd res eorum omnes præclare, diuinitusq. geſtas, ſempiterna gloria celebratas, et ad poſteritatem monu-

mentis

mentis eccleſiaſticorum annalium, tàm latinorũ, quàm græcorum proditas, hoc tempore ęgregię exponere, opus eſſe ſentiebã, quamuis in omnes partes utile, atque adeo neceſſariũ, at certe tum magnopere arduum, tum explicatu difficile omnino. Iam uero illi, CHRISTI regni teſtes præclari, et ad diuinam uirtutem eruditi, et ad omnium rerum humanarum deſpicientiam inſtructi, et præ CHRISTI deſiderio ad omne certamen expediti, tamquam inuicti heroes, in maximo acerbiſsimarum oppugnationum impetu, nihil crudele, nihil atrox, nihil omni diritate, atque immanitate teterrimum fuit, quod non fortiter, conſtantiſsimeq; pertulerint ſumma cum fidei teſtificatione, inuictaq. ueræ pietatis defenſione. Hoc namque porrò moliebantur, hoc infenſiſsimo, et gladiatorio quodam animo pugnabant importuni illi hoſtes nomini, populoq. Chriſtiano, ut excinderetur, labefactaretur, conuelleretur radicitus uis religionis noſtræ: quæ diuinis exculta ornamentis, et cæleſtibus munita præſidiis, omnes terrarum partes ingenti admodũ celeritate, apoſtolis ducibus, iam peruagata, in hominum mentibus, animisq. mirum, et planę incredibile ſtudium excitarat ſui. Quo factum eſt, Dei in primis munere, donoq. ut qui homines antea nec legibus, neque inſtitutis, neque ratione, aut oratione, ab flagitiis, impiæq. uitæ uſu abduci potuerant; ij profecto ipſi, cum diuinum illũ no-

ſtræ fidei ornatum, atq. explicatam Chriſtianarum uirtutũ ſupellectilem cernerent; tanto, tamq. mirifico ſplendore incenſi, dementis ſuperſtitionis ementito cultu abiecto, ac repudiata impure uiuendi conſuetudine inueterata, ardenter amplexi ſint ſanctiſſimam CHRISTI optimi, maximi religionem. Cum igitur, uel naſcentis euangelij initio, clariſſima religionis Chriſtianæ diſciplina quotidie magis atque magis ubique ferè gentium colluceret; cumq. infinita hominum multitudo ad eam capeſcendam ſponte ultroq. accederet: uix, ac ne uix quidem animo, et cogitatione poſſunt comprehendi; ne dum luculenter uel dici, uel conſcribi uariæ illæ, multiplices, planeq. turbulentæ tempeſtates contra noſtros per eos commotæ, quorum animi, & contaminati ſpiritus, deorum commentitiorum cultu, ac barbara ſuperſtitione deuincti, auida impie agendi libidine, atq. inflammato quodam furore præcipites, effrenate incitabantur ad rei noſtræ interitum. Eam ob cauſam, illis temporibus, grauiſſima et funeſta edicta contra chriſtianæ religionis cultores in omni terrarum orbe proponuntur: noua inauditaq. cruciamenta, & ſupplicia excogitantur. Nec uero ſolum res crudeliter, truculenteq. acta eſt per Imperatores, a fide CHRISTI auerſos, ſed longe teterrime per prouinciarum præſides: qui ſæpe illis omni nequitia, impietate, et immanitate deteriores, nullum aut crudelitatis, aut

carnificinæ exemplum, nullumq. horrifici belli, atque omni odio imbuti, genus contra eos prætermiſerunt, qui Chriſtiani et dici, et eſſe uoluerunt. Immo iſtorum furoribus quaſi tribunitijs concitata aliquando hominum multitudo, prauitatis erroribus implicita, nihil non attigit, nihil non egit, ut, concurſationibus factis, in omni Europa, Aſia, et Africa relinquerentur ueſtigia cædis Chriſtianorum, pro fide concertantium, editæ. At uerò ut iſti omnes, quos non modò impietas, uerum impietatis fama tantopere delectauit, omni uel inſidiarum, uel expugnationum genere in rei noſtræ perniciem incumbuerunt maxime: ita ſplendidiſsimũ factum eſt, ſempiterniſq. ætatum ſęculis florentisſimum fidei chriſtianæ nomen. Etenim martyrum, per quos defenſa eſt, propugnata, atque adeo propagata CHRISTI religio, cum innumerabilis, planeq. infinita copia eſt, digna ſane reip. chriſtianæ gloria; tum uirtus etiam, theatralibus gentium populorumq. conſeſſibus ſpectata, incredibili claritate elucet in omni ſummo certamine. Eſt porrò altiſſimis defixa pietatis radicibus, chriſtiana illorum uis; nec propterea unquam concuſſa ſuppliciorum ictibus, neque de gradu ſuo depulſa ullis aut machinis, aut ueteratorijs fraudibus: uerum quò grauius oppugnata, hòc firmius roborata, atque diuino in primis auxilio confirmata, exultantem aduerſariorum furorem contudit, contumaciam refutauit,

auda-

audaciam fregit, uicit, ſuperauit. Sed in hac quidem tanta, tamq. illuſtri militum Chriſti fortitudine, tamq. luculentis eorundem teſtimonijs, quibus fidei noſtræ doctrina ſplendeſcit, eſt illud et cum pietate coniunctum, et ad eccleſiæ Dei amplitudinem inſigne, et martyrologij, quod ſcribimus, uſui accommodatum, non ſtrictim attingere, ſed paulò explicatius hoc loco præfari eorum cruciatus, dimicationeſq. ſtrenue pro fide ſuſceptas, egregias illas quidem, et omni profectò laude, prædicatione, litteris, monimentis decorandas. Promulgatis igitur per Cæſares, nomini populoq. Chriſtiano aduerſarios, tyrannicis edictis, quaſi uexillis abſcindendæ religionis noſtræ ſublatis; quid illi ſatellitum, et miniſtrorum impietatis diſtricti gladij agebant? quorum latera mucrones illi petebant, acie ubique contra noſtros inſtructa? quæ mens? qui ſenſus armorum ſuorum? quæ manus, oculi, ardores animorum? quid cupiebant? quid optabant? hoc maxime unum, nempe omnis populi Chriſtiani internecionem. Quid porrò minitabantur? quid loquebantur litteræ? quid in æs inciſæ tabulæ? plagas ſcilicet, uerbera, proſcriptiones, uincula, uncos, exilia, cruces, flammam, necem acerbiſsimam, aliaq. horrenda ſupplicia. Verum enimuero diuini illi uiri, quibus nihil æque optabile erat, atque pro Deo, religione, operibuſq. euangelij uitam in ſummis totius corporis cruciamentis

mentis amittere, neglectis naturæ uinculis, quæ tandem tormenta, quas iniurias, quæ pericula capitis conſtantiſsime non ſubibant? Primum religionis accuſati, omni barbara immanitate cum comprehenderentur; tum in iudicium perducti, tractabantur iniurioſius, atque adeo crudelius. Nam rebus omnibus ad uitæ iucunditatem propoſitis; quoniam ab fide Chriſti auocari, ea ſanè ratione nuſquam poſſent; torquebantur omnibus pœnarum acerbitatibus, irato atque iniquo iudice uſi: itaque ſæpe in tetrum carcerem detruſi, aut in cauernas tenebricoſas abrepti, ſame, ſiti, frigore enecti ſunt: ſæpeq. ſitu, ſquallore, et intollerabili pedoris fœditate confecti. Plagæ præterea quàm ualde acerbæ? quamq. admodum grauia uerbera, atque vulnera? ſunt uirgis cæſi, ſuſtibus fracti; plumbatis contuſi, ferreis afflictati uectibus, teſtarum fragmentis cruciati, nouacula toto corpore dilacerati, ſagittis vulnerati, præacutis percuſsi calamis, ſtylis ferreis confoſsi, pugionibus punctim transfixi, ferro acuto in ſcapulis uerberati, humi uero ſtrati, uſque ad necem loris bubulis operti, et omni denique uerberatione horribiliter, uarieq. ita affecti, ut uibicum cruore undique perfuſi, inteſtina etiam haberent, quæ, diſsipatis uiſceratim membris, difluerent. Faces autem cruciatuum admotæ, quàm ardentes? quàm præcipiti furore inflammatæ? indicant plane omnium martyro-

tyro-

tyrologiorũ tabulæ et latinæ, et grecæ, omniumq. penè eccleſiarum litteræ: e quibus perſpicimus beatos martyres pro religionis defenſione, quam enixe ſuſceperant, candentibus laminis uſtulari; igne coqui; ignitis perſodi ſubulis; in prunis cinereq. uolutari; funalibus accenſis ſemiuſtulari; ſuccenſis ignibus torrefieri; fumo caliginis torqueri; capite demiſſo in ollam feruentis picis, ſulphuris, et olei conijci; nudis pedibus carbones inflammatos terere cogi; plumbo in os infuſo excruciari; feruida adipe fœde delibutos confici; in tauri ſimulacrum incluſos, igne ſubiecto, torreri; carbone ſuccenſo craticulæ imponi; ferreo in lecto, prunis ſtrato, collocari; ignitis cauterijs ſenſim cremari. Atqui alia etiam longe plura cruciamenta ſunt, quibus illos uarie tortos, crudeliter necatos, teterrime contrucidatos cernimus. Quoties enim, et quot excarnificatos unguibus ferreis? ſuſpenſos equuleo? pectinibus dilaceratos? in cataxta extenſos? toto corpore luxatos? et ad ſupplicium huc atque illuc pertractos uidemus? quot uſque ad oſſa ſpectamus ſcalpris laniatos? piſtillis confractos? et in pila mortario contuſos? Innumerabiles ſanè uerò ſunt, quos primum abſciſſa lingua, erutis oculis, ore lapidibus confracto, contuſis cruribus et brachijs, capite clauis confoſſo, præciſis extremis manibus et pedibus, abraſo ſupercilio, luxatis membrorum articulis, deinde camelis, aut aſi-

 nis

nis impoſitos, per urbem uectos legimus. Alij porrò humi pręfixis clauis uolutati; alij in caueam querneam, undique perforatam, concluſi, et per ſingula foramina vulneribus affecti; alij in ſportulam, iuncis contextam, impoſiti, melle et iuſculo perfuſi, apum veſparumq. morſibus exeſi; plerique pedibus ſublimibus ſuſpenſi; aliqui ſumma hyeme nudi per difficiles, ancipiteſq. locos indomitis equis raptati; nonnulli palmis duabus, in unum immani uirium contentione contortis, alligati; præciſis repente uinculis diſcerpti, ac diuuſi; alij calceis, ferro acuto undique confixis, induti, hac atque illac circumcurſare coacti; multi item e ſublimi loco pendentes, inde in terram prolapſi, defixis de induſtria clauis præacutis confoſsi dicuntur. Quò prætereа uehementius ſanguinolenta rabie fidei hoſtes in nomen Chriſtianum exarſerant; hòc truculentius egregij religionis noſtræ cultores, omnibus fluctibus furoris eorum obiecti, necantur. itaque uinculis, uerberibus, atque omni ſupplicio excruciati, demum ſecuri feriuntur, in crucem aguntur, lapidibus obruuntur, ſerra medij diſſecantur, culeo cum ſerpentibus inſuti demerguntur, ſaxo ad collum appenſo, aut anchora, præcipites in mare proijciuntur, immanibus clauis configuntur, detracta toto corpore pelle iugulantur, epoto ueneno conſumuntur, et conficiuntur. His porrò, atque alijs innumeris, et illis quidem longe

acer-

acerbiſsimis ſupplicijs noſtri numquam perterreſacti, non modò a periculis non refugerunt, ſed ſanctiſſimo religionis tuendæ fœdere coniuncti, ſponte ultroq. ſumma animorum conſenſione ſe ſe illis obiecerunt. Quinetiam ſummæ lætitiæ præclaram ſignificationem legimus, eos attuliſſe ad omne capitis diſcrimen pro fide ſubeundum. Sin autem, quod crebro admodum eueniſſe litteris proditum eſt, tortores, atque adeo tormenta deficerent: ij tamen diuturno cruciatu nec fracti, neque debilitati, ſed cœleſti quodam fonte aquæ uitalis, quaſi e Chriſti latere profluentis, aſperſi, ac roborati, animis, mirandum in modum confirmatis, et renouatis, ingenti gaudio ad eadem ſupplicia, aut ad alia atrociora redibant. Neque eſt neceſſe, Stephanos, Cyprianos, Cornelios, Laurentios, Sebaſtianos, Mauritios, Gordianos, diuinoſq. eius ordinis uiros, omni Chriſtianæ uirtutis genere præſtantiſſimos enumerare: cum noſtræ gentis etiam pueri, peneq. infantes, et uirgines innumerabiles ſumma cum uoluptate pertulerint omnes omnium ſuppliciorum inauditas crudelitates. Atque hæ quidem eò ſane immaniores extiterunt, quo maius per nefarios hereticos, quorũ maximæ illis temporibus cohortes fuerant, belli, atque oppugnationis incendium contra eccleſiam Dei excitatum eſt. cum enim ij, perditiſſimi rei Chriſtianæ helluones, ſe Chriſtianos eſſe mentirentur, publicum illud et

Principum, et gentium, a noſtra religione abhorrentium, aduerſus noſtros odium, omni ſcelerum, flagitiorumq. genere inflammabant. Et uero ſi auguſtalibus interdum legibus cautum eſt, ut non male, neque inique Chriſtianis fieret; nihilominus tamen et crudelius, et iniquius multo contra illos actum eſt: nullaq. principum edicta, uel reſcripta, uehementius ſpreta, contemptaq. ſunt, quàm ea, quibus Chriſtiani adiuuari, atque ſubleuari uidebantur. Adriani, et Antonini, Cæſarum, qui hominum, fidem Chriſtianam colentium, cauſæ aliquando cauerunt, reſcriptis ſatis illorum incolumitati conſultum putabatur: at illis ipſis, qui noſtris æquiores ſe præbuerunt, imperantibus, quàm grauia, quàm horribilia, quàm inaudita ſupplicia ubique terrarum, in Gallia præſertim, de illis crebrò ſumpta ſint, eccleſiaſtici teſtantur annales, eccleſiaſticæq. epiſtolæ. Atqui ſæua porrò tempeſtas, contra noſtros commota, non illa quidem breuis, ſed plane diuturna fuit, nempe trecentorum annorum, et certè amplius. Primò enim Hieroſolymæ, poſt Chriſti Domini in cœlos aſcenſum, a Iudæis, quorum frequens Synagoga Chriſtiani nominis odio ſempiterno exarſit, lapidibus Stephanus obruitur: tum ab Herode, qui, ut alij duo, qui pręceſſerant, itidem noſtros acerbiſſime oderat, capitis Iacobus, frater Ioannis damnatur: in carcerem Petrus, Apoſtolorum princeps, truditur.

tur.

tur. Romæ verò etſi Pilati litteris Tiberius Cæſar clementior aliquanto factus erat: Senatus tamen conſulto ex urbe Chriſtiani homines pelluntur. Succesſit Tiberio Caius, impietatis amans, et bonorum omnium hoſtis: qui, morte ſublatus, non potuit contra noſtros euomere virus acerbitatis ſuæ. At immanisſimus paricida Nero quid non egit? quid non attigit? nam tanta ſanè quidem iſtius ſæuisſimæ belluæ rabies interdum aduerſus Chriſtianæ fidei cultores excitata eſt, ut ferarum pellibus eos intectos, fœdisſimo ludibrio exponi, aut cruci affigi, aut, ſi dies tormentis defeciſſet, ad vſum nocturni luminis eoſdem inflammari iuſſerit. Domitianus item, qui barbara immanitate Neronem forte ſuperauit, non modò iniquius, verùm etiam apertius contra noſtros decreuit, atque egit. Traiano autem Imperatore, quanquam lege eius cautum fuit, inquirendos ſcilicet Chriſtianos non eſſe, ſed delatos puniri debere; uſque adeò tamen impie res per legatos acta eſt, ut uel infenſisſime oppugnatæ etiam ſint ſacræ martyrum reliquiæ. Atqui Adrianus deinceps multis reſcriptis cauſam religionis noſtræ defendit; iuſſitq. in primis nihil quicquam noui contra Chriſtianos decerni: ſed non minor tamen, quàm antea, exarſit oppugnatio. Cum autem in Aſia noſtri deinde crudeliter uexarentur: Adriani benignitatem ſecutus T. Antoninus Pius, qui ſucceſſerat, non

modo

modo opem illis tulit, ſuccurritq. eorum bonis; uerum etiam omnes, qui ubique locorum Chriſti fidem colerent, beneficiis, quibus Adrianus illos affecerat, auctos, atq. ornatos eſſe uoluit: at nihil tamen profuit. immo uerò, eccleſia uehementius oppugnata, longe plures ad martyrium perducti ſunt, ut ex cleri et Lugdunenſis, et Smyrnenſis litteris perſpicue animaduertimus. Fuit porrò Alexander Seuerus Mammæus animo, a Chriſtianis non alieno: in conſilium tamen adhibuit infenſiſſimos aduerſarios fidei noſtræ: in quibus unus potiſſimum erat Domitius Vlpianus, iuriſconſultorum, ut uocant, coriphæus: qui uetera impiorum principum, Neronis, Domitiani, aliorumq. reſcripta proconſulibus prouinciarum edidit, ut ex ijs illi ſuum in Chriſtianorum cæde officium æſtimarent. Factum eſt igitur, ut, eo etiam imperante, cum Romæ, tum in prouincijs multa Chriſtianorum millia, prò Chriſti gloria dimicando, cæderentur: et ubique terror, minæ, ſupplicia, cruciamenta, carcer, catalſtæ, equulei, ungulæ, et omnia omnium tormentorum genera, vt in alijs acerbiſſimarum oppugnationum tempeſtatibus, contra noſtros adhiberentur. Sed, Alexandro Seuero mortuo, crudelior longe immanitas erupit. Maximinus enim, furenter ſeſe effudit in omni ſæuitia contra epiſcopos præſertim, et ſacerdotes: uerùm breui potitus imperiò, curſum

non

non confecit nefarij ſui conatus. Philippus uerò Cæſar,qui et ſi Chriſtianæ religioni nomen palàm dediſſe, eccleſiæq. ſuos faſces ſummiſiſſe dicitur: auguſtalis tamen maieſtatis imperio nunquam uſus eſt ad noſtrorum defenſionem. At ei Decius cum ſucceſſerit, implacabili furore elatus, præ odio,quo uehementi contra illum,pietatis Chriſtianæ colentem,exarſerat,acerbiſſime contra noſtros ſe geſſit. quamobrem toto terrarum orbe ſtragem illorum, longe maximam edidit ſumma cum teſtificatione teterrimæ crudelitatis ſuæ: quæ multo grauior, atque in re Chriſtiana importunior extitit; cum carnificinæ ſuæ ſatellites, miniſtroſq. habuerit in primis iniquiſſimos, et urbis præfectos, et prouinciarum præſides, Datianum, Quintianum, Promotum, Gallum, Valerianum, cæteraq. id generis portenta. Iam uerò Galienus Auguſtus, ſuperiorum tyrannorum, qui ſuæ aduerſus Chriſtianos immanitatis pœnas dederunt, exemplis deterritus, aliqua moderatione uti cœpit: edictumq. de cœmeterijs recuperandis propoſuit: atque illius quidem exequendi curam Aurelio Cyrenio delegauit: qui Chriſtianorum cauſa nihil fecit tamen. Quin etiam Euſebius monachus quoniam Cæſarium Diaconum, et Iulianum presbyterum, martyres, in ſepulturam tradidiſſet, ad martyrium pertrahitur; ac multi præterea fidei accuſati, uarie excruciati, capitis damnantur. Quæ ſanè res argu-

mento eſt, cùm illius edictum inane fuiſſe; tum oppugnationem, contra noſtros ſuſceptam, non plane deſijſſe. Verum ſi intollerabilia, et auditu etiam horribilia uidentur, quæ Nero, reliquiq. fidei hoſtes egerunt: certè ferà immanitate illos omnes ſuperauit unus Diocletianus, ex omni impietatis colluuione conglutinatus. Is rem Chriſtianam infeſtiſſimo animo decem ipſos annos oppugnauit: qua oppugnatione ut nulla alia diuturnior fuit; ſic longe cæteris omnibus ea immanior. Iuſſit iſte; homines Chriſtianos metu non ſolum, ac terrore ad idolorum cultum induci; ſed etiam ad aram pertractos, per uim adigi; eccleſias præterea ubique euerti; libros inflammari; rerum ſacrarum monimenta conuelli: Epiſcopos, et Sacerdotes contrucidari; omnes denique cuiuſuis ordinis, ætatis, conditionis, et loci homines, qui idola colere recuſarent, omni internecione occidi. Quo factum eſt, ut, præter eos, qui partim in inſulas relegati, partem ad metalla damnati ſunt, ſeptem et decem millia hominum Chriſtianorum diuerſis in prouincijs extiterint, qui triginta dierum ſpatio martyrium obierint. Immò uno die tantum, qui dies fuit Natalis Chriſti Domini, uiginti millia pro fide incendio combuſta ſunt: urbes uerò, et oppida, ſæpe tota, quia in fide permanerent, inflammata animaduertimus iuſſu tyranni iſtius; Deo bellum indicentis. Leges præterea quàm funeſtæ, ab eodem

dem promulgatæ contra noſtros, tamquam perduellionis reos? edicta item quàm dura? quàm iniqua? quàm impia? conuicio, omniq; maledictorum genere ſacroſancta uiolabatur religio: omnibus uerò, quales quales eſſent, qui ab illius cultu deſciſcerent, præmia proponebantur ampliſſima: Rurſus ſupplicia ecquæ tandem? inaudita quidem, atque adeo eiuſmodi, ut non eſſet certe aliquid ultra, quò progredi illius crudelitas poſſet. At uerò quaſi iſte unus non ſatis eſſet, qui rem Chriſtianam tam uehementer undique perturbaret; imperij, atque impietatis ſocius ei adiungitur Herculius Maximianus, homo tum immanitate barbarus, tum natus, et inſtructus ad omne uel audax facinus. Itaque toto terrarum orbe uis, noſtris inimica, excitatur; pericula, et inſidiæ intenduntur; cruciamenta ſtatuuntur; nihilq. non agitur, ut diuinæ religionis monimenta, ac ueſtigia, ad inſignem diuinorum beneficiorum memoriam impreſſa, in poſterum nulla remaneant; et omnia denique rei Chriſtianæ ornamenta concidant, et obliuionis tenebris obruantur. Huc profectò cum Maximiani conatus omnis ſpectaret, tum Diocletiani etiam: qui præ odio nominis Chriſtiani, ut Paſſionis Dominicæ, ad quam temporum, ætatumq. ſupputatio referebatur, epocham, præter cetera deleret, a regni ſui principio annos numerari iuſſit. Omni igitur ope, ſummaq; contentione, trecentis

iam ipſis annis, cum populi Chriſtiani, religioniſq. interitū Principes impij teterrime machinarentur, ad rem nefariam, quam totis uiribus moliebantur, nō ſolum imperij ſui amplitudine uſi ſunt, uerum etiam peruerſitatę hæreticorum hominum: qui ſingulis eccleſiæ ætatibus, iam inde ab initio, obſtinate operam dederunt, ut hæreſum ſuarum commentis, quaſi uenenatis telis, res noſtras et inficerent, et labefactarent. Vix enim primùm ab imperatorum contaminata omni ſcelere ſuperſtitione contra eccleſiam exorta eſt belli tempeſtas; cum procellas, fluctuſq. maximos etiam commouerunt ueritatis catholicæ hoſtes, Menander, Saturninus, Baſilides, Ebio, Carpocrates, Cerinthus; quos non longo interuallo ſecuti alij ſunt, auctores, duceſq. ſeditionum, Valentinus, Ptolomæus, Heraclio, Secundus, et Marcus quidam: poſt hos Baſſus, Cerdo, Marcio, eiuſq. diſcipulus Apelles. Ac poſtea quidem aliquanto, cum Decius ſcilicet res Chriſtianorum opibus imperij ardenter, et obnixe oppugnare aggreditur; eo circiter tempore derepente oboritur hæreſum aliarum incendium: quod ſanè uehemens admodum fecerunt Cataphryges, Montani, Priſcillianiſtæ, et deinceps Sabelliani, Praxeani, Antrhopomorphitæ, Floriani, Chiliaſtæ, Samoſateni, Photiniani, Manichæi, et reliqui impiarum ſectarum homines. At demum tot poſt ſæculis, Dei munere et beneficio ſedatis hoſtium

moti-

motibus, reſtinctiſq. hæreſibus, cùm populus Chriſtianus, Conſtantino Magno Imperatore, pace et tranquillitate uteretur; ecce hæreſis Arianæ ſcintilla, quæ licet aliquando compreſſa, exarſit tamen poſt illius religioſiſsimi Principis obitum illico in omnibus terrarum partibus: nec breui extincta eſt. Face igitur impietatis huius accenſa, imperatorumq. aliquot, Arianæ ſectæ ſtudioſorum, furore uehementius excitata, nihil tam immane fuit, atque adeo horrendum, quod ſumma animi chriſtiani uirtute non pertulerint fidei catholicæ defenſores. Roma in exilium pellitur Liberius Pont. Max. Felix, qui ſucceſſerat, necatur. Pictauis in Gallia Hilarius, et in Italia Vercellis Euſebius, Mediolani Dionyſius, et Treueris in Germania Paulinus, Euſtachius, innumerabileſq. in omni prouincia Epiſcopi, è ſedibus ſuis eijciuntur. Athanaſius autem Alexandrinus, orthodoxæ religionis propugnator acerrimus, dementiæ Arianæ fluctibus quoties agitatus? quid non perpeſſus? uerum multis opus non eſt; ubique ſanè gentium omnis carcer completur Epiſcopis, et ſacerdotibus, rectæ fidei doctrinam defendentibus: templa euertuntur, altaria diſturbantur, et omnia plena cruoris catholicorum. Ne quid uerò ad impietatis neruos, roburq. deeſſet; Seleuciæ, Iſauriæ, Arimini, Mediolani, alijſq. in oppidis factioſiſſimæ coguntur Synodi: quibus per uim ac fraudem

dam-

damnata catholica, apoſtolicaq. fide, optimi quique epiſcopi, et doctisſimi quique uiri, recte ſentientes, exilio, aut certè morte mulctantur. In Africa rurſus Donatiſtæ hæretici turbulentas ſeditiones, et motus maximos concitarunt; cædesq. præterea indignisſimas aliquando fecerunt, ſuis uſi circumcellionibus: qui dementisſima temeritate præcipites, impietatisq. furore elati, ſacra Dei templa omni occidione polluerunt: libros diuinarum litterarum, uolumina eccleſiaſtica, eccleſiaſticamq. ſupellectilem, et catholicorum baſilicas inflammarunt. Sed en aliud bellum in Perſia, Iudæorũ perfidia contra noſtros conflatum. Saporius enim rex, utpote homo barbarus, ac plane ferus, cùm per ſe ſatis odio aduerſus chriſtianos incenſus, tum ad id incitatior factus a Iudæis, qui præ inuidia religioni chriſtianæ infenſi eſſe ſolent, commolitur omnem machinam ad labefactandum, et euertendum caſtisſimum pietatis diuinæ cultum. Primò tributa grauia, et ualde immoderata noſtris imponit: deinde publicanos certos ſtatuit, qui, pecuniæ auidi, atque appetentes, acerbisſime ea exigant; ut et horum acerbitate, et nummorum difficultate coacti, Chriſti Ieſu fidem deſererent. Poſt, cum id à ſe fruſtra tentari uideret, ad immanitatem longius progreſſus, epiſcopos, et ſacerdotes contrucidari, eccleſias dirui, earumque theſauros, auguſtisſimaque monimenta in publicum proferri

iubet.

iubet. Neque ſane tanta nequitia contentus, ad ſuæ crudelitatis cumulum miros cruciandi modos adiunxit. cumq. primò ſolos fidei doctores necari uoluerit; demum ad hoc dementiæ uenit, ut omnes, qui ſe christianos eſſe profiterentur, uarie excruciatos, capite demum plecti edixerit. Nota uerò eſt, ac peruulgata in omnibus prouincijs crudelitas immanis, et importuna Iuliani, uel Idoliani potius: qui, mortuo Conſtantio, imperator creatus, capitali odio contra chriſtianos accenſus, depoſita clementia, quam adoleſcens induerat, cum indies uehementius fureret, omnibus modis illos oppugnauit. Quò igitur facilius rem chriſtianã euerteret; Iudæos primò contra noſtros concitauit: tum epiſcopos inter ſe commiſit, admirabiliq. uafritie bellum inter eos ciuile, atque inteſtinum conflauit: poſt, bonarum artium ſtudijs uniuerſo populo chriſtiano interdixit. nec uerò ipſe tantum horrendis ſuppliciorum generibus fidei cultores excruciauit; uerum etiam prouinciarum præfectos, quos omnia barbaræ immanitatis exempla contra noſtros edere cognoſceret, nõ modò nulla pœna coercuit; ſed ampliſſimis honoribus, dignitatibusq. ornauit. Factũ ergo eſt, ut illi grauius, atque adeo tetrius, quàm unquam antea factum ſit, noſtros affliggerent. Nec uerò eſt, cur pluribus ſcribatur iſtius nefaria impietas; præſertim cum eius et uita, inique acta, et deteſtabilis à fide defectio,

et om-

et omnis contra populum chriſtianum pugna, duabus Gregorij Nazianzeni præclaris concionibus exponatur uberrime. Extincto miſere autem Iuliano, data eſt eccleſiæ pax, ad breue quidem tempus; quippe cum paulò poſt ſæui extiterint turbines à Valente Imperatore: qui ſectæ Arianæ furore inflāmatus, catholicos uarie, uehementerq. exagitauit. Is porrò, lege contra illos lata, neque Themiſtij philoſophi graui oratione commotus, nec Valentiniani fratris maximis reprehenſionibus et acerbisſimis à propoſito deterritus, rem eò deduxit, ut, cum Gothos, barbarum, immanisſimumq. hominum genus, impietatis Arianæ labe, qua ipſe plane inquinatus erat, infici maxime et uoluerit; et ſtuduerit; illud optimo iure, ac merito affirmare liceat, grauisſima quæque detrimenta fuiſſe per illum catholicis importata. Gothi enim, duce, atque adeo rege Halarico, in omnes penè terras fuſi, ac diſperſi, non eſt facile explicatu, quot, et quantis miſerijs cruciatibusq. diuexarint illas nationes, quæ illum pietatis plenisſimū, rectæ fidei cultum, tuerentur. Eademq. amentia accenſi Vandali, ſummo atrocitatis ardore, irrumpunt in Hiſpanias, et Africam: omnia diuina, et humana permiſcent: Epiſcopis, et ſacerdotibus manus uiolentas afferunt: ſanctorum martyrum baſilicas diripiunt: ſacros libros exurunt: ſacris palliis, et ueſtibus ſibi ueſtimenta conficiunt: cuncta denique complent

cæde,

cæde, ac ſtrage. Sed aliæ item gentes, et illæ quidem ſceleris etiam Ariani furijs concitatæ, præcipiteſq. odio nominis catholici, accenſæ quoque omni genere cupiditatis, in alijs multis, quas per uim occuparant, imperij Romani prouincijs nefaria quæque audaciſſime aggrediuntur, quibus peſtem, atque interitum rei catholicæ machinentur. itaque toto pene terrarum orbe, afflictiſſimis illis temporibus cum direpta, uaſtata, diuexata, et inflammata omnia ſint; tùm omnes etiam omnium penè ætatum, generum, locorumq. homines, ſanctæ fidei, diuinæq. religionis colentes, atque in primis ſacerdotes, diaconi, et ceteri clericalis ordinis horribilem in modum torti, in exilium pulſi ſunt, aut necati crudeliter. Iam uerò in Græcia quàm turbulenti motus? et qui tumultus contra eccleſiam? Sed res in promptu eſt, ac enucleate perſcripta ſatis alijs noſtris litteris. Nec uerò prætereunda ſilentio eſſet, ſempiterna illa, et truculenta admodum, ab Arabibus, Mahumetaniſq. in Hiſpania, Cordubæ potiſſimum, commota contra noſtros oppugnatio: ſed ſancti Eulogij martyris, qui omni prope dimicationi interfuit, libris cum fuſius enarretur, nihil iam attinet, hoc loco alia explicare, præter illa, quæ ab eodem ſumpta, in martyrologium noſtrum retulimus. His igitur tam infeſtis, ac omni diritate teterrimis aduerſarijs, perpetua et ardenti contentione reſtitit

*** præcla=

præclara uirtus; atque eximia pietas martyrum, et uirorum ſanctorum: à quibus et pro fide, et pro religione contra omnes omnium inſidias, uim, tela, furorem, calliditatem, et falſas maleq. cohærentes rationes ſuſcepta eſt omnis dimicatio. Atque ea quidem conſtantiſſime ita ſuſcepta eſt, ut iam tot ſæculis, ingenti armorum contentione, omniq. uario et acerrimo conatu oppugnata eccleſia, ope in primis et auxilio Chriſti Ieſu, à quo ædificata eſt, per eos defenſa non ſolum ſit; uerum etiam ornata, aucta, amplificata, atque propagata latius. Hic ſi primò ſpectamus defenſores, et propugnatores; ne cogitatione quidem, ne dum enumeratione percenſere poſſumus infinitam uim innumerabilium uirorum, quos in omni Europa, Aſia, cæteriſq. orbis partibus, perturbatiſſimo quoque rei chriſtianæ tempore Deus excitauit ad pugnas, concertationeſq. pro fide ſubeundas. Plena eſt Africa, inquit Auguſtinus, et referta omnis ubique terrarum prouincia martyribus: neque ferè locus uſquam eſt, ubi aliqua non extent monimenta generoſæ cædis, pro Chriſti gloria tolleratæ. Si uerò curricula intuemur uirtutum, quibus dimicatum eſt; uaria illa quidem ſunt, et multiplicia, per ſanctiſſimæ religionis campum, et per fidei teſtificationem decurſa. neque enim ſolùm admirandæ fortitudinis, ſummæ conſtantiæ, et patientiæ incredibilis ueſtigia in eorum certaminibus,

bus impreſſa uidemus; ſed etiam religionis, inno-
centiæ, integritatis, modeſtiæ, rerum humanarum
deſpicientiæ, piæ liberalitatis, miſericordiæ, iuſti-
tiæ, et reliquarum chriſtianarum uirtutum, ad qua-
rum imitationem ſe contulerant, exempla cerni-
mus; mirifica illa certe, quibus ſæpe inflammata
hominum multitudo, ſecuta eſt eundem uitæ cur-
ſum. Si rurſus, contra quos pugna et ſuſcepta, et
confecta eſt, animaduartimus; hoſtes tam uarij
ſunt, atque tales, quales ſanè narrauimus, nempe
homines, ad omnem crudelitatem excogitandam
acutiſſimi, ad peſſima quæque audenda impuden-
tiſſimi, et ad necem inferendam, perniciemq. acer-
rimi. Quæ ſanè res omnis cum ita ſe ſe profectò
habeat; nemo quiſquam eſt, qui uelit martyrolo-
gij rectam, perfectamq. rationem inire, quin ſen-
tiat, plurimo otio, diligentia ſumma, et exquiſitiſ-
ſima doctrina, peritiæq. uſu maximo opus eſſe ad
illius explicatam ſcriptionem. Cadunt enim in id
quidem genus permulta, quæ difficultatem non
minimam pariunt, primò ſcilicet martyrum et no
mina, et numerus; deinde locus, tempuſq. marty-
rij; pòſt item, admirandæ illorum uirtutes, ac res ge
ſtæ diuinitus, cum ſingulari pietatis defenſione
coniunctæ; tum præterea tetra aduerſariorum, ho-
ſtiumq. qui complures enumerantur, crudelitas,
inaudito uarioq. cruciatuum, et ſuppliciorum ge-
nere oſtentata. Atque nomina quidem eorum

ſunt, non ſolum ſæpe per aliquos pronunciata non recte; uerum etiam aliquando in martyrologiorum tabulas à nonnullis falsò relata. Numerus autem eſt omni ratione plane infinitus, etiam ſi in ſingulos dies quinque millia martyrum, queadmodú pleriſque placet, adſcripſeris: nõ ſumma tamen, recte ſubducta, inde exiſtat eorum plane omnium, qui et ubique gentium, et turbulentiſſimis quibuſque ciuitatis chriſtianæ temporibus, martyrij curſum pro Chriſti gloria confecerunt. De loco etiam ſæpe, in tanta codicum corruptela, itidem ambigitur, ut de tempore, quo martyrium ſubierint, aliqua extat ſcriptorum diſſenſio. At ſanè uerò quotus quiſque eſt, qui dicendi, aut certè ſcribendi copia præſtantiſſimus, ſe ſatis digne pro meritorum ratione commemorare, ne dum celebrare poſſe arbitretur res, quas uiri, eo diuino robore, ijs pietatis radicibus, fidei cauſa egerunt? Næ ij quidem ſunt, qui nec animi, neque corporis laboribus defatigati, nec uerò ui tempeſtatum, neque concurſu cruciamentorum unquam labefactati, atque conuulſi, nihil non firmiſſime, ut narratum eſt, pertulerunt diuinæ religionis nomine. Ij porrò, uita, et moribus, cum euangelij diſciplina congruentes, dum in terris eſſent, ſtuduerũt maxime ferre opem miſeris, præbere perſugium afflictis, tribuere miſericordiam perculſis, beneficijs iuuare quàm plurimos, bene de uniuerſis promereri. Chriſti autem

Ieſu amore illo immenſo flagrantes, toto animo, totaq. mente in religionem defixi, quæcumque in hac uita ſunt, omnia fluxa, caduca, anguſta, mortalia, et tamquam inanitatis pleniſſima contempſerunt, pro nihiloq. putarunt, ea tantum contemplati, quæ diuina ſunt, quæ cœleſtia, quæ ſempiterna. Ac demum in Chriſti ſtadio luctati, grauibus certaminibus, præclare obeundis, cum ſpectacula præbuerint ſummarum uirtutum, quibus idolorum cultui, aditum, Deo iuuante, intercluſerunt; tum præclariſsimum poſteris monimentum reliquerunt ueræ, germanæq. pietatis: quam, aduerſarijs repugnantibus, palàm teſtificati ſunt et cruciatibus, et ſanguine profuſo. quamobrem meritis ornati ampliſſimis, pleni religionis officijs, ſummaq. martyrij laude florentes, iam ea uita æterna perfruuntur, quæ uere uita nominanda eſt. Quanta igitur uis orationis opus eſt ad res eorum geſtas, laudeſq. enucleate perſcribendas? Nec uerò res item faciles ad explicandum ſunt; quas truculenti fidei hoſtes, tam uarias, atque adeò cum omni immani iniuria coniunctas, uel occulte, uel aperte commoliti ſunt: neque præterea funeſta illa arma, quæ ad omnem perniciem perpetuo adhibuerunt, enarrari ſplendide poſſe uidentur. Quamobrem operoſa res eſt, ardua, atque perdifficilis plane, ut propoſui, omnis martyrologij tractatio. Et uerò illud etiam ad cæteras difficultates accedit, quòd, cum

ſcrip-

ſcriptionis huius cura concredita olim fuerit uiris, præſtanti et pietate, et doctrina ornatis, quales notarios illos ſeptem fuiſſe accepimus, quos iam a naſcentis uſque religionis chriſtianæ initio, Pontifices ſanctiſſimi, primum Clemens, deinde Antherus, tum Fabianus, poſt Iulius, demum Vrbanus, rebus beatorum martyrum conſcribendis, alijsq. ſcriptionibus eccleſiaſticis præfecerunt; eorum clariſſimæ lucubrationes, toto illo de genere ad poſteritatem monimentis proditæ, uarijs afflictæ rei chriſtianæ publicæ temporibus, magna ex parte interierunt; cum bibliothecæ dedita opera incenſæ ob eam cauſam ſint, et martyrum tabulæ ab impijs aliquando abreptæ, atque inflammatæ. Vetitum quoque eſt interdum edictis principum, quos à fidei cultu alienos perſecutus equidem ſum; litteris mandari res, quas noſtri pro religione fideq. geſſerint: proinde illud etiam ſæpe euenit, ut de ijs nõnumquam ſcriptio extet plane nulla. Ac porrò item ſi quæ tabulæ de martyribus, uel notariorum, uel aliorum, qui diuine factis eorum, egregijsq. dimicationibus interfuerunt, induſtria recte confectæ uſquam extiterunt; fieri poteſt tamen, ut arte adhibita, et ueteratoria plane quadam, hæreticaq. ſane deprauandi ratione, illas ipſas uel corruperint, uel falſis narrationibus referſerint, qui a ueritate catholica uberrantes, illud obnixe faciunt, ut commenticijs tabulis, et libris nomine aliquo inſigni

confictis,

confictis, atque apocryptis fallant, ac decipiant imperitam multitudinem. Iſtorum certè fraudi, et dolo obuiam itum eſt ſacro canone, quem ſummus pontifex, idemq; ſanctiſsimus Gelaſius in concilio Romano tulit. Erant enim eo tempore ab hæreticis, uel ab alijs fidei chriſtianæ aduerſarijs parum conſcriptæ grauiter, aut aliqua ex parte uitioſe contextæ, aut profectò mendoſæ plane factæ, fictæue potius res martyrum geſtæ: cuiuſmodi res Georgij, Quirici, et Iulittæ illo ipſo pontificio canone cenſentur. Sanctarum præterea, Margaretæ, Barbaræ, ac ſanctorum etiam aliorum res ueræ, fictis quoque, et adumbratis rebus contaminatæ putantur graui, conſtantiq. patrum iudicio. Sed huius loci non eſt, omnes meminiſſe, cum præſertim certis notationibus, martyrologio adiunctis, id præſtare ſtuduerim, ut potui maxime. At mirum profecto non eſt, nec eſſe debet, ſi illi, ut neruos et artus ueritatis catholicæ conciderent, tale quicquam in martyrum geſtis auſi ſunt; cum ſanctorum itē patrum uolumina, utpote Athanaſij, Cyrilli, Auguſtini, cæterorumq. de induſtria mendis inquinarint, ut ex illis, ſic deprauatis, ſubſidium ſibi callide compararent ad tuendos errores ſuos. Sed de hoc ſatis. Venio ad reliqua incommoda, quæ afferre poterant ancipitem difficilemq. curam martyrologij ſcribendi, cum multa alia, præter notariorum monimenta, etiam interciderint, unde magna ad illius

lius

lius ſcriptionis genus adiumenta ſubminiſtrabantur. Primò ubinam faſti illi eccleſiæ, quos municipalibus gentium ſolemnitatibus obiectos olim eſſe, ex antiquiſſimo rei eccleſiaſticæ ſcriptore, Tertulliano accepimus? ubi dypticæ ſanctorum epiſcoporum? neque profectò hodie uſquam ſunt priſcæ illæ tabulæ, quibus et in omni Africa, ut ex Cypriani epiſtolis animaduerti licet, et in omni quoque prouincia, primis illis temporibus, dies notabantur eorum, qui martyrio coronarentur. Libros præterea deſideramus, quos de martyribus Origenem, Apoſtolorum ætati ſupparem, confeciſſe, memoriæ proditum eſt. Peruetus item illud martyrologium, quod, a pontifice Romano, ex Aquileia urbe, ſanctiſſimo cuidam epiſcopo miſſum, Ado Treuerenſis adhibuit, nullum hoc ſane tempore extat. Immò, quod maximi ad martyrologij inſtitutum intererat, perpauci, aut pene nulli inueniuntur codices quæſtionum, quas, per illorum temporum iudices de martyribus modò quodam ſingulari inſtitutas, a forma, quæ iam nunc in iudiciorum uſu poſita eſt, longe diſſimiles, planeq. diuerſas fuiſſe apparet. Ex illis enim ſi minus tota, magna certe conſtat uis, ac ratio, quæ ſub rectam martyrologij ſcriptionem cadit. Næ ego his maximis difficultatibus, ac uarijs quidem ab ſcribēdi martyrologij propoſito reuocari poteram: ſed ualde etiam in primis deterrebar, quòd, cum uiderem, et multos

latinos

latinos homines exquiſita doctrina, ſpectata pietate et religione, ſummoſq. uiros, Prudentium, Iſidorum, Adonem, Vſuardum monachum, Acam epiſcopum, Vigilium diaconum, Florum, Vandalbertum, et græcos etiam, Euſebium Cæſarienſem, Ioannem Damaſcenum, Leontium Cyprium, Simonem Logotheram, ceteroſq. in hoc genere eſſe magna cũ laude uerſatos; mihi ipſe conſcius eram, non poſſe me neque ingenio, nec diligentia, neque aſſiduitate tandem aſſequi, quod aggredi cupiebam, et optabam quidem certe. Verum ſanè, dum in ancipiti deliberatione eſſem, uictus denique in primis beneficij, quo ſanctitas tua me ornauit, magnitudine, non dubitaui ſuſcipere rem tantam, quantam ſanè grauiſſimam, infinitiſq. partibus, vt dixi, difficillimã animo cernebam. Deinde cogitãti mihi opus, quod aggrediebar, quàm neceſſarium, quàm utile, quàm cum Protonotarij munere congruens, uenit in mentem ſubuereri, ne eſſet maius in omittendo deſidiæ crimen, quàm fuit audaciæ in ſuſcipiendo. Accedit etiam cauſa, quæ me, interdum langueſcentem, non parum incitauit. in tanta enim eorum improbitate, qui a fide catholica, catholiciſq. inſtitutis diſſidentes, ore duriſſimo audent hoc tempore nefarijs ſcriptis, impudentiſſimiſq. mẽdacijs ſacras rerum eccleſiaſticarum tabulas, annaleſq. contaminare; cùm perſpicerem per eos tanta improbitate, atque deteſtabili ſcelere lædi, uiolariq. eccleſiæ maieſtatem, egò ſa-

nè, et ſi parum ingenio poſſum, animi tamen ardenti quadam ad bonum publicũ propenſione inflammatus, liberale eſſe putaui, et chriſtiano homini conueniens, ſi quod ſtudium, ullo unquam tempore, in doctrinis eccleſiaſticis poſuiſſem, id omne eo diligentius conferre ad martirologij rationẽ: quam aduerſarij commentitijs argumentis, et confictis opinationibus oppugnare tantopere contendunt. Sed eſt etiam alia, uel iuſtiſſima, quam plurimi facio, cauſa, quamobrem ad hoc opus capeſcendum nõ inuitus acceſſerim. Atque illa quidem eſt, tua ſcilicet iſta egregia, uere pontificia, et GREGORII Pontificis ſanctiſſimi nomine digna, planeq. diuina uoluntas: qua ſanè in omnes præclare agendi partes ipſe excitatus, id impenſe curas, uel elaboras potius, ut rem chriſtianã, ubi amiſſa eſt, recuperes; ubi afflicta, reſtituas. In qua quidem re perficienda quoniam et præſidij, et roboris, et adiumenti plurimum poſitum eſſe iudicaras, ſi Romæ, unde in omnes gentes catholicæ fidei doctrina, et diſciplina diſſeminatur caſtiſſimorum morum, ſeminaria inſtitueres, atque excitares: ubi exterarum gẽtium adoleſcentes alerentur ad ſanctiſſimæ religionis fructus, toto terrarum orbe ferendos. Quare ſeminaria duo, et illa quidem nobiliſſima, per te in urbe iam ſunt non inſtituta ſolum, ſed diligenti etiam ſtudio exculta, unum Germanorum, alterum Græcorum. Vix dici poteſt, Gregori Pontifex, his utriuſq; ſeminarij non ſolum initiis,

 tiis,

tijs, ſed progresſionibus factis, quàm magna, atque pene explorata ſpe ſint boni omnes: qui ſumma, et optima quæque a te potisſimum expectant; cum tuæ cogitationes omnes, et pontificiæ uigiliæ in re christiana bene gerenda, recteq. conſtituenda, atque adeo propaganda latius, conſumãtur. Iam porrò Germania, quæ ab eò uſque tempore, quo primum ferè oborta eſt lux euangelij, fidem christianam ſuſceperat, poſtea partim ad idolorum ſuperſtitionem deſciſcens, partim hæreſis deinceps Arianæ circumfuſa tenebris, ad lucem reuocata eſt uigilãtia illa præclara, et ſingulari Gregorij Tertij, pontificis maximi: et Græcia pariter, Gregorio Decimo Pontifice, Lugduni in frequentisſimo patrum conuentu, ad ſacroſanctæ eccleſiæ catholicæ Romanæ ſocietatem redijt: quam, toties ſanctisſimo concordiæ fœdere cõciliatam, ſæpe itidẽ ante reſciderat. Id plane ipſum cùm de hac, tùm de illa recuperanda ſperare licet, bene iuuãte Deo: qui, exulceratis iam rebus, grauisſimisq. temporibus te Pontificem dedit, et Gregorium Pontificem: de quo communis eſt omnium conſenſus, fore ſcilicet te eum, qui et beneficijs iſtis tuis pontificijs, quæ maxima nationibus, regibusq. confers, et legationibus in omnes partes misſis, et propagatione ſeminariorum, et doctrinarum eccleſiaſticarum ſtudijs excitatis, et ſynodis prouincialibus, per internũcios etiam apoſtolicos, ſtato quoque tempore, in omni prouincia more maiorum coactis, et ubique

conformatis eccleſiaſticæ antiquæ diſciplinæ Romanæ moribus, ueram Dei pietatem diſſeminares in omnes uel diſiunctisſimas gentes. Sunt in Aſia Chriſtiani homines, multis regionibus late diffuſi, vtpote Syri, Armeni, Iacobitæ, et reliqui multi: qui, procul admodum a nobis remoti, atque a nonnullis fidei catholicæ inſtitutis, præceptisq. alieni, quibuſcũ ſi collegij, aut ſeminarij, beneficijq. alicuius apoſtolici, vt cum Græcis, et Germanis, Romæ aliqua initur ratio; ambigendum etiam non eſt, quin, iamdiu aberrantes, in uiam, Dei in primis ope, redeant: id quod et Innocentio Tertio, et Eugenio Quarto, Põtificibus maximis, feciſſe proditum eſt. Sed hic locus me admonet, ut paululum digrediar ad rem, quam in concilio Viennenſi agitatam, ac deliberatam, Clemens Quinctus Pontifex, cum e re chriſtiana publica eſſe cenſuiſſet, decreto perpetuo conſtituit. Res igitur eiuſmodi eſt, et accõmodata egregijs iſtius tui pontificij animi conſilijs, ac diuinis. Flagrabat Clemẽs, pro ſui Apoſtolici muneris cura, deſiderio incredibili religionis in omnes nationes, præſertim à fide auerſas, propagandæ; ad quã rem cõficiendam cum opus eſſe intelligeret interpretatione, et tractatione ſacrarum litterarum; tum rurſus plane etiã uidebat, quod rei chriſtianæ cauſa cupiebat, præſtari facile non poſſe, niſi dono, munereq. cognitionis linguarum. itaque conſtitutionem de magiſtris tulit, qui, non ſolum ubi Pontifex Romanus ſedem, domicilium

liumq. haberet, ſed etiam Bononiæ in Italia, Pariſijs in Gallia, Salamanticæ in Hiſpania, et in Britannia Oxoniæ, linguas docerent, hebræam, arabicam, et chaldæam: vt, hoc etiam comparato adiumento, ad exteras illas gentes euangelij lux dimanaret. Quamobrem, Pater ſanctiſſime, quod præclare de Chriſti regno ſalutariter propagando cogitas, quod de nationum collegijs, ſeminarijsq. egregie agis; eos inde fructus capies, quos uberrimos eccleſiæ cauſa cupis, ſi, quod ipſe omnium optime intelligis, in ijs, ut in accademijs Clemens item Pontifex cenſuit, ſtudia præter cætera excitantur earum linguarum, quæ utiliſſimæ ſunt, ubi homines alienæ linguæ ad fidei catholicæ doctrinam inſtituuntur; uel ubi datur opera, ut euangelium prædicationibus propagetur. Hebræa enim lingua, patrum iudicio, ſancta illa quidē eſt; chaldæa ad miſteria explicāda, utiliter præſtans; at arabica, cum eius uſus late pateat, et ad omnes ſere populos Aſiæ pertineat, prodeſſe multum poteſt ad illā fidei noſtræ propagationem. Quam ob cauſam Honorius Tertius Pontifex, ex ærario publico aliquam pecuniæ uim erogauit in uictum, cultumq. adoleſcentum uiginti, qui, à ſe Pariſios miſſi, arabice perdiſcerent. Eæ igitur uiæ ſunt, eæ rationes: quas ſane optimas ab ſanctiſſimis uiris, Pontificibus Romanis adhibitas olim; ipſe iam iſta tua admirandæ pontificiæ ſollicitudinis conſtantia dum reſtituere ſtudes; ſpem magnam concitas puriſſimæ caſtiſſimæq.

mæq. pietatis, ubique et inſtaurandæ, et amplificandæ. Atque in ijs quidem ipſis, quæ tibi plurima comparaſti, ad eam rem conficiendã præſidiis, illud non in minimis ponendum eſt, quòd antiquorum patrum, quos et græcos, et latinos, eccleſia ſibi pepererat ueritatis patronos, ſcripta, et monimẽta, aut temporum iniuria, aut aduerſariorum ſcelere corrupta, ſapientisſimorum hominum, et grauium uirorum diligenti induſtria corrigi; eademq. cum doctè, tum religioſe emẽdata, et ad priſtinum ueritatis ſplendorem plane reſtituta, Romæ in primis edi, ualde admodum cures; ut in qua urbe primùm ab Apoſtolorum principibus, Petro et Paulo, ſata Dei religio, in omnes terras ſe ſe diffuderat, inde in lucem prodeãt ij patres: qui uirtutum ornamẽtis præditi, adiumentisq. ſacrarum doctrinarum, quaſi diuinis armis, inſtructi, pro rebus noſtris fortisſime dimicarunt. Etſi igitur, ut, unde digreſſus ſum, iam redeã, tantis ego difficultatibus primò deterritus, ab ſcriptione martyrologij deduci facile poteram: tamen et cauſis adductus, quas paulo ante attuli, et tuis iſtis præclaris beneficiis, quæ ad eccleſiæ amplitudinẽ referuntur, incitatus in primis, malui ſuſcipere, quàm omittere rem, quæ omnium iudicio, non modò, ut dixi, utilis et neceſſaria, ſed aliqua ex parte ſanctisſimis conatibus tuis accommodata uidetur. Nam cum ad Græciæ conciliandæ cauſam, omni ſalutari actione, et ſeminarij græci inſtitutione ipſe incumbas; habui eã

in contexēdo martyrologio rationem, ut, quoniam in ceteris martyrologiis latinis græcos martyres, magnam partem, abeſſe uiderem, illos in eo adſciberem. Idq. feci, ut cùm iſti tuæ pontificiæ, quam erga Græciam oſtendis, uoluntati obſequerer maxime; tum etiam ut gloriæ ſatisfacerē ueteris eccleſiæ græcæ: quæ, olim in catholicæ fidei officijs permanens, et uirtutum gloria florens, ſicut clariſſima illa eccleſiæ lumina, Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, Cyrillũ, et alios, in religione præſtantes, peperit: ita infinitos martyres habuit, qui in ſummis illis oppugnationũ procellis, pro fide, proq. gloria Chriſti res geſſerunt, ad ſempiternam pietatis laudem, memoriamq. inſignes. De Germaniæ præterea, et aliarum exterarum prouinciarum martyribus, quantum in me fuit, idem præſtare contendi; ut et hæc, et Græca natio, aliæq. gentes, apud quas præclara ſanctorum martyria extitiſſe, martyrologij huius litteris proditum eſt, ſuorum martyrum rebus, diuine geſtis, atque uirtutibus excitatæ, agnoſcant fidem maiorum ſuorum; ac quæ, erroribus prolapſæ, deſciuerunt, redeant ad gremium eccleſiæ. Itaque hoc animo ego iampridem martyrologij tractationem aggreſſus, demum, Deo iuuante, confeci. Vellem equidem, atque optarem, me præſtitiſſe opus dignum eccleſia, ſanctiſſimoq. nomine tuo. Id ego profectò conatus obnixe ſum: ſed quid aſſecutus planè ſim, ipſe non uideo, aliorum ſit iudicium. At uerò tamen dicam,

quod

quod ſane nolim, mihi neque arrogãtiæ, nec oſten
tationis uitio unquã obijci, me ſcilicet pro ingenij
mei, quod perexiguum eſſe ſentio, tenuitate diligen
tiam, atque induſtriam non mediocrem contuliſſe
ad res martyrum, tum conquirendas, tum ſcribẽdas
etiam aliquo orationis cultu. Etenim ſi iura, leges, hi
ſtoriæ, monumenta temporum, philoſophiæ ſcien-
tia, artiumq. liberalium diſciplinæ latino ſermone
luculente a magnis uiris explicari ſolẽt: certe quæ ad
eccleſiæ annales, quæ ad martyrum res geſtas enar-
randas pertinent, illa quidem dignisſima ſunt omni
latinæ linguæ ſplendore. Eamq. ob cauſam optimo
iure olim, ut narraui, nõ cuiuſuis ordinis homines,
ſed uiri eccleſiaſtici ſpectata doctrina, et uirtute dele
cti ſunt, notarij ad id ſcribendi genus, quorum reli
gioſa de rebus eccleſiæ ſcripta, ac monimenta, uſque
adeo præclara extitiſſe dicuntur, ut non auctoritatis
ſolum pondere, utilitatiſq vbertate, ſed etiam ceteris
partibus, lucubrationes aliorum longe ſuperarent.
Nec uerò a rei publicæ chriſtianæ rationibus alienũ
eſſet, quales illi fuerant, tales his temporibus, qui ca-
tholicæ eccleſiæ annales, res pontificias, hiſtorias ſan
ctorum, atque omnia denique, quæ ad pietatis mo-
res, et inſtituta pertinerent, litteris mandarent, ne-
que Romæ ſolum, ſed in omni ferè archiepiſcopali
diœceſi; ut aduerſarijs nuſquam in poſterum ullus
relinquatur locus res noſtras confictis argumentis
contaminandi. Sed hoc de genere hactenus. In per-

quirendis

quirendis autē ijs, quæ Chriſti nomine martyres geſſerunt, quamquam monimenta illa deſunt, quæ dixi, notariorum, codicesq. quæſtionum; id tamen ſubſidium mihi comparaui, ut e priſcis eccleſiarum tabulis, atque e uoluminibus patrum, tam latinorū, quàm græcorum, multa, et ea quidem certa, ac explorata, mihi ſumerē ad martyrologij ſcriptionem. Sunt enim ubique fere terrarum in nobilisſima quaque eccleſia, et monaſterio inſtructæ lectisſimis libris bibliothecæ, et archiuia: ubi etiam perantiqua uolumina aſſeruantur, religioſe grauiterq. conſcripta de uitis ſanctorum: quas conſtanti traditione, maiorum auctoritate, et diuturno perpetuoq. uſu comprobauit antiquitas. Neque porro dubitādum eſt, quin Alexandri, Stephani, Marcelli, Pontificum, Priſcæ uirginis, Laurentij, Hippolyti, aliorumq. innumerabilium martyrum geſtæ res, quæ, litteris conſignatæ, in baſilicarum Romanarum archiuijs reconduntur, eæ ipſæ ſint, quas, a ſe ſcriptas, poſteris notarij illi ſeptem reliquerunt. Codex quæſtionum, quæ cōtra beatisſimum martyrem Sebaſtianum habitæ ſunt, in monaſterio Casſini montis extare dicitur. Sācti Marcelli martyris Legionenſis hiſtoria in Hiſpania pie aſſeruatur: exemplumq. habet quæſtionum, contra martyres inſtitutarum, non longe ab ijs disſimilium, quas in libro, contra Creſconium S. Auguſtinus exponit. Idem affirmatur de hiſtoriis ſanctorum, Fructuoſi, Augurij, Eulogij, et Facundi

item,

item. Primitiui, Aciſchi, aliorumq. martyrum Hiſpanienſium. Eſt præterea, a uero non alienum, quæcumque uel Latini, uel Græci de martyribus in eccleſiaſticos annales, faſtorumq. libros retulerunt, ea aut omnia, aut certe maximam partem, ex libris ueterum notariorum illos accepiſſe. Ac ne quiſquam quidem eſt tam rudis, atque adeo ignarus, quin intelligat, ab illis ipſis ſumpta eſſe, quæ de martyribus, Xyſto, Laurētio, Geruaſio, Protaſio, Agnete, Sotere, Thecla, Pelagia, in ſuis libris ſanctus Ambroſius luculente narrauit. Idem plane affirmare licet de Adone, Iſidoro, Prudentio, Beda, Vſuardo, ceterisq. id generis ſcriptoribus latinis, qui de ſanctorum martyrio libros uel uerſu, uel ſoluta oratione confecerunt. Neque aliquis inficiabitur, Græcos, utpote Euſebiū, Damaſcenum, Simonem Metaphraſtem itidem feciſſe; cum præſertim hi, atque adeo illi, præcipua quædam, ac ſingularia de quorundam martyrio accurate, uere, grauiterq. conſcribant. Iam ſanè conciones de quatraginta martyribus, de Mamante, de Iulitta, Baſilius Magnus; de quatraginta item, et de Theodoro martyre Nyſenus frater; ac de aliis longe plurimis græci patres habuerunt: quos omnes probabile eſt e notariorum tabulis exſcripſiſſe, quæcumque de alijs græce ita præclare commemorarūt. Non enim Romæ ſolum, ſed in omni Græcia, in omniq. prouincia, ut ex pontificia S. Fabiani epiſtola facile perſpicuum eſſe poteſt, decreti conſtitutiq.

ſunt

ſunt notarij,qui res martyrum geſtas litteris manda rent. Atqui,etſi eiuſmodi notariorum uolumina de fuerunt,tamen cum eccleſiarum libri certisſimi,pri ſcæq. tabulæ, tum patrum ſanctorum uolumina, atque cetera eius generis egregia monimenta extiterunt,quæ ad martyrologij lucubrationes mihi fuerunt uſui, atque adiumento . Et uerò in Græcis habui, quibus commode uti licuit, præter cetera multa,litteras etiam, olim cleri Conſtantinopolitani, et eccleſiæ item Smyrnenſis, Lugdunenſis, aliarumq. de martyribus græce exaratas;Dionyſii quoque Alexandrini epiſtolas , conſtitutiones itidem græcas, de ſanctis editas,et cæteras pleraſque eius gẽtis tabulas,eo de genere confectas. At ſane,ut martyrologia prætercam, antiqua illa quidem, manuq. recte ſcripta,quibus plurimis ad omnem correctionem uſus ſum, id quod ex notationibus , martyrologio huic per me adiunctis, animaduerti poteſt ; adiumenta quoque mihi quæſiui ex libris religioſi, doctiq. monachi Surij,et Ioannis Molani,uiri, rerum eccleſiaſticarum antiquitatis uſu litterate periti. In martyribus porrò Hiſpanienſibus multum luminis mihi attulit potisſimum Eulogius martyr;cuius opus adhibui ad ſcriptiones martyrum,quos multos in Arabicis fidei oppugnationibus Hiſpania habuit. Acceſſit quoque induſtria,quæ profuit plurimũ, duorum, omni doctrinarum antiquarum laude præſtantium uirorum,Ambroſij Moralii,qui ad Eulo-

gii libros præclaras notationes adhibuit;et Andreæ Reſendij, hominis Luſitani, qui perluſtratis omnis Hiſpaniæ baſilicis cathedralibus,compertisq. antiquis tabulis , ſanctorum Hiſpanorum hiſtoriam diſerta oratione contexuit. Aliorum autem martyrum, qui ex omni pene natione innumerabiles extiterunt,diebus natalibus, in martyrologio notádis, uel geſtis rebus ſcribendis, teſtimonia illa adhibui, quæ ſane plurima , eaq. locupletiſſima, in notationibus oſtendi. Habes igitur, Gregori Pontifex optime,maxime,totam pene rationem martyrologii huius,quod in ſanctiſſimo nomine tuo apparet. Nec uerò dubito,quin, ut Pontifex es admirandis uirtutibus, et ſingulari benignitate, opus hoc meum accipias,quo ſoles,animo,nempe gratiſſimo. Nam ipſe uides , ſi minus aſſecutus omnia ſum , quæ in eo conſcribendo ſumma deſiderari ſolent , conatum tamen eſſe me , præſtare ſaltem , ut maxime potui, munus cum ea,qua me pontificatus tui initio ornaſti,protonotarii dignitate conſentaneum,in re præſertim, cuius uſus omnis plane ſpectat cùm in primis ad Dei ſanctorumq. gloriam , tùm ad eccleſiæ uniuerſæ,cui maxima cum laude præes, amplitudinem. Vale Pater ſanctisſime.

PETRVS GALESINIVS
LECTORI. S

Martyrologii ſcriptio, et vſus in eccleſia Dei peruetus eſt. Vix dum enim bellum, omni imbutum odio, contra noſtros exarſerat; cum eorum, qui pro fidei defenſione, proq. euangelio dimicationes enixe ſuſceperant; res fortiter, diuinituſq. geſtæ, in libros, aut in commentarios relatæ ſunt quàm diligentiſsime. Cuius rei argumento præter cetera, quæ multa ſuperioribus litteris enucleate perſcripſi, illud etiam eſt, quòd Gregorius Magnus, idemq. ſanctiſsimus Pontifex, narrat, ſe omnium penè martyrum, diſtinctis in ſingulos dies cruciamentis, et necibus, collecta in vno codice nomina habuiſſe: quotidieq. in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia egiſſe. Immo et eccleſiæ perpetua conſuetudine, et patrum inſtitutis, et antiquo canone liber martyrologij in ijs ipſis eſt, quorum delectus eccleſiaſtici ordinis hominibus præſcribitur. Quæ ſanè res cum ita ſe habeat; ego ſanè, quo primùm tempore, ſum tanti operis, tamq. neceſſarij ſcriptionem aggreſſus, in omnes partes me valde excitaui, vt illam, pro ingenij mei uiribus, recte conficerem: et confeci tandem, Deo beneiuuante. At ſanè quale opus ſit, quod præſtiterim, pro tua prudentia ipſe videbis.

***** Ego

Ego verò libere affirmare poſſum, me in eo contexendo operam, diligentiamq. poſuiſſe, vt potui, maximam. Sinautem nec rerum, quæ et graues, et vtiles, non verbis ſolum, ſed ſententijs etiam, accurate dilucideq. explicari debuerant, tractatione, neque orationis cultu, tibi fortaſſe aliquando videor non aſſecutus, quod in opere hoc præſtari oportuerat: tuæ tamen Chriſtianæ charitatis eſt, fauere certè in primis voluntati meæ: in qua, vel ex hac ipſa ſcriptione, facile perſpicis magnum ineſſe deſiderium adiuuandæ eccleſiæ catholicæ, cuius gloriæ, vtilitati, et amplitudini ſeruire omnes debemus ſummo ſtudio, ſummaq. induſtria. Vale.

PETRO

PETRO GALESINIO
PROTONOTARIO
APOSTOLICO,

Emanuel Sà, Societatis Ieſu. S

MIRVM, Galeſini doctiſſime, quantum tibi eccleſiam vniuerſam tuo iſto præclaro martyrologio deuinxeris. Debebat planè adhuc plurimum tibi eccleſia Mediolanenſis, quam tuis ſcriptis magnopere illuſtraueras, et per ſe non parum ſplendidam, tua iſta tamen ſingulari eruditione mirificè exornaueras. Rem dico non ignotam vulgò; quis enim non tua legit, quæ ab hinc annis fermè duodecim, dum ampliſſimo Cardinali, Carolo Borrhomæo, viro ſanctiſſimo, et vigilantiſſimo paſtori, in reſtituenda eccleſiæ diſciplina operam das, ad eius eccleſiæ ornamentum diligentiſſimè elaboraſti? Quis ea cum legit, non te faciat plurimi de nobiliſſima diœceſi, et prouincia optime meritum? Nunc verò quis tibi hominum non multum debet? quis te autem non merito amet, et celebret, qui totam omnino eccleſiam ſic ornaris, eiuſq́, auſim dicere, dignitatem tam inſigni opere tantopere amplificaueris? Niſi verò ſanctorum facta

cta

cta præclara, egregiaq; martyria, negandum ſit ad eccleſiæ ornatum, et ſplendorem magnopere pertinere; aut eum, qui illa diligenter et ornatè deſcripſerit, operæpretium feciſſe. Debent tibi ſanè omnes, plurimum: at tu infinitis partibus plus debes Deo, cuius munere id es aſſecutus, vt te eius eccleſia tota merito amet, tantamq; tibi fœlicitatem optimus quiſque poßit inuidere. Quamobrem uerè gratulor tibi, qui tantum potueris: gratulor eccleſiæ, cui tantum contuleris: gratulor mihi ipſe denique, qui te familiarißimè nouerim, ſimq; uſus amicißimè. Macte virtute, mi Galeſini, perge porrò tua iſta diligentia, labore, induſtria, ſtudio in eccleſia iuuanda, æternum à Deo pro ijs præmium tandem accepturus. Vale in Domino. Ex ædibus noſtris Mediolan. 17. Septemb. 1578.

MARTYROLOGIVM,

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE VSVI,

IN SINGVLOS ANNI DIES, ACCOMMODATVM.

Calendis Ianuarij. Luna. A. iii.

9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

CIRCVNCISIO IESV CHRISTI, DOMINI NOSTRI, cum ab angelo impoſitum eſt ei ſacroſanctum illud nomen, IESVS. Octauæ item diei Natalis eius. Romæ, ſancti Almachij martyris. qui Alypij, urbis præfecti iuſſu, a gladiatoribus contrucidatus eſt; propterea quod gentibus, idola colentibus, dixerit: Hodie Octauæ diei Natalis Domini ſunt: ceſſate a ſuperſtitionibus, et cultu falſorum deorum. Spoleti, ſancti Concordij presbyteri, et martyris. Hic e patre Gordiano Romæ natus, presbyter factus, ieiunijs, et orationibus aſſidue deditus, eleemoſynis pauperes ſubleuare ſtuduit. Cuius fama peruulgata, Torquatus, Thuſciæ comes, ad ſe illum accerſit. is ut uenit, nomen ab tyranno rogatus, ſe Chriſtianum profitetur. in qua fidei confeſſione perſeuerans, primum uirgis cæſus, deinde equuleo tortus, tum fame, ac uinculis pene confectus, poſt denique, quia Iouis ſimulacro, ad ſe in carcerem delato, cultum tribuere noluit, abſciſſo capite, martyrij palmam, Antonino Imperatore, accepit. Romæ, ſanctæ Mar- Dies 1.

tinæ uirginis, et martyris. quæ e patre, uiro conſulari, orta, in chriſtianam religionem ſe dicarat: a qua ut amoueretur, ad Apollinis ſacra, Alexandro Cæſare iubente, inuitatur. in illius templum ingreſſa, ubi Chriſti Domini orandi finem fecit, terræmotu facto, pars eius templi corruit. ea re animaduerſa, imperator uirginem alapis cædi, uncisq. ferreis illius uultum lacerari iubet. Quibus autem ſatellitibus id impietatis officium delegatum eſt, octo erant, qui diuino quodam lumine circumfuſi, crudele facinus abhorrentes, IESV CHRISTI *Domini fidem amplexi, in eius confeſſione martyrium conſtantiſſime ſubierunt. Martina uero deinde, iterum atque iterum tormentis acerrimis uarie cruciata, a fidei propoſito abduci nullo modo poteſt. itaque teterrimo leoni poſt expoſita, tum in ignem coniecta; ab uno, et altero item periculo liberata diuinitus; demum imperatoris iuſſu gladio percuſſa, martyrij adepta eſt palmam. Romæ præterea, uia appia, ſanctorum triginta militũ martyrum. quibus pro coſtanti fidei chriſtianæ tuendæ ſtudio caput Diocletianus cæſar præcidi iuſſit. Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Baſilij Magni, Epiſcopi: cuius dies feſtus præcipue colitur decimo octauo calendas Iulij. Alexandriæ in Aegypto, ſanctæ Euphroſynæ uirginis: quæ ab infantia ſpretis nuptijs, uirginalis uitæ ſtudioſa, ut in rerum diuinarum contemplatione liberius conquieſceret, patri, atque adeo alijs, a quibus impediri potuiſſet, latere uoluit. itaque monachalem habitum ſuſcipiens, non muliebrem, ſed uirilem induit: eaq. ratione, ac nomine etiam mutato, cum Smaragdum ſe appellari uoluiſſet, ſe ſe occultans, per annos octo, et triginta, in ieiunijs, orationibus alijsq. pietatis officijs uitam ſancte egit: uirtutibusq. multis, ac miraculis uirgo florens abijt ad Dominũ. In Africa, ſancti Fulgentij, Ruſpenſis Eccleſiæ Epiſcopi. Hic, Vandalis Eccleſiam Dei oppugnantibus, ob catholicæ fidei defenſionem*

ſionem multas perpeſſus inſidias, in exilium cum alijs ſexaginta Epiſcopis ad inſulam Sardiniam mittitur: unde tandem ad Eccleſiam ſuam reuocatus, anno ante obitum Epiſcopatui cedens, in monaſterium ſe abdidit: ubi, doctrinæ et ſanctitatis laude clarus, in Domino quieuit. Sancti item Fulgentij Vtriculani Epiſcopi, qui a Gothis, Arianis hominibus, intra certos cuiuſdam circuli fines ſub dio concluſus, in ſumma pluuia ne guttam quidem aquæ ſenſit. Bononiæ, ſancti Proculi Epiſcopi: cui pro fidei catholicæ propugnatione caput iuſſu Totilæ, Gothorum regis, præciſſum eſt. In agro Lugdunenſi, ſancti Eugendi Abbatis, uitæ ſanctitate, uirtutumq. meritis inſignis. Viennæ in Gallia, ſancti Clari Abbatis, cuius uita in omni pietate eluxit. Eodem die, ſancti Magni martyris, et aliorum plurimorum ſanctorum martyrum, confeſſorum, atque uirginum. Reſp. Deo gratias. Et ſic ſingularum lectionum finis concluditur.

Quarto nonas Ianuarij. Luna B.

10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	24	6	17	28
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Octaua ſancti Stephani. Thomis in ponto, ſanctorum martyrum, Argei, Narciſſi, et Marcellini. Hic cum ſub Licinio principe militare nollet, quoniam ſe chriſtianum eſſe affirmaret; nec debere propterea illius, idola colentis, militiæ adſcribi; eam ob cauſam uirgis crudeliter cæſus, diu in uinculis fuit. quem Argeus, et Narciſus, fratres, cum aliquando inuiſerent, comprehenſi item ſunt, et in carcerem coniecti: in chriſtianaq. fide conſtantes, ſecuri percutiuntur. Marcellinus autem in mare proijcitur: ſicq. hic, et illi duo martyrio coronantur. In Gallia ad Rhodanum fluuium, 2

ſancti Defendentis, et aliorum multorum militum, qui, Maximiano Imperatore, pro Chriſto Domino cruciatibus eo loco affecti, martyrij coronam conſecuti ſunt. ad cuius fluminis ripam a ſancto Theodoro, Maſſiliæ Epiſcopo, Defendentis martyris corpus ſepultum eſt; eiusq. nomine Eccleſia dicata. In Thebaide, ſancti Macarij Alexandrini, abbatis: qui deſertiſsimarum ſolitudinum amans, diaboli multas tentationes expertus, ieiunio, et oratione uicit: alijs denique uirtutibus, et ſanctitate clarus, migrauit ad Dominum. Antiochiæ ſancti Iſidori Epiſcopi, et martyris. qui Catholicæ fidei defenſor acerrimus, ab impijs Arianis uehementer oppugnatus, demum, in ſummo certamine fortiter ſe gerens, pro Chriſto Domino ſanguinem profudit, Theodoſio, et Arcadio Imperatoribus. Mediolani, ſancti Martiniani Epiſcopi. Hic illius urbis ſeptimus, et decimus Epiſcopus, ſanctitate, et multis miraculis clarus, Innocentio Primo, Pontifice, quieuit in Domino. Apud Cluniacum, ſancti Odilonis Abbatis, uiri pietatis ſtudio, eleemoſynarum liberalitate, et rebus ſancte, mirabiliterq. geſtis clariſsimi. eius dies natalis, etſi calendis eſt, hodie tamen celebratur. Apud Corbeiam, ſancti Adelardi abbatis: is, regio genere natus, Caroli Magni conſobrinus, rebus huius ſæculi ſpretis, atque contemptis, uigeſimo ætatis anno fit monachus. quo in uitæ genere hoc præter cetera habuit, ut quotidie, bis ſaltem, mane ac ueſperi, ſua alienaq. peccata, profuſis uberrime lacrymis, deploraret. Abbas autem creatus, ita omni uirtute floruit, ut Antonij ſanctiſsimi Abbatis nomine illum aliqui appellarent. meritorum igitur magnitudine cumulatus, ætate in religionis ſtudio acta, animam Deo reddidit. Hoc ipſo die, ſancti Spiridionis Epiſcopi; ſancti Item Baldulphi Confeſſoris, et aliorum ſanctorum, ut ſupra.

Tertio

Tertio nonas Ianuarij. Luna. C. xi.

11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Octaua ſancti Ioannis Apoſtoli. Romæ uia appia, ſancti Antheri Papæ, et martyris. is cum ad Eccleſiæ gubernacula ſediſſet annis duodecim, paſſus eſt, Maximino Imperatore: propterea quòd res geſtas martyrum à notarijs conquiri, et litteris mandari, in eccleſiaq. aſſeruari iuſſit. In Helleſponto apud Cyricum urbem, ſanctorum martyrum, Cyrici primi, et Theogenis: Hic Licinij Principis iuſſu, quatuor palis alligatus, uarie cæſus, in mare abiectus eſt. In urbe Aulana, ſancti Petri martyris: qui, iubente Seuero præſide, crucis ſupplicio affectus eſt, Diocletiano Imperatore. Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Gordij martyris: cuius illuſtre certamen, pro Chriſto Domino fortiter ſuſceptum, ex concione apparet, quam de eo Baſilius magnus habuit. Viennæ, ſancti Florentij Epiſcopi, et martyris. Pariſiis, ſanctæ Genoueſæ uirginis: quæ ab ſancto Germano Altiſsiodorenſi Epiſcopo, in religionem Chriſto dicata, octuaginta annis in ſuſcepto religioſæ uitæ inſtituto, ſancte uixit, Clodouæo rege, multis uirtutibus, et miraculis clara. Patauij, ſancti Danielis Leuitæ, et martyris inuentio. Is enim, ſancti Proſdocimi Epiſcopi diaconus, cum Chriſtianam fidem conſtantiſsime palam prædicaret, ab urbis præfecto comprehenſus, inter lapideam, et ligneam tabulam clauis confoſſus, martyrio coronatur. Illius corpus diu occultum, Vlderichi eiuſdem urbis Epiſcopi precibus, admirabiliter multis poſt illius martyrium annis hoc ipſo die inuentum eſt, ſumma cleri et populi celebritate. In pago Viromandenſi, Inuentio item, et translatio ſancti Quintini martyris. Alibi aliorũ ſanctorũ, ut ſupra. 3.

Pridie

D. **Pridie nonas Ianuarij.** Luna.

12 24 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Octaua ſanctorum Innocentum. Sancti Titi, qui ab Paulo Apoſtolo inſtitutus Cretenſium Epiſcopus, et in Creta, et in alijs Cretæ finitimis inſulis euangelicæ prædicationis munere perfunctus, quieuit in Domino. ſepultus in ea ipſa eccleſia, in qua dignus conſtitutus fuerat miniſter. Romæ, ſanctæ Dafroſæ, quæ Fabiani martyris uxor, poſt mariti interfectionem, in exilium miſſa, Decij Cæſaris iuſſu, tandem capite plectitur. Romæ item, ſanctorum martyrum, Priſci presbyteri, Priſcilliani Clerici, ac Benedictæ religioſiſſimæ fœminæ. quibus, Iuliano Imperatore, teterrimo Chriſtiani nominis hoſte, caput abſciſſum eſt ob Ieſu Chriſti fidem. Bononiæ, ſanctorum, Hermetis, Aggei, et Caij, martyrum. Romæ, ſancti Ferrutij martyris. In Africa, ſanctorum, Aquilini, Gemini, Eugenij, Martiani, Quinti, Theodoti, et Tryphonis: qui in perſecutione Vandalica nobili martyrio coronati ſunt. In Græcia, cõmemoratio ſanctorum ſeptuaginta duorum diſcipulorũ Domini. Apud Lingonas, ſancti Gregorij Epiſcopi: cuius multa ſancte, et admirabiliter geſta extant. Romæ ſancti Agontij, Cuſtodis Eccleſiæ beati Petri Apoſtoli. In Syria, ſancti Petri, Damaſceni Epiſcopi, qui, Conſtantino Quinto Imperatore, ab Sarracenis excruciatus, martyrij palmam accepit. Rhemis in Gallia, ſancti Rigoberti Epiſcopi et confeſſoris. qui uirtutibus ornatus, ad perfectionis ſummam progreſſus, ubi Epiſcopatum accepit, ita in eo ſe geſſit, ut bonis Petri Apoſtoli uultum, malis Pauli in ſpiritu ſeueritatem præ ſe ferret. is uir Dei cum in Rhemenſi eccleſia pie ac ſalutariter multa inſtituiſſet, demum, confecto uitæ huius curriculo, meritorum gloria cumulatus,

latus,

latus,ad præmium abijt in cælum. Gandaui in Belgis ſanctæ Pharaildis uirginis: quæ illuſtri genere nata, ab ineunte ætate religioſis uitæ moribus a beata Gertruda diligenter inſtructa,pietatem egregie coluit. nuptui autem data a parentibus, præpotenti ſpiritus ſancti gratia, uirginitatem plane integram ſeruauit. annum uero agens circiter nonageſimum, uirgo migrauit ad Dominum. Biturigis, ſanctæ Fauſtæ uirginis. Tuderti, ſancti Rogerij Confeſſoris: cuius natalis dies eo loco colitur, Gregorij noni, Pontificis conceſſu. Alibi, aliorum ſanctorum &c. ut ſupra.

Nonis Ianuarij. Luna. E. xix.

10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Vigilia Epiphaniæ Domini. Romæ, ſancti Theleſphori Papæ. 5
Hic ab ſancto Petro Apoſtolo nonus Pontifex, cathedram Romanam tenuit annos undecim, menſes tres, dies unum et uiginti: conſtituit, ut ieiunium ante paſcha per hebdomadas ſeptem ſeruaretur: in Natali die Ieſu Chriſti Domini tres Miſſæ à ſingulis ſacerdotibus celebrarentur: hymnus Angelicus, nẽpe Gloria in excelſis, in Miſſæ ſacrificio caneretur. Martyrium, Antonino Imperatore, ſubiens, ſepelitur in uaticano apud ſancti Petri corpus. Antiochiæ, ſancti Simonis Stylitæ, monachi: qui in columnã cauam annis quatraginta incluſus, in hebdomada cibũ ſemel capiens, pane, herbarumq. radicibus, et aquæ potu uictitabat. qua admirabili abſtinentia, et ſanctitate uir, multis etiam miraculis clarus migrauit ad Dominum. Bergomi, ſancti Domnionis martyris: qui, Maximino Imperatore, pro Chriſti fide cruciatibus affectus, demum conſtantiſſime palmã martyrij tulit. Brixiæ, ſancti Ruſticiniani Epiſcopi. is beato Honorio,

eiuſdem urbis Epiſcopo, cum ſucceſſerit, pietatis Chriſtianæ officijs populum Brixienſem religioſe inſtruxit: omniq. Epiſcopali uirtute, et ſanctitate florentiſſimus, quieuit in Domino. In Græcia, ſanctorum, Theopempti, Theonæ, et Syncleticæ, martyrum. Romæ, beatæ Aemilianæ uirginis. hæc ſancti Gregorij Pontificis amita fuit: cui, et Tarſillæ eius ſorori hoc ille teſtimonium dat; Vno ardore conuerſa, ſub diſtrictione regulæ uiuentes, in domo propria ſocialem uitam ducebant: et quotidianis incrementis cæperunt in amorem conditoris ſui creſcere; et cum hic eſſent ſolo corpore, quotidie ad æterna tranſire. In Anglia, ſancti Eduardi Regis. is matrimonio iunctus, perpetuò tamen unà cum Edgida uxore uirginitatem coluit: cuius uita pie ſancteq. acta, et rebus diuinitus, ac mirabiliter geſtis, cognitis, Alexander Tertius Pontifex maximus, in ſanctorum numero, illum adſcripſit. Alibi, ut ſupra.

Syncletica nō fuit mr

F. VIII. Octauo Idus Ianuarij. Luna.

14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

6. Epiphania Domini. Quo die Magi, ſtella duce, ad Ieſum uenerunt: eiq. uenerationem, et cultum tribuerunt, muneribus allatis. hoc ipſo etiam die à Ioanne idem trigeſimo ætatis ſuæ anno baptizatus eſt: trigeſimo primo uocatus ad nuptias, conuertit aquam in uinũ. In finibus Rhemorũ, ſanctæ Macræ uirginis et martyris. hæc Diocletiano Imperatore, Rictiouari præſidis iuſſo, in ignem poſita non læditur: poſt, abſciſsis mammillis, et tetri carceris ſquallore afflicta, in teſtis acutiſſimis, ac prunis uolutata, precando abijt ad Dominum. Redonis in Britannia, ſancti Melanij Epiſcopi. qui, Clodouæo rege, multis uirtutibus, et pietate inſignis, cœlo intentus,

migrauit

migrauit e ſæculo. Altiſiodori, translatio ſancti Germani Epiſcopi, admirandæ fidei, doctrinæ, et ſanctitatis uiri.

Septimo idus Ianuarij. Luna.

15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 G.

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Relatio pueri, IESV CHRISTI Domini, ex Aegypto. Nicomediæ ſancti Luciani presbyteri et martyris: qui doctrinæ, et eloquentiæ laude clarus, ob CHRISTI confeſſionem, multa, Maximino Imperatore, perpeſſus, martyrio demum coronatur: ſepultus Helenopoli Bithyniæ. Hoc ipſo die, Antiochiæ, ſancti Cleri Diaconi, et martyris. Septies enim ob CHRISTI fidem tortus, et uinculis diu excruciatus, ſecuri demum percuſſus, martyrij palmam accepit. Heraclææ, ſanctorum Felicis, et Ianuarij, martyrum. In Africa, ſanctorum, Timothei, et Luciani, martyrum. Nicomediæ, ſancti Iſidori Epiſcopi, et martyris. Eodem die, ſancti Iuliani. Papiæ, ſancti Criſpini Epiſcopi, et confeſſoris: Veronæ, ſancti Senatoris Epiſcopi, et confeſſoris. Hoc item die, ſancti Canuti, Ducis Slauiæ, martyris: qui, Alexandro Tertio pontifice, relatus eſt in ſanctorum numerum. In Solemniaco monaſterio, ſancti Stilonis monachi, et confeſſoris. Tremoniæ in diæceſi Agrippinenſi, translatio ſancti Reinoldi martyris. qui nobili ortus genere, Coloniæ beati Pantaleonis monachus factus, uitæ ſanctitate, et miraculorum multitudine clarus, a nefarijs hominibus occiſus, in lacum proiectus eſt: unde poſt, Dei admonitu, eductus, Tremonienſibus datus eſt. Brixiæ, Inuentio ſanctorum martyrum, Beniamini, et Maximi, qui una cum Fauſtino, et Iouita, pro CHRISTO Domino martyrium ſubierunt. 7.

A. xvi. Sexto idus Ianuarij. Luna.

16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

8. *Neapoli in Campania, ſancti Seuerini Epiſcopi, et confeſſoris. qui, beati Victorini martyris frater, multarum uirtutum meritis cumulatus, quieuit in Domino. Belluaci, ſanctorum martyrum, Luciani Epiſcopi, Maximiani presbyteri, ac Iuliani: quos is religionis Chriſtianæ præceptis inſtituit, ac baptizauit. Fuit autem Lucianus, principis Apoſtolorum Petri diſcipulus, ab Clemente primo pontifice in Galliam miſſus, urbisq. Belluaci factus Epiſcopus, multa millia hominum ab idolorum cultu ad* CHRISTI *Domini fidem auocauit. uir extitit patientia admirabili, ſummaq. abſtinentia. herbis ſolum, et aquæ potu uictitabat: quatrageſimæ tempore bis cibum in hebdomada capiebat, cæleſtis panis ui ſuſtentatus. Decreto Domitiani imperatoris cum præfectus Iulianus perſecutionem teterrimam in Chriſtianos exerceret, iſtius iuſſu illi duo primum capite plectuntur; deinde hic, in maxima tuendæ fidei conſtantia, excruciatus uehementer, eadem capitis pœna afficitur. Papiæ, ſancti Maximi Epiſcopi, et confeſſoris. In Noricis, ſancti Seuerini abbatis, qui et ſpiritu prophetiæ, et uitæ diſciplina ſingulari, et rebus multis mirabiliter geſtis, clarus abijt ad Dominum. Eius corpus, Gelaſij pontificis auctoritate, ab Victore Epiſcopo ad Lucullanum oppidum, quod eſt prope Neapolim, translatum eſt. Eodem die, ſancti Eugeniani martyris. In Germania, ſancti Erbarti. is a puero litteris deditus, in doctrina admirabiliter progreſſus, uitæ etiam innocentia præluxit. Euangelij propagandi ſtudio flagrans, in Germaniam*

prouin-

prouinciam uenit: ubi homines, qui Rheni ripam incolunt, ad CHRISTI fidem perduxit. deinde in Baueriam profectus, et prædicatione, et uirtutum exemplo, Chriſtianam etiam religionem diſſeminauit. quibus meritis, et aliarum admirandarum rerum laude cumulatus, obdormiuit in Domino. Auguſtoduni, ſancti Egemonij, Epiſcopi, et confeſſoris. Bruxellis, ſanctæ Gudulæ uirginis. Hæc illuſtri genere nata, a beata Gertrude in monaſterio inſtituta; ut ætate, ſic Chriſtianis uirtutibus progrediens, perpetuo ſe religioſe exercuit in uigilijs, oratione, ieiunijs, et in omni pietatis officio. Eius reliquiæ ibidem aſſeruantur magna cum ueneratione. Methis, ſancti Patientis Epiſcopi, et confeſſoris. Venetijs, beati Laurentij Iuſtiniani.

Quinto idus Ianuarij. Luna. B. v.

17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Iuliani, et Baſiliſſæ virginis, eius coniugis. Hic etſi patris impulſu Baſiliſſam in matrimonium duxit, ſe tamen una cum ea in uirginalis uitæ ratione continuit perpetuo. patre mortuo, hæreditatem, quam amplam ſatis, et luculentam habuit, pauperibus diſtribuit, duobus a ſe monaſterijs exædificatis. quorum unius curationi ipſe præfuit; in altero Baſiliſſa multarum uirginum curam ſuſcepit. Diocletiano autem, et Maximiano, imperatoribus, Chriſtianos inſectantibus, hæc a Domino precata, ut ne uirgines, ſibi in diſciplinam traditæ, in periculis, quæ maxima tum in Syria Chriſtianis hominibus impendebant, uirginalem pudicitiam amitterent; id impetrauit. ſiquidem certo eo temporis ſpatio, quod ſibi precanti diuinitus ſigni- 9.

ficatum erat, omnes in ſancta confeſsione migrarunt ad cælos, nec multo poſt Baſiliſſa. Iulianus uero, Martiani, qui Syriæ præerat, iuſſu, multis tormentis cruciatus, cum ea conſtanti animo ferret; perfectum eſt, uolente Deo, ut Celſus puer, præſidis filius, ad eum confugiens, CHRISTVM IESVM confiteretur. ſicq. alij plerique fidem amplexi, huius exemplo ducti, martyrium una cum eo ſubierunt. In Mauritania Cæſarienſi, ſanctæ Martianæ virginis, et martyris: quæ Diocletiano imperatore, beſtijs expoſita, demum a Leopardo dilacerata, in ſumma fidei conſtantia ad martyrij, et uirginitatis præmium abijt in cælum. In Smyrna, ſanctorum martyrum, Vitalis Epiſcopi, Reuocati, et Fortunati, diaconorum. In Africa ſanctorum martyrum, Epitheti, et Saturnij. In Africa item, ſancti Egilfredi Abbatis. Anconæ, ſancti Marcellini Epiſcopi: cuius diuina uirtute ab incendio ea urbs admirabiliter liberata eſt. In Anglia, ſancti Adriani abbatis, et confeſſoris. Cantuariæ item, ſancti Bertunaldi Epiſcopi, et confeſſoris. Dinioni, ſanctæ Paſchaſiæ virginis. Vintoniæ, ſancti Henrici Epiſcopi; qui in Eccleſijs ornandis, et in pauperibus ſubleuandis, pie, ac liberaliter admodum ſe geſsit.

C. 11. Quarto idus Ianuarij. Luna.

18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

10. In Thebaide, ſancti Pauli primi heremitæ. Hic, parentibus mortuis, quo liberius in Dei cultu uerſaretur, in ſolitudinis ſpeluncam ſe abdidit. quo in loco palmæ et folijs ſe ueſtiens, et fructibus ueſcens, centum, et tredecim annis uixit. Cuius animam beatus Antonius uidit inter Angelorum choros, inter Prophetarum, et

Apoſto-

Apoſtolorum cœtus in cælum aſcendere. In Cypro, ſancti Nicanoris: qui unus e ſeptem illis primis diaconis, cum Euangelium in ea inſula prædicaſſet, ob IESV CHRISTI *fidem multis cruciamentis uarie affectus, Veſpaſiano Imperatore, coronam martyrij accepit. Romæ, ſancti Agathonis papæ. hic patre Romano natus, ex monacho factus pontifex, multæ manſuetudinis, ac tantæ ſanctitatis, ut leproſum, obuiam ſibi factum, oſculo a morbo liberarit. contra Monothelitas hæreticos Conſtantinopoli concilium habuit: ſedit annos duos, menſes tres: ſepelitur ad ſanctum Petrum. Mediolani, ſancti Ioannis Boni Epiſcopi, et confeſſoris. Conſtantinopoli, ſancti Martiani presbyteri: qui uigilijs, et orationi deditus, in* CHRISTI *pauperes liberalis admodum, ita, ut qua ſola tunica indutus erat, eam dederit egenti: multis miraculis clarus, obdormiuit in Domino. Bituricis, ſancti Gulielmi Epiſcopi: quem uitæ ſanctitate, et miraculorum gloria inſignem, Honorius Tertius, pontifex, ſanctorum numero adſcripſit. In Græcia ſancti Theodosij Cœnobiarchæ. Is incredibili abſtinentia fuit, ut per triginta ipſos annos panem non guſtarit, palmæ fructu, et paucis ſiliquis uictitans; ſicq. corpori cum cibum detraheret, animam diu noctuq. pauit aſſidua cæleſtium rerum contemplatione. In Ambianis, tranſlatio, ſancti Firmini Epiſcopi, et confeſſoris.*

Tertio idus Ianuarij. Luna. D. XIII.

19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Sancti Iginij papæ, et martyris. Hic clerum diſpoſuit, gradus diſtribuit, inſtituitq. ut uir unus, aut ſola fœmina infantem de ſacri baptiſmi fonte ſuſciperet, atque idem in confirmatione ſacra- II.

mento ſeruaretur. uetuit, ut ne templorum dedicationes ſine Miſſæ ſacro celebrarentur; neue, quæ diruta eſſent, templorum materia, tignaq. ad uſus prophanos conuerterentur. martyrium, Antonino Imperatore, ſubijt. ſedit annis quattuor, menſibus tribus. In Africa, ſancti Saluij: cuius die natali beatus Auguſtinus Carthagine ſermonem habuit ad populum. Alexandriæ, ſanctorum confeſſorum, Petri, Seueri, et Leucij, quorum res fortiter, diuinitusq. geſtæ habentur. Sancti Pauli item Simplicis, monachi, qui beati Antonij diſcipulus extitit. Ambiani, ſancti Saluij Epiſcopi, et martyris. Hic, Chilperico rege, multis uirtutibus floruit, ac Dei gratia res plurimas mirabiliter geſsit, cæcis oculorum, ſurdis aurium, ſenſum, claudis inceſſum reſtituit. ſic omni ſanctitatis laude clarus a Vinegardo, Ariano homine, ſecuri percuſſus eſt. Papiæ, ſanctæ Honoratæ uirginis. Vigorniæ in Anglia, ſancti Eguini Epiſcopi, et confeſſoris. Eodem die ſancti Anaſtaſij monachi, et confeſſoris.

E. 11. Pridie idus Ianuarij. Luna.

20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

12. *In Mauritania, ſancti Arcadij martyris: qui uarijs, ijsq. nouis ſupplicijs excruciatus, demum in ſuo ſanguine uolutatus, certaminis, quod conſtantiſsime pro* CHRISTO *Domino ſubierat, palmam accepit. In Archadia, ſancti Satyri martyris: is in conſpectu idoli cuiuſdam cum eſſet, in illud exſufflauit, ſigno ſe crucis muniens. quo facto idolum corruit; idq. propterea caput ei præciſum eſt. Hoc ipſo die, ſancti Agathonis martyris: qui, Decio Imperatore, uarie primo cruciatus, tum demum, ſecuri percuſſus,*

CHRI-

CHRISTI Domini fidei præclarum teſtimonium dedit. Eodem præterea die, ſanctorum martyrum, Tigrij presbyteri, Eutropij Lectoris, et Olympiæ matronæ. Hieroſolymis, ſancti Ioannis patriarchæ, cuius res diuinitus geſtæ leguntur. Rauennæ, ſancti Ioannis Epiſcopi, et confeſſoris. Veronæ, ſancti Probi Epiſcopi, et confeſſoris. Virimudæ, in Anglia, ſancti Benedicti, primi Abbatis, et confeſſoris. Brixiæ, Inuentio ſanctorum martyrum Nainij, Iacobini, et Anſelmi: qui una cum beatis martyribus, Iouita, et Fauſtino, pro fide fortiter pugnando, coronati ſunt.

Idibus Ianuarij. Luna. F.

21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Octaua Epiphaniæ. Romæ, uia Lauicana, ſanctorum Qua- 13.
traginta martyrum: qui, Galieno Imperatore, ob Chriſtianæ fidei confeſſionem, ſecuri percuſſi ſunt. In Africa, ſanctorum martyrum, Ingenui, et Cyriaci. In Grecia, ſanctorum, Hermyli, et Stratonici, martyrum. Parmæ, ſancti Hilarij Epiſcopi, et confeſſoris. Rhemis, ſancti Remigij Epiſcopi, cuius celebritas calendis Octobris, quo die eius corpus translatum eſt, ab Eccleſia agitur. Treueris, ſancti Agritij Epiſcopi. Hic Silueſtri pontificis iuſſu, Helena, Conſtantini Cæſaris matre, poſtulante, ad Treuiros ex Antiochia profectus, eam ciuitatem, quæ ſanctorum, Eucharij, Valerij, et Martiani prædicationibus, CHRISTI IESV fidem olim amplexa, ad idolorum cultum redierat, ab illa impietate reuocauit. Eodem die, Ambiani, translatio ſancti Firmini martyris. qua in translatione multa miracula diuinitus facta ſunt. caloris enim æſtus, adulta tum hyeme, maximus factus

ctus

ctus eſt: arbores, a frondibus nudæ, frondeſcere cœperunt: quibus frondibus ægri ſanabantur. Viennæ ſancti Veri Epiſcopi, qui Euantio uiro ſanctiſſimo in illius urbis epiſcopatum ſucceſſit. In Verdiaco monte, translatio ſancti Viuentij confeſſoris. is e Samaritanis parentibus, Chriſtiani nominis hoſtibus, natus, beati Georgij, Antiochiæ Euangelium prædicantis, opera ad fidem conuerſus, ac deinde ſacerdos factus, Angeli monitu Antiochiam uenit. qua in urbe Daciani præſidis filiam a dæmonio liberauit: multos baptizauit. Romam denique proficiſcens, in itinere multa miracula edidit. Natus annos centum et uiginti, migrauit ad Dominum.

G. x. Decimonono calẽdas Februarij. Luna.

22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

14. Pictauis in Gallia, ſancti Hilarij Epiſcopi, et confeſſoris. Hic epiſcopus factus, paſtorale munus ſumma cum laude geſſit. Catholicæ fidei defenſor, multis Arianorum petitus inſidijs, tandem dolo Saturnini, Arelatenſis epiſcopi, in Phrygiam relegatur. inde quattuor poſt annis ad Eccleſiam ſuam reuocatus, ita egit, ut paſtorali ſuo ſtudio Gallia uniuerſa, repudiata Ariana impietate, catholicam fidem tueretur. alijs præterea rebus mirabiliter, diuineq. geſtis et doctrina clarus, migrauit ad Dominum, Valente, et Valentiano, Imperatoribus. Nolæ, in Campania, ſancti Felicis presbyteri, et confeſſoris. Hic in falſos Deos uehementius inuectus, in carcerem ab infidelibus detruditur; et aſtrictus uinculis, ab Angelo nocte ſoluitur, ac liberatur. Romæ, ſancti Felicis item, presbyteri, et martyris. qui quoniam Mercurij, et Dia-

næ

næ ſimulacra, inſufflando euertit; equuleo cruciatus, atque interrogatus, quibus maleficijs id fecerit; reſpondit, non diaboli maleficijs, ſed I E S V C H R I S T I *beneficijs illud ab ſe factum eſſe. ſicq. in Chriſtiana fide conſtans, Diocletiano Imperatore, ſecuri percuſſus, martyrium ſubijt. Spoleti, ſancti Pontiani martyris, qui, Antonino Auguſto, feruenti plumbo perfuſus, alijsq. cruciamentis a iudice Fabiano uarie affectus, demum abſciſſo capite, martyrij coronam accepit. In Africa, ſanctorum martyrum, Euphraſij epiſcopi, Cyriaci diaconi, et ſociorum: qui a Vandalis pro catholicæ fidei defenſione teterrimis excruciati ſupplicijs, nobi martyrio coronati ſunt. Mediolani, ſancti Datij epiſcopi, et confeſſoris. Is cum eccleſiam Mediolanenſem duos, et uiginti annos religioſe adminiſtraſſet, epiſcopalium uirtutum, et miraculorum laude clarus, quieuit in Domino. Viennæ, ſancti Cadeoldi epiſcopi. In Græcia, ſanctorum monachorum, qui in Sina monte, et Rhaiti regione habitantes, orationibus aſſidue dediti, in omniq. pietate ſe exercentes, ob religionem interfecti ſunt.*

Decimo octauo calen. Februarij. Luna. A.

23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Hieroſolymis, ſanctorum Prophetarum, Micheæ et Abacuc: quorum corpora, Arcadio Auguſto, ſunt diuino admonitu inuenta. Nolæ, ſancti Maximi epiſcopi, et confeſſoris. In Thebaide, ſancti Macarij abbatis. hic beati Antonij diſcipulus, religioſæ diſciplinæ, ſanctimoniæ, et miraculorum laude floruit. Eodem die, ſancti Iſidori item abbatis, fide, ac uita, tum rebus pie, diuineq. actis, præclari: cuius cura mille, et amplius, mona- 15.

chi regebantur. Aruernis, ſancti Bonitij epiſcopi, et confeſſoris, cuius uita, uirtutum ſplendore inſignis, beatorum patrum, Adelphi, et Eucherij iuſſu ab Aegydio et Gallo, litterarum monimentis conſignata eſt. In Andegauenſium finibus, ſancti Mauri abbatis, et confeſſoris. qui ab ineunte ætate, ſancti Benedicti diſciplinis inſtitutus, tam longe in religioſe viuendi uia proceſſit, ut ceteris ſanctitate anteiret. fuit is in ieiunio, et oratione frequens; ſilentio aſsidue uſus, in legendo tempus reliquum, quod à diuinis laudibus, monachaliſq. uitæ actionibus uacuum ſibi dabatur, conſumpſit. In Galliam miſſus, Andegauum uenit, cuius in urbis finibus, quattuor eccleſias exædificauit, et celebre item monaſterium: cui quadraginta annis præfuit. omni igitur religionis uirtute, et miraculorum magnitudine clarus, quæ multa uſque ab adoleſcentia edidit, tandem in Domino quieuit. Eius corpus ad urbem Pariſios ſolemni ritu translatum, pie colitur. Reate, ſancti Probi epiſcopi, et confeſſoris: cuius res plurimas pie, admirabiliterq. geſtas Gregorius Magnus commemorat. In Burgundia, ſancti Ioannis Caliniti, confeſſoris: cuius ſacrum corpus, multis clarum miraculis, Conſtantinopoli quieſcit: caput Chryſopoli religioſe aſſeruatur.

xviii. Decimoſeptimo calē. Februarij. Luna.

24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

16. *Romæ, uia ſalaria, ſancti Marcelli papæ, et martyris. Is in maxima eccleſiæ perturbatione ad Dei, diuinarumq. rerum cultum attentus, rem chriſtianam, quantum in ſe fuit, ualde adiuuit. De primatu eccleſiæ Romanæ ad epiſcopos Antiochenæ prouinciæ epiſto-*

epiſtolam ſcripſit: in qua illud præter cetera oſtendit, nullum concilium iure celebrari, niſi ex auctoritate Pontificis Romani. In urbe uiginti quinque titulos conſtituit, quaſi diœceſes quaſdam, tum ad martyrum ſepulturam, tum ad baptiſmum, et pænitentiam eorum accommodatas, qui, repudiatis falſis dijs, CHRISTO Domino adhærerent. Beati Marcellini pontificis, et martyris corpus in Vaticano prope ſancti Petri corpus ſepelliuit. Eius hortatu matronæ duæ Romanæ, Priſcilla cæmiterium ſuis ſumptibus extruendum uia ſalaria curauit: Lucina eccleſiam fecit hæredem ſuorum bonorum. quamobrem Maxentij tyranni iuſſu, is fuſtibus primum cæſus, deinde in catabulum incluſus eſt. quo in loco Dei gregem, ſibi commiſſum, cum aliter non liceret, litteris ad eum datis, omni catholica diſciplina refertis, gubernauit. Inde uero nouem poſt menſibus noctu à clericis liberatus, in Lucinæ ædibus, eccleſiam conſecrauit: ubi cum ad orandum chriſtiani conuenirent, tum ipſe Miſſæ ſacrum faciebat, et prædicabat. Quare animaduerſa tyrannus, catabuli beſtias eo traduci, et a Pontifice curari imperat. itaque ibi intollerabili odoris fœditate beatus Marcellus confectus, tandem quieuit in Domino. Nolæ, ſancti Felicis epiſcopi, et confeſſoris. Hic cum Tubabocenſi eccleſiæ præeſſet, Anolino præſidi ſiſtitur: à quo nomen rogatus, hoc plane tacuit; at ſe chriſtianum hominem eſſe libera uoce profeſſus eſt. quamobrem in carcerem coniectus, inde duodecim poſt diebus nauigio imponitur: in quo dies quattuor ieiunus, ac pene inedia confectus, Nolam uinculis aſtrictus uenit: ubi a iudice capitis damnatus, martyrio coronatur, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus. Rinocororæ, ſancti Melantij epiſcopi: qui pro fide catholica in exilij periculo, multipliciq. certamine, pie fortiterq. uerſatus, epiſcopalium uirtutum, et humilitatis in primis

laude inſignis, quieuit in Domino. Opitergij, ſancti Titiani epiſcopi, et confeſſoris. Hic Heraclea, genere nobili natus, urbis Opitergij factus epiſcopus, non deſtitit, et uerbo, et exemplo uitæ populum, ſibi in curam traditum, paſcere. quo munere diu religioſe perfunctus, ad meritorum præmium abijt in cælum. Romæ item, ſanctæ Priſcillæ: cuius uitam Honoratus, Arelatenſis epiſcopus, litteris mandauit. Arelati, ſancti Honorati epiſcopi et confeſſoris, pietatis laude, miraculis, et doctrina illuſtris. Ambiani, ſancti item Honorati epiſcopi. Hic Angeli admonitu, ſanctorum Fuſciani, Victorici, et Getiani, corpora inuenit: eaq. loco decenti, illius rei cauſa exædificato, recondidit. Regij, ſancti Fauſti epiſcopi: cuius et libri pie, docteq. ſcripti, et res mirabiliter geſtæ leguntur. Fundis in Samnio, ſancti etiam Honorati abbatis: qui, ut narrat Gregorius Magnus, a pueritia cæleſtis patriæ amore inflammatus, cum in omnibus rebus, tum in ſermone inani, otioſoq. abſtinentia incredibili uſus eſt. Monaſterium ædificauit; in quo ducentorum ferè monachorum curam ſuſtinuit, magno ſanctæ diſciplinæ, ac uitæ exemplo. quo maxime prælucens quieuit in Domino. In Parona monaſterio, ſanctorum, Furſei confeſſoris, Follani, et Vltani, fratrum eius: quorum ſancte geſta apud Bedam ſunt. Eodem die, apud Marrochium, ſanctorum martyrum, Berardi, Petri, Accurſij, Adiuti, et Othonis. Ii franciſcani ordinis homines, Dei amore accenſi, cum ad prouincias infidelium, propagandi euangelij cauſa,ueniſſent; a Marrochij regulo, in conſtanti CHRISTI confeſſione, ſupplicijs affecti, in ſanctorum numerum a Xyſto Quarto, Pontifice Maximo, relati ſunt. Illorum reliquias Petrus, Hiſpaniarum Infans, e Marrochio aſportauit: et in eccleſia ſanctæ Crucis, quæ eſt Colimbriæ, cum ueneratione collocauit. Brixiæ, In-

uentio

uentio ſanctorum martyrum, Marini presbyteri, et Stephani diaconi: qui ambo una cum beatis martyribus Fauſtino et Iouita, uarijs tormentis cruciati, præclarum chriſtianæ fidei teſtimonium reddiderunt.

Decimo ſexto calend. Februarij. Luna. Cvii.

25 6 17 28 9 20 1 12 13 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

Sancti Antonij abbatis. Cuius religio, pietas, aliæq. uirtutes ita in omni uita eluxerunt, ut latini, græciq. patres de eo multa conſcripſerint: quibus auditis beatus Auguſtinus, iamdiu hæſitans, ualde confirmatus eſt ad pie agendum. Antonius ab adoleſcentia, uendito patrimonio, preuium pauperibus diſtribuit. ſicq. a rei familiaris cura liber, cæleſtis uitæ diſciplinam in terris colere cepit. continentia enim, uigilantia, patientia, manſuetudine, et labore ceteris præſtitit. Ieiunium ita coluit, ut ſæpe biduo, atque amplius ieiunus eſſet. eius cibus erat panis, et ſal; potus aqua; prandij tempus ſolis occaſus. ſi ſomnus obreperet, ſtando paululum dormiebat, et humi plerumque cubabat. In oratione et contemplatione uſque adeo aſsiduus erat, ut et ſæpiſsime totam noctem conſumeret; et hoc ſolo uel meditandi, uel audiendi ſtudio, ſacrarũ litterarum cognitionem tenuiſſe dicatur. His uirtutibus ille inſtructus, in uaſtiſsima ſolitudine, ubi uixit, uarias Satanæ inſidias, acerrimosq. impetus ſuperauit: cuius fama ſanctitatis peruulgata, eius orationibus ſe liberosq. ſuos Conſtantinus magnus per litteras commendauit. Quinto autem, et centeſimo ætatis ſuæ anno, beatus hic uir, miraculorum magnitudine clarus, abijt ad Dominum. Apud Lingonas, ſanctorum tergeminorum fra- 17.

trum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

trum, Speuſippi, Eleuſippi, et Meleuſippi martyrum: qui, uiginti quinque annos nati, cum Leonilla auia, et matre Ionilla, martyrium, Aureliano Imperatore, et Quadrato præſide, ſubierunt. Gemini, uerſo deorſum capite, in arbore pedibus ſuſpenſi, inde præcipites in ignem deiecti, flammæ ui non læſi, in ſummis cruciatibus precando, migrarunt in cælum. quorum martyrio perſpecto Iouilla mater, conſtanti animo CHRISTVM confeſſa, acribus cruciata tormentis, una cum Leonilla, capite utrique abſciſſo, martyrij coronam adipiſcitur. Turbon autem, qui horum martyrum acta litteris mandauit, non multo poſt tempore ipſe quoque martyr effectus eſt. Neon uero, cognitis perſpectisq. eorum miraculis, fidem IESV CHRISTI amplexus, in hac confeſſione coronatur. Romæ, inuentio ſanctorum martyrum, Diodori presbyteri, Mariani diaconi, et ſociorum: qui, Stephano Primo Pontifice, et martyre, cum gloriæ coronam, in Numeriani Cæſaris perſecutione, acceperint; eorum corpora, Stephano Sexto, itidem Romano Pontifice, inuenta ſunt angeli admonitu; indictisq. litanijs, et religioſo apparatu, ac ſumma cleri, populiq. frequentia, in Baſilicam Lateranenſem, uariasq. urbis eccleſias ab eodem pontifice translata, decenti loco reconduntur. Bituricis, ſancti Sulpitij Pij, epiſcopi. is a puero ſacris litteris eruditus, et in diſciplinæ inſtitutis exercitatus, etiam laicus homo cum eſſet, omni uirtute præluxit: deinde monachus factus, indeq. abbas, poſtremo epiſcopus creatus, uitæ religione, et ſanctitate, miraculisq. clarus, quieuit in Domino. Romæ, ſancti etiam Antonij monachi, et confeſſoris: de quo Gregorius Magnus ſcribit. Sancti item Meruli monachi, cuius ille ipſe meminit. Eodem die, ſancti Genulphi primi epiſcopi Carthucenſis, et confeſſoris.

Deci-

Decimoquinto calen. Februarij. Luna. D.

26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

Romæ, Cathedra ſancti Petri Apoſtoli. Is decimo poſt 18.
CHRISTI *Domini mortem anno, qui annus in ſecundi anni finem incidit, quo Claudius Cæſar imperium obtinuit, annua prædicatione perfunctus, quam, e uinculis liberatus, peregrinando ſuſcepit, in urbem Romam primum ingreſſus eſt hoc ipſo die: qui propterea priſco eccleſiæ inſtituto, et conſuetudine, ad Romanæ beati Petri cathedræ celebritatem inſtitutus, poſt aliquando intermiſſus, in uſum et ueterem ritum, Pauli Quarti, Pontificis Maximi, decreto pie reuocatus eſt. Antiochiæ, translatio ſancti Ignatij epiſcopi, et martyris: cuius corpus Romã eo aſportatum eſt proximo poſt martyrium anno. Eius dies natalis calendis Februarij celebratur. Romæ, ſanctæ Priſcæ uirginis, et martyris. Hæc, patre conſulari nata, tertium et decimum annum agens, chriſtianæ fidei accuſata, Claudij Imperatoris iuſſu ad idolorum cultum impellitur, cui obfirmato animo reſtitit. quamobrem colaphis cæſa, in carcerem conijcitur. poſtridie inde educta, cum in eadem fidei cõſtantia permaneret, uerberibus excruciata, et feruenti adipe fœde delibuta, rurſus in cuſtodiam detruditur. triduo poſt leoni expoſita, nullo modo læſa, in ergaſtulum includitur: ubi inedia tridui ſpatio pene confecta, in equuleo ſuſpenditur: tum unguibus ferreis excarnificata, poſt in ignem poſita, inde admirabiliter Dei ope ſeruatur incolumis. Poſtremo extra urbem, præciſo capite, uirginitatis palmam martyrij corona cumulauit. Athenis, ſancti Publij epiſcopi, et martyris. Hic Melitæ inſulæ princeps*

ceps, beatum Paulum Apoſtolum, qui ad urbem nauigabat, hoſpitio recepit; in Dionyſijq. Areopagitæ locum illius urbis epiſcopatui ſucceſſit: ubi doctrina, et uirtutibus clarus, ob CHRISTVM Dominum martyrio coronatur. In Ponto ſanctorum martyrum, Moſei et Ammonij: qui milites cum eſſent, primum ad metalla damnati, poſt inde erepti, uarijsq. cruciamentis affecti, igni denique, Decio Imperatore, comburuntur ob CHRISTI fidem. Cæſareæ in Paleſtina, ſanctorum Priſci, Malchi, et Alexandri, martyrum. ij, Valeriano Auguſto, æternæ uitæ ſtudio accenſi, cæleſti, et diuino martyrio, ſumma conſtantiæ laude, decorantur. In urbe Apollonia, ſanctorum martyrum, Tyrſis, Seleuci, Caleniti, et Liberatæ, item uirginis. Lugduni, ſancti Peuſepij, et ſociorum martyrum: qui, Aureliano Cæſare, coronantur. Turone, ſancti Voluſiani epiſcopi, et martyris. Eodem loco, ſancti Leobardi confeſſoris: de cuius uita, religioſe acta, librum Gregorius Turonenſis conſcripſit. In Britannia, ſancti Deicolæ abbatis, et confeſſoris: qui beati Columbani diſcipulus extitit. Nouocomi, ſanctarum uirginum, Liberatæ, et Fauſtinæ. Venetijs, translatio ſanctæ Luciæ uirginis.

E. XV. Decimo quarto calen. Februarij. Luna.

27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

19. Romæ, uia Cornelia, ſanctorum martyrum, Marij, et Marthæ, coniugum, Audifacis, et Abacuc filiorum. Illi in Perſia nobili loco nati, una cum duobus ijs liberis, Claudio Imperatore, Romam profecti, martyrum corpora ſepeliebant: Chriſtianos, uel in carcerem detruſos, uel uerberibus affectos, uel ab omni re familiari

liari nudos, opera, ſuisq. facultatibus ſuſtentabant. hac eorum pietate cognita, Claudius iratus negotium dat Muſiano, urbis præfecto, ut comprehenſos illos, quouis tormentorum genere diſcruciet, niſi repudiato chriſtianæ fidei cultu, dijs immolarent: at ij perpetua conſtantia roborati, cum nec minis, nec terroribus commouerentur, ut idolorum ſacra ſuſciperent; primum fuſtibus debilitati, deinde equuleo torti, tum candentibus laminis ſemiuſtulati, et unguibus ferreis excarnificati ſunt. quibus cruciamentis dum afficerentur; uno omnes ore canebant gloriam Deo. itaque poſtremo, abſciſsis manibus, et ad collum alligatis, per mediam urbem ducti, ad tertium et decimum ab urbe lapidem necati ſunt. Smyrnæ, ſancti Germanici martyris: qui, Marco Antonio, et Lucio Aurelio Imperatoribus, excruciatus multis tormentis, demum truculentæ beſtiæ obijcitur: cuius morſibus, et dentibus confectus, uero pani, hoc eſt CHRISTO IESV, pro cuius fide moriendo, meruit incorporari. Spoleti translatio ſancti Pontiani martyris: de quo ſupra decimo octauo calendas Februarij. In Africa, ſanctorum martyrum, Pauli, Gerontij, Ianuarij, Saturnini, Suceſſi, Piæ, Germanæ, Iulij, et Cati. In Gallia, ſanctæ Blandinæ, et ſociorum martyrum, Attali, Maturi, et Pontici: qui cruciatibus uarie affecti, Antonino Imperatore, tandem, ſanguine profuſo, præclarum religionis chriſtianæ teſtimonium dederunt, ut epiſtola de ijs ſcripta extat ad eccleſias Aſiæ. Laude, ſancti Baſsiani epiſcopi, et confeſſoris. Hic Syracuſis natus, Romam a Sergio patre ſtudiorum cauſa miſſus, a Gordiano presbytero, in cuius diſciplinam ſe tradiderat, baptizatus eſt. qua ſane re cognita, pater a chriſtiana religione auerſus, cum ab ſuſcepta fide adoleſcentem filium reuocare ſtuderet; diuino quodam admonitu ille Rauennam ſe

contulit, ubi in oratione frequens, et uitæ ſanctitate clarus, multa ad I E S V C H R I S T I *laudem mirabiliter geſſit. Inde Laudum uenit: cuius urbis factus epiſcopus, cum id munus religioſe adminiſtraret, multa etiam edidit miracula. Mediolanum uocatus ad beatum Ambroſium ægrotantem, clericis diem certum, quo ille ex hac uita migraret, præſignificauit: ei iuſta pie perſoluit. poſt ad eccleſiam Laudenſem reuerſus, et miraculorum multitudine, et uitæ exemplo inſignis, in pace quieuit, annum agens nonageſimum. Carnuti, ſancti Malardi epiſcopi, et confeſſoris. Eodem die, in pago Dorcaſſino, ſancti Launomarci confeſſoris: cuius res mirabiliter religioſeq. geſtæ leguntur. Lugduni, ſancti Niceti epiſcopi, et confeſſoris. Vigorniæ in Anglia, ſancti Volſtani epiſcopi, et confeſſoris. Vſpali in Suetia, ſancti Henrici epiſcopi, et martyris. Is Anglus, Vſpalenſis eccleſiæ epiſcopus factus, una cum Henrico, Suetiæ rege, uiro ſanctiſſimo, in Belgas fidei propagandæ cauſa profectus, eius rei nomine a nefario quodam homine contrucidatus eſt. Brixiæ, Inuentio ſanctorum martyrum, Peregrini, Siluani, Felicis, et Afræ martyris: de qua nono calen. Iunij.*

F.iiii. **Decimotertio calen. Februarij. Luna.**

28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

20. *Romæ, ſancti Fabiani papæ, et martyris. Hic e patre Fabio natus, presbyter cum eſſet, in beatorum martyrum corporibus humandis pie occupatus, Pontiani pontificis, et martyris, qui, fidei cauſa in exilium miſſus, obijt, corpus a ſe Romam delatum, in cœmiterio Calixti, et Antherum pontificem, ac martyrem etiam,*

in

in cuius locum is proxime ſucceßit, in uia Appia ſepeliuit. Pontifex autem factus, urbis regiones diaconis ſeptem diſtribuit: totidem ſubdiaconos creauit, qui martyrum res geſtas, a ſeptem notarijs memoriæ litterisq. conſignatas, colligerent. Epiſtolam ad epiſcopos Orientis ſcripſit de ſacro Chriſmate: alteram ad Hilarium epiſcopum, qua peregrina iudicia uetuit. Ei Origenes, cum Pontifici Romano fidei rationem reddi oportere ſciret, litteras miſit, quibus ſe quorundam erratorum ſuorum pœnitere oſtendit. At beatus Fabianus, multis pro eccleſia Dei pie fortiterq. geſtis, cum ſediſſet annos quattuordecim, menſes undecim, dies quindecim, Decio Imperatore, rem chriſtianam inſenſe oppugnante, martyrij palmam adeptus, in cœmiterio Calixti, uia Appia ſepellitur. Romæ item, ad Catacumbas, ſancti Sebaſtiani martyris: qui e patre Narbonenſi, matre Mediolanēſi natus, cum Mediolani animaduerteret, aut nullum eſſe, aut tepere certamen; Romam profectus, ubi propter fidei ſtudium perſecutiones acerbæ ferucbant, ibi paſſus, ibiq. coronatus, quo hoſpes aduenit, domicilium immortalitatis perpetuæ collocauit. Chriſtianæ enim fidei accuſatus, Diocletiani Imperatoris iuſſu, palis alligatus, ſagittis configitur. opinione igitur omnium cum mortuus putaretur: uiuus tamen noctu inuentus eſt ab Hirene pia muliere. cuius cura a uulnerum morbo ille paulo poſt confirmatus, Imperatoris impietatem liberius accuſat. ſicq. iterum comprehenſus, tamdiu uirgis cæditur, quoad animam Deo reddidit. Apud Taurinos, ſanctorum martirum, Solutoris, Aduentoris, et Octaui: de quibus etiam fit duodecimo calen. Decembris. Ceſenæ, ſancti Mauri epiſcopi, et confeſſoris: cuius uitam, pie, ſanctißimeq. actam, et res diuinitus geſtas, Petrus Damianus litteris ad poſteritatem prodidit. Lugduni, ſancti Clementis presbyteri, et confeſſoris.

G. Duodecimo calendas Februarij. Luna.

29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

21. *Romæ, ſanctæ Agnetis uirginis: quæ tredecim annos nata, mortem perdidit, et uitam inuenit, quia ſolum uitæ dilexit auctorem: primo enim* CHRISTI IESV *amore flagrans, conſtantiſsima uoluntate, inuictoq. animo, et Symphronij urbis præfecti filio nubere, et Veſtæ cultum tribuere recuſauit. quamobrem Aſpaſij Vicarij, cui præfectus illius cauſam delegarat, iuſſu in ignem uirgo coniecta, non læſa tamen, eo mirabiliter reſtincto, demum gladio percuſſa, migrat in cælum. De cuius nobili martyrio cum ſæpe beatus Ambroſius, tum alij patres ſermonem habuerunt. Athenis, ſancti Publij epiſcopi, et martyris. Hic ciuis Romanus, Melitæ inſulæ princeps, beati Pauli Apoſtoli diſcipulus, diuinarum humanarumq. litterarum ſcientia præſtans, in ſancti Dionyſij Areopagitæ locum ſuffectus, Athenienſium eccleſiæ præfuit: multarumq. uirtutum, et rerum, quas diuine geſſit, laude clarus, pro* CHRISTI *gloria martyrium ſubijt. Tarraconæ in Hiſpania, ſanctorum martyrum, Fructuoſi epiſcopi, Augurij, et Eulogij diaconorum. Hi primum, Galieno Cæſare, ab Aemyliano præſide, in cuſtodia multos dies uarie cruciati, demum inde educti, in flammam conijciuntur: ſieq. uinculis exuſtis, quibus aſtricti erant, manibus expanſis Deum precando, martyrij coronam adepti ſunt. Hieroſolymæ, ſancti Publij item epiſcopi: qui multos annos cum eccleſiam Hieroſolymitanam religioſe adminiſtraſſet, pietatis meritis ornatus, obdormiuit in Domino. Eodem die ſancti Mennij epiſcopi. Is ciuis Romanus, beati Pe-*

ti Petri, Apoſtolorum principis, diſcipulus, Cathalanenſis epiſcopus ab eo conſecratus, in Galliam una cum ſancto Dionyſio Areopagita profectus, octuaginta annis eccleſiam, ſibi commiſſam, adminiſtrauit. quo munere pie ſolliciteq. perfunctus, Adriano Imperatore, ſanctiſſime obdormiuit in Domino. Trecaſſi apud Sennones, ſancti Patrocli martyris. Hic abſtinentiæ deditus, ſemel in die, hora ultima cibum capiebat; egentes patrimonio alebat; omnis chriſtianæ uirtutis, et uirginitatis in primis cultor egregius, uitam cæleſtem in terris imitabatur. In ijs ſanctiſſimæ uitæ inſtitutis cum ille uerſaretur: tunc excitata perſecutionis tempeſtate, Aureliani Imperatoris iuſſu, tormentis affectus, in ſumma accerbitate animo mirandum in modum confirmato ad tuendam fidem, demum ad Sequanā fluuium pro CHRISTI IESV *gloria ſecuri percuſſus, martyrij præmiū conſequitur. Ancyræ in Galatia, ſancti Buſyris martyris. Is, Iuliano Imperatore, gentilium cultum, atque impietatem uehementer inſectans, pro* CHRISTI *religione ungulis ferreis dilaceratus, tum multis alijs cruciamentis tortus, conſtanti animo martyrium ſubijt. Papiæ, ſancti Epiphanij Epiſcopi, et confeſſoris: qui uiduarum, et pupillorum parens, ciuium, atque omnium in ſumma Italiæ perturbatione defenſor, clara uirtute, magnaq. ſanctitate Epiſcopus, cum unum et triginta annos Papienſi eccleſiæ præfuiſſet, miraculorum etiam magnitudine illuſtris, abijt ad Dominum. Eodem die, ſancti Meinrardi heremitæ, et martyris: qui ab adoleſcentia monachus factus, heremiticæ uitæ ſtudio exardeſcens, in ſolitudinem quandam ſeceſſit: ubi in aſſiduis precibus, ieiunio, abſtinentia, alijsq. ſanctis exercitationibus, ſex et uiginti annos cum conſumpſiſſet, à latronibus duobus occiſus, dum animam agebat, ſuauiſſimo odore omnem cellulæ locum compleuit. In lectulo autem eius corpus*

mor-

mortuum ab eiſdem collocatum cum iacebat: id diuinitus factum eſt, quòd ad illius caput candela, per ſe mirabiliter accenſa, colluxit. Sicq. uir Dei, factis etiam alijs ſanctitatis ſuæ admirandis ſignificationibus, uirtutum meritis cumulatus, migrauit ad cæleſte præmium.

A. xii. Vndecimo calendas Februarij. Luna.

30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

22. *Valentiæ in Hiſpania, ſancti Vincentij Diaconi, et martyris. Hic prædicationis Euangelicæ accuſatus, Valentiam ad Dacianum præſidem, Diocletiano Imperatore, uinctus ducitur. ubi uerberibus cæſus, equuleo tortus, teſtarum aculeis cruciatus, prunis ſuccenſis, in craticula impoſitus, ferreis ungulis dilaceratur, candentibusq. laminis exuſtus, conſtanter ſuperata ignis, ferri, et tortorum immanitate,* IESV CHRISTI *fide, et ſpe communitus, ad martyrij præmium abijt in cælum. Epheſi, ſancti Timothei, beati Pauli Apoſtoli Diſcipuli. Is, Lyſtris in Licaonia natus, à pueritia in ſacris litteris, et pietate eruditus, quo tempore Apoſtolus Paulus eo uenit, religionem chriſtianam coluit; ut pote cum matrem Eunicem haberet, mulierem,* IESV CHRISTI *fidei ſtudio flagrantem. peruulgata eius adoleſcentis uirtutum fama, illum ſibi comitem peregrinationis, et ſocium laborum Apoſtolus adiunxit; ſicq. adiutorem operis in euangelio* CHRISTI *eundem ubique adhibuit. Siquidem hic unà cum illo propagandæ fidei cauſa modo Epheſum, modo Corinthum profectus, Macedoniã, etiam, Italiam, atque uniuerſam terram, prædicando peragrauit. Fuit autem admirabili indole adoleſcens; pudice, et caſte perpe-*

tuo

tuo uixit, prudentia, ſapientiaq. ita præſtitit, ut omne miniſterium ei Apoſtolus concrederet; in Macedoniaq. curam illorum traderet, qui euangelium ſuſceperant. Demum Epheſiorum factus epiſcopus, dum ab Dianæ cultu populum auocare conatur, Domitiano Imperatore, lapidibus à multitudine pene obrutus, chriſtianorum ope eo periculo liberatus, ad finitimum montem, qui Pion dicitur, uenit, ubi animam Deo reddidit. Eius corpus Conſtatinopolim poſt, Conſtatino Auguſto procurante, translatum eſt. Eodem die Ebreduni in Gallia, ſanctorum martyrum, Honorij, Victoris, et Horontij. qui, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, Ruffini præſidis iuſſo, uarie necati, martyrio coronantur. In Græcia, ſancti Maximi epiſcopi. is natus Alexandriæ, philoſophiæ, theologiæq. ſcientia eruditus, Conſtantinopolis epiſcopus creatus, fidei catholicæ cauſa ab Arianis uirgis cæſus, et in exilium pulſus, præclarum contra illorum impietatem librum edidit, quem Mediolani Gratiano principi dedit. Vir fuit ſpectata uitæ ſanctitate, et inſigni uirtute epiſcopus, beati Gregorij Nazianzeni concione laudatus, pro CHRISTI *Domini gloria multis uexatus contumelijs, plurimisq. laboribus perfunctus, ad præmium migrauit in cælum. Nouariæ, Sancti Gaudentij epiſcopi, et Confeſſoris. Hic primus illius urbis epiſcopus, multa mirabiliter ac diuine geſsit; uitæq. ſanctitate clarus quieuit in Domino. eius corpus, a ſuis clericis pie ſepultum, claruit multis miraculis. Romæ, ſancti Anaſtaſii abbatis, et confeſſoris. Is primo Romanæ eccleſiæ notarius, poſt eo munere ſeſe abdicat, ut in religionem totum ſe Deo conſecraret. profectus igitur in monaſterium, quod eſt ad Neptunum oppidum, monachalis uitæ rationem ſuſcepit: ibiq. abbas factus, pietate, religione, ſanctimonia præluxit. Romæ item ſancti Anaſtaſii monachi, et martyris. Hic Ceſareæ in Paleſtina*

na uerberibus, alijsq. multis cruciamentis uarie tortus, demum in Perſia ob chriſtianam religionē ſuppliciorum acerbitate affectus, Coſroæ regis iuſſu, una cum ſocijs ſeptuaginta ſecuri percuſſus, martyrij coronam accepit. Eius reliquiæ, Hieroſolymis Romam translatæ, in monaſterio ad aquas Saluias coluntur. Hoc ipſo die, ſancti etiam Vincentij, presbyteri, & martyris.

B. i. Decimo calendas Februarij. Luna.

1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

23. *Romæ, ſanctæ Emerantianæ uirginis, et martyris. Hæc beatæ Agnetis collactanea, ad illius ſepulcrum orans, ab idolorum cultoribus obruta eſt lapidibus. Philippis in Macedonia, Sancti Parmenæ martyris. Is, è ſeptem diaconis, quos Apoſtoli conſtituerunt, unus, munere ſuo recte religioſeq. perfunctus, Traiano Imperatore, multis uexatus contumelijs pro Chriſti laude, demū martyrio coronatus eſt. In Egypto apud Antinoum urbem, ſancti Aſelæ martyris. qui primo cruciamentis acerrimis uarie affectus, poſtremo in Nilum fluuium præceps deiectus, præclaræ ſuæ confeſsionis proœmium tulit. Cæſarauguſtæ in Hiſpania, ſancti Valerij epiſcopi: qui, Datiani præſidis iuſſu, ab epiſcopatu in exilium pulſus, pro fide multa perpeſſus, miraculorum laude clarus, quieuit in Domino. Neocæſariæ in Macedonia, ſanctorum martyrum, Seueriani, et Aquilæ coniugum, et Flori filij. Ii pro perpetua fidei tuendæ conſtantia combuſti, ad præmium abierunt in cælum. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Ioannis Eleemoſinarij. Hic cum religioſæ omnis uitæ, tum miſericordiæ, qua conferendis eleemoſynis in pauperes uſus eſt, ſtudio uir illis temporibus prælucens*

lucens

lucens, cæleſtium uirtutum tam multiplex exemplum reliquit, ut illius res pie geſtas, a Leontio Cyprio græce conſcriptas, Nicolaus Primus Pontifex ab Anaſtaſio Bibliothecario latine reddi uoluerit. Ancyræ, ſancti Clementis epiſcopi, et martyris; qui, Diocletiano Imperatore, inauditis excruciatus ſupplicijs, ijsq. multis ac uarijs demum, cum conſtanter in fide perſiſteret, præciſo capite, martyrij coronam accepit. Moguntiæ, ſanctorum martyrum, Macarij Abbatis, et Eugenij. In Burgundia ſancti Maibodi martyris. Viennæ in Gallia, ſancti Bernardi epiſcopi, et confeſſoris. Toleti, in Hiſpania, ſancti Ildephonſi epiſcopi, et confeſſoris. Is parentibus, et genere, et pietate clariſsimis, natus, ab ineunte ætate religioni deditus, primum monachus, in eo uitæ genere multis uirtutibus, et ſanctimonia floruit: poſt è monaſterio Toletum uocatus, illius urbis epiſcopus creatus, id muneris inuitus ſuſcepit: at geſsit pie et religioſe. Eodem die, ſancti Martyrij monachi, et confeſſoris: cuius beatus Gregorius pontifex res aliquas geſtas commemorat.

Nono calendas Februarij. Luna. C.

2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Antiochiæ, ſancti Babylæ, epiſcopi; et trium puerorum, Vrbani, Prilidiani, et Epulonij, martyrum. Ille, uitæ meritis, et doctrina præſtantiſsimus, eius urbis factus epiſcopus, Decio Imperatore, cum Numerianum præſidem, tamquam nefarium paricidam, qui regios pueros, ſibi in fidem traditos, necaſſet, in templum ingredi conantem, ab aditu prohibuiſſet; id iniquo animo tyrannus ferens, primo illum in cuſtodiam includi, tum cathenis 24.

ferreis uinctum, in omnes urbis partes raptari, demum una cum tribus ijs pueris, quos chriſtianæ religionis doctrina inſtruxerat, capite mulctari imperat. Eius corpus, cum uinculis ferreis, ut is iuſſerat, ſepultum, poſt, Galli Cæſaris iuſſu, Daphnem, ubi Oracula Apollo reddebat, translatum, cum eam ob cauſam dæmon illico mutus factus eſſet, ea re animaduerſa, Iulianus Apoſtata inde aſportari iuſſit. Sicq. demum martyris reliquijs Conſtantinopolim religioſe per chriſtianos translatis, hoc mirabiliter factum eſt, ut paulo poſt Apollinis, et templum corrueret, et ſimulacrum, igne cælitus emiſſo, confragaret. Neocæſareæ in Mauritania, ſanctorum martyrum, Mardonij, Eugenij, Mauſonij, et Matelli. Ii quattuor in ignem poſiti, conſtanti confeſſione, CHRISTO redemptori illuſtre teſtimonium reddiderunt. Eodem die, ſancti Feliciani epiſcopi, et martyris: qui, Decio Imperatore, uarie, grauiterq. excruciatus, curſu præclari certaminis confecto, ad præmium migrauit in cælum. Hoc ipſo die, ſanctorum martyrum, Pauli, Pauſinij, et Theodotionis. Hi germani fratres, ſpretis, et contemptis uitæ huius caducis rebus, primùm monachalem diſciplinam complexi ſunt: poſt illi duo maiores natu, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, ob fidem in carcerem detruſi, Ariani præfecti iuſſu teterrimis tormentis affecti ſunt. Theodotio autem fratrum deſiderio, quos in uinculis eſſe audierat, ad urbem profectus, cum illorum admirandam in perferendis cruciatibus conſtantiam aliquando ſpectaret; et præmia eiſdem propoſita ſecum reputaret; in medium accurrit; ſeq: etiam chriſtianum eſſe, libere profeſſus, ſecuri percutitur: illi in profluentem proijciuntur. Cameraci, ſancti Autberti epiſcopi, et confeſſoris: qui, Martino primo Pontifice, religioſiſſimæ uitæ laude floruit. Aruernis, ſancti Artenij epiſcopi, cuius res pie, ac diuinitus actæ narrantur.

Octauo calendas Februarij. Luna. D. ix.

3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 25 7 19 29 10 21
A b e d e f g h i k l m n o p q r ſ t

Conuerſio ſancti Pauli Apoſtoli: quam beatus Lucas Euangeliſta in Apoſtolorum acta retulit. Eodem die, ſancti Ananiæ: qui apoſtolum Paulum baptizauit, primus Damaſci urbis epiſcopus extitit. Aruernis in Gallia, ſanctorum martyrum, Donati, Agapæ, et Sabini. Conſtantinopoli in Thracia, ſanctorum, Iuuentini, et Maximi, martyrum: quorum res geſtas beatus Ioannes Chryſoſtomus concione complexus eſt. Eodem die, Gabalis, ſancti Seueriani epiſcopi. is admiranda ſanctitate doctrinaq. præſtanti uir, et diuinarum litterarum ſcientia in primis eruditus, cum libros præclare conſcripſit, tum in concionibus egregie uerſatus, ab Archadio Auguſto ob eam cauſam ſæpe Conſtantinopolim accerſitus eſt. Aruernis item, ſancti Præiecti epiſcopi, et martyris: qui ab illis ciuitatis principibus pro fide CHRISTI *grauiter uexatus, demum martyrio coronatur. Hoc ipſo die, ſancti Marini Abbatis: qui una cum eo ob religionem necatus, conſtanti fortiq. certamine palmam tulit. In Græcia, ſancti Gregorij Theologi, epiſcopi et confeſſoris: de quo, ſeptimo idus Maij. Antiochiæ, ſancti Maximi epiſcopi, et Confeſſoris.* 25.

Septimo calendas Februarij. Luna. E.

14 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

Smyrnæ, ſancti Polycarpi epiſcopi, et duodecim ſociorum mar- 26.

tyrum

D tyrum. Is beati Ioannis Apoſtoli, et Euangeliſtæ diſcipulus, Irenæiq. magiſter, ſanctitate, doctrina, et omni uirtutum laude clarus, Smyrnenſium epiſcopus, Aniceto Pontifice, Romam uenit: multos ab Valentini, et Cerdonis impietate ad ueram catholicæ fidei doctrinam reuocauit: ad Philippenſes ualde utilem epiſtolam ſcripſit: Apoſtolicas traditiones diligenter docuit: Demum, Marco Antonino, et Lucio Aurelio imperatoribus, comprehenſus, cæleſti uoce ad ſubeundum certamen confirmatus, admiranda conſtantia pugnam ſuſtinet; ſicq. frequentiſſima iudæorum, et græcorum multitudine acclamante, primo in ignem poſitus, tum in rogo gladio confoſſus, migrauit ad CHRISTVM Dominum. Duodecim alij, è Pamphylia profecti, una cum eo martyrium ſubierunt. Laodiceæ, ſanctorum martyrum, Theogenis, et aliorum triginta ſex ſociorum: qui, contempta morte pro CHRISTI gloria, ſempiternam uitam adepti ſunt. Eodem die, ſancti Iuliani martyris. In finibus Pariſiorum, ſanctæ Bathildis reginæ, quæ Lotharij Regis mater, Vitaliano Pontifice, rerum; quas diuine pieq. egit, laude illuſtris, quieuit in Domino. In Belgis, ſancti Goberti confeſſoris. In Græcia, ſancti Xenophontis confeſſoris. Hic excellenti in Deum pietate, ergaq. pauperes benignitate incredibili, Hieroſolymam profectus, monaſticæ uitæ inſtituta ſuſcepit: in eaq. uiuendi ratione ita ſe excoluit, ut Dei gratia, ac dono multis mirabiliter geſtis rebus, actaq. ſanctiſſime uita, abierit ad Dominum. Treuiris, ſancti Marij epiſcopi, et confeſſoris. Florentiæ, translatio ſancti Zenobij epiſcopi, et confeſſoris. Apud Centum cellas, ſancti Theophanij confeſſoris: cuius uitam, et uirtutes beatus Gregorius Pontifex litteris mandauit.

Sexto

Sexto calendas Februarij. Luna. xvii. F.

15 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

Sancti Ioannis Chryſoſtomi epiſcopi, et confeſſoris. Hic ab 27.
ſecularibus ſtudijs ad diuina conuerſus, primò Antiochenæ eccleſiæ presbyter; poſt, mortuo Nectario, Conſtantinopolitanæ eccleſiæ epiſcopus creatus, christianæ religioni plurimum profuit et exẽplo, et doctrina. Cuius ſancti uiri reliquiæ trigeſimo poſt anno, quàm is ex uita hac migrauit, Proclo Conſtantinopolitano patriarcha auctore, Theodoſii Augusti iuſſu, Conſtantinopolim hoc ipſo die aſportatæ, in ſanctorum Apoſtolorum templo collocatæ; inde Romam poſt translatæ, in Baſilica Vaticana reconditæ ſunt. Eodem die, ſancti Ananiæ martyris: qui, Diocletiano Cæſare, apud Maximum præfectum, christianam fidem ſponte profeſſus, grauiter in idolorum cultum inuectus eſt: itaque comprehenſus, primum uerberibus cæditur; deinde cadentibus ſubulis perfoditur, poſt, uulneribus, quæ ſic acceperat, ſale et aceto perfricatis, in cuſtodiam includitur, ut eo loco fame necaretur. ſed diuinitus factum eſt, ut per ſeptem dies cibo cæleſti is aleretur. Quod ubi animaduertit carceris cuſtos, Petrus, relicta impietate, christianam amplexus eſt religionem. quamobrem hic unà cum eo præfecti iuſſu rotæ alligatus, in craticula uterque collocatur ſuccenſo igne: quo derepente mirabiliter reſtincto, tortores ubi rei admirabilitatem perſpexerunt, CHRISTVM *Deum libera uoce profitentur. atque ſic quidem hi, qui ſeptem erant, et illi ambo, Ananias, et Petrus, in mare proiecti, ad martyrij palmam peruenerunt. Bethlehem in Iudea, ſanctæ Paulæ, matris Euſtochij uirginis.*

ginis. Hæc nobiliſsima mulier Romana, mortuo uiro, uidua Romæ quinque annos manſit; deinde omnem Iudæam, et Aegyptum religioſe peregrinata, in oppido Bethlehē conſedit; ubi, quattuor a ſe extructis monaſterijs, uiginti ipſos annos ſancte uixit. Cuius uitam, uirtutibus admirabilem, beatus Hieronymus ſcribit longo coronatam eſſe martyrio. In Africa, ſanctorum martyrum, Datij, Reatrij, Aemyliani, Archimini, Armati, Caij, Auiti, et Adiuti: qui, Vandalis eccleſiam Dei oppugnantibus, pro CHRISTI fide fortiter dimicatione ſuſcepta, martyrij coronam acceperunt. Hoc item die, ſanctorum, Doti, Iuliani, Vincentij, et uiginti ſeptem martyrum. Romæ, ſancti Pauli primi pontificis. Hic in pauperes, ægros, viduas, pupillos, alioſq. egentes, miſericordiam, et liberalitatem magnam contulit: beatæ Petronillæ uirginis corpus tranſtulit. Sancti præterea Vitaliani pontificis. Hoc etiam die, ſancti Mauri abbatis, et confeſſoris: cuius uita ſanctiſsime acta in Babucenſi monaſterio legitur. In Belgis, ſancti Sulpitij epiſcopi, et confeſſoris. Cabilonis, ſancti Lupi epiſcopi, et confeſſoris. Cenomanis, ſancti Iuliani epiſcopi: Hic oculorum aſpectum cæco, crucis ſigno reſtituit; tres mortuos orationis vi ad uitam reuocauit: Cenomanenſium principem, eiuſq. familiam uniuerſam ad ueri Dei cultum conuertit: eiuſdem ædes Deo in eccleſiam dicauit. His, alijſq. multis diuine, mirabiliterq. actis, uitæq. ſanctiſsime laude clarus, obdormiuit in Domino.

vi. G. Quinto calendas Februarij. Luna.

9	17	28	9	21	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

28. Romæ, ſanctæ Agnetis, ſecundo. idq. quoniam ea, parentibus,

tibus, aliquot dies ad ſepulcrum uigilantibus, apparuit. Apolloniæ, ſanctorum martyrum, Leucij, Tirſi, et Galenici. Hi præſidum iuſſu, Decio Imperatore, uarie excruciati, in ſumma confeſſionis conſtantia duo, ſecuri percuſſi ſunt. Tirſus autem, cæleſti uoce euocatus, animam Deo reddidit. Antiochiæ, ſancti Hippolyti martyris. Romæ, ſancti Flauiani martyris: cuius, in perſecutione Diocletiniana, certamen, pro C H R I S T O *ſuſceptum, nobile extitit. Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Indæ, et Domnes, et uiginti millium: qui, in Maximiani oppugnatione, conſtantiſſimæ pro fide dimicationis palmam, profuſo ſanguine, tulerunt. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Flauiani item epiſcopi, Deodati, et Pelagiani clericorum. Hi, Iuliano Apoſtata imperatore, cruciamentis ob fidem affecti, martyrij curſu confecto, coronantur. In Africa, ſanctorum, Cenſoriani, Victoris, Feſti, et Marinæ martyrum. Antiochiæ etiam, ſancti Iuliani Sabæ, heremitæ, omni pietatis, religioniſq. laude clariſſimi. Edeſſæ in Syria, ſancti Ephrem confeſſoris. Hic, maximis uirtutibus præſtans, Conſtantino Magno Imperatore, rem chriſtianam, et pie agendo, et utiliter docendo, ſcribendoq. ualde adiuuit. demum multis meritis cumulatus, extrema ſenectute, quieuit in Domino. Alexandriæ, ſancti Cyrilli epiſcopi, acerrimi, religioſiſſimiq. fidei catholicæ defenſoris. Rhemis in Gallia, ſancti Turpini, epiſcopi, & confeſſoris: qui diuinarum litterarum ſcientia eruditus, pauperum patronus, in ſanctiſſimæ uitæ inſtitutis pie uerſatus, multis mirabiliter diuina ope actis rebus, obdormiuit in Domino. Ciſonij in Belgis, ſancti Arnulphi martyris. Aquiſgrani in Germania, ſancti Caroli regis, confeſſoris. His, multis ædificatis auguſtiſſimis templis, et nationibus ad chriſtianam religionem à ſe conuerſis, alijſq. ſummo pietatis ſtudio præclare geſtis,*

Magni

Magni cognomen adeptus, tum demum in Domino quieuit, in ſanctorumq. numerum ab Paſchali Pontifice relatus eſt. Tornodori in Rhemorum finibus, ſancti Ioannis presbyteri, uiri Dei. Nouocomi, ſancti Rainaldi epiſcopi, et confeſſoris. Toloſæ tranſlatio ſancti Thomæ Aquinatis.

A. Quarto calendas Februarij. Luna.

7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

29. *Romæ, uia Numentana, ſanctorum martyrum, Papiæ, et Acauri: qui, animaduerſa Saturnini, et Siſinnij martyrum conſtantia, CHRISTI Domini fidem amplexi, Diocletiano Imperatore, à Laodicio urbis præfecto in uincula coniecti, poſt uirgis cæſi, poſtremo plumbatis tamdiu percuſſi, quoad animam Deo reddiderunt: quorum corpora beatus Marcellus Pontifex una cum Ioanne presbytero in ſepulturam tradidit. Eodem die Romæ item, ſanctorum, Cyriaci Aproniani, et ſociorum martyrum: qui, illo imperatore, ob fidem CHRISTI datis ceruicibus, coronati ſunt. Treuiris, ſancti Valerij epiſcopi. Hic unus è ſeptuaginta duobus diſcipulis, beati Petri, Apoſtolorum principis, auditor, in Galliam miſſus, ingenti ſollicitudine ad Euangelij propagationem attentus, mortuo Euchario, in eius locum creatus epiſcopus, cum annos quindecim Treuirenſi eccleſiæ præfuiſſet; uitæ innocentia, pietatis, epiſcopaliumq. uirtutum, laude florens, obdormiuit in Domino. Edeſſæ, ſanctorum martyrum, Sarbelij, et Barbeæ ſororis. Is idolorum ſacerdos à Barſimæo, illius urbis epiſcopo, impietatis uehementer reprehenſus, adiutrice Dei gratia, illius dictis audiens, chriſtiana religione imbuitur; unaq.*

cum

cum ſorore baptizatur. Quod cum Lyſias Præſes reſciſſet; comprehenſum Sarbelium, primo uirgis cædi, ſcalpro laniari, igne torreri; poſt binis lignis incluſum, ſecari; ac demum una cum ſorore, grauiſſime, et uarie ante cruciata, Traiano Cæſare, capite plecti imperauit. Hoc ipſo die, ſancti Hippolyti epiſcopi, et martyris, ac ſociorum. Hic, Claudio Imperatore, tanta Chriſtianorum cæde commotus, diuinoq. incenſus zelo, grauiter illum coram accuſauit. quamobrem tyrannus, corde ira cumulato, animoq. impotenti, iuſsit beatum Hippolytum, eiusq. ſocios, presbyteros, diaconos, acerbiſsime primum tortos, ſaxis grauiſsimis ad manus, pedesq. alligatis, in mare proijci. In Agro Trecaſsino, ſancti Fabiani martyris, Aureliano Imperatore, pro CHRISTI fide necati. Eodem loco, hoc ipſo die, ſancti Sauiani martyris, illo etiam imperante, in ſumma confeſsionis conſtantia, gladio percuſsi. Mediolani, ſancti Aquilini presbyteri, et martyris. Is fidei catholicæ tuendæ ſtudio inflammatus, Germaniam, Galliam, et Italiam peragrauit, contra Arianorum perfidiam dimicatione ſuſcepta: demum Mediolanum profectus, ab illis ob fidei catholicæ defenſionem teterrime necatus, ad præmiũ migrauit in cælum. Peruſiæ, ſancti Conſtantij epiſcopi, et martyris: qui beati Herculani epiſcopi diſcipulus, poſt illius obitum creatus epiſcopus, a Gothis fidei cauſa interfectus eſt una cum ſex alijs, qui ſecũ e Germania ad eam urbem peregrinati ſunt. Eodem die, ſanctæ Otiliæ uirginis.

Tertio calendas Februarij. Luna. xiiii. B.

8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

Antiochiæ, ſancti Hippolyti martyris: qui, Nouati ſciſ- 30.

 mate

mate aliquantulum primo deceptus; poſt, errati pertæſus, ad eccleſiam rediјt; in qua conſtanter permanens, pro fide illuſtre martyrium ſubijt. Edeſſæ in Syria, ſancti Barſimæi epiſcopi, et martyris: qui Sarbelium, ut ſupra narrauimus, ab idolorum cultu reuocatum, cum baptizaſſet, Traiano Imperatore, a Lyſia ob eam cauſam comprehenſus, grauiſſime cæſus, omni uirtutum laude, obijt in Domino. Eodem die, ſancti Alexandri. is, Decio Imperatore, ob fidem in uincula detruſus, inde cum ad tribunal ultro citroq. duceretur, in ipſis tormentis Deo gloriam tribuens, ſenex admodum, quieuit in Domino. Mutinæ, ſancti Geminiani epiſcopi, et confeſſoris: ad cuius ſepulcrum multa, Dei munere edita, miracula narrantur. Hieroſolymæ, ſancti Matthiæ epiſcopi: qui octauus poſt Iacobum Apoſtolum epiſcopus ei eccleſiæ præfuit. De eo res admirandæ, fideiq. plenæ commemorantur. Pro CHRISTI Domini gloria demum idem multa perpeſſus, migrauit in cælum. Mediolani, ſanctæ Sauinæ matronæ: cuius pietate, corpora beatorum martyrum, Naboris, et Felicis, ad illam urbem translata ſunt. Papiæ, ſancti Armentarij epiſcopi, et confeſſoris: cuius corpus, ubi reconditum eſt, diuino munere, multis miraculis eluxit. In Belgis apud Malbodium monaſterium, ſanctæ Aldegundæ uirginis: quæ Angeli admonitu, in uirginali uita perpetuo perſeuerans, tandem magno cum ſplendore cæleſtis luminis, ad uitam commigrauit æternam.

iiii.C. Pridie calendas Februarij. Luna.

9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

31. *Romæ, ſanctorum martyrum, Cyri, et Ioannis: hic Edeſſæ, ille*

ille Alexandriæ natus, uterque Romæ, Diocletiano Imperatore, in carcerem coniectus, uerberibus cæſus, accenſis facibus aduſtus, feruenti pice delibutus, tandem, præciſis ceruicibus, coronatur. Alexandriæ, ſancti Metrani martyris. Hic ab fidei hoſtibus uerba impia proferre iuſſus, hoc maxime recuſans, fuſtibus fractus, ac debilitatus, in uultu præacutis calamis percuſſus, ab urbe cruciatibus pulſus, lapidibus denique foris obrutus, obdormiuit in Domino. Hoc ipſo die, eadem in urbe, ſanctorum martyrum, Saturnini, Tarſichi, Gelaſij, Thyrſi, et Peliani: qui, clericalis ordinis homines, in Deciana perſecutione, uarie, grauiterq. cruciati, confirmatis mirandum in modum animis, in fidei confeſſione, corona cæleſti donati ſunt. Alexandriæ præterea, ſanctorum, Cyri etiam, Ioannis, Aſpaſiæ matris, et trium filiarum uirginum. quorum omnium martyrij, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, fortiter ſuſcepti conſecrata in terris memoria, in cælis ipſi gloria perfruuntur ſempiterna. Eodem die, ſanctæ Triphenis martyris. Hæc zelo chriſtianæ fidei, cuius erat ſtudioſiſſima, commota, cum ſacer dæmoni dies celebraretur, in medium procurrit, execrabilemq. idoli cultum deteſtata, et cultores impios, et ſpectatores reprehendens, uero Deo, repudiatis falſis Dijs, adhærendum eſſe oſtendit. quam ob cauſam Cæſarij præfecti iuſſu comprehenſa, in ignem inijcitur: a quo periculo liberata diuinitus, æquuleo ſuſpenditur; inde, ſoluta repente, in terram prolabitur, ubi defixis de induſtria præacutis clauis, grauiſſime confoditur. Poſt, beſtijs uarijs obiecta, neque ab ijs ullo modo uiolata, demum a tauro necata, martyrij præclari palmam tulit. Tridenti, ſancti Vigilij epiſcopi, et martyris. Is ciuis Romanus, 26 Iunij Athenis liberalium artium diſciplinis, ſacriſq. litteris eruditus, Tridentinorum epiſcopus factus, admiranda conſtantia illis euan

F 2 gelium

gelium Iesv Christi prædicauit: cuius nomine multis editis miraculis, eius diuinitatem palam docuit: contra hæreticos pie, et docte ſcripſit; nefarium Saturni cultum, qui in ualle quadam, ad Sarcham fluuium ſita, celebris erat, dum euertere contendit, ab illius loci incolis, barbaris hominibus, lapidibus obrutus eſt. Qua martyrij, et aliarum rerum, ſancte geſtarum, laude clarus, migrauit ad Dominum. Hoc etiam die, ſanctæ Marcellæ uiduæ: quæ contemptis opibus, ac nobilitate ſpreta, poſtq. uiri obitum, recuſatis alterius nuptijs, paupertatem, humilitatem, caſtitatem, ſacrarum litterarum ſtudium, precum aſsiduitatẽ, ceterasq. chriſtianæ pietatis exercitationes ita amplexa eſt, ut beati Hieronymi litteris commendata ſit illius uita, ſanctiſsime acta. Mediolani, ſancti Iulij confeſſoris. Hic, in Græcia natus, ab ineunte ætate, chriſtianæ religioni deditus, Romam peregrinatus, diu ad aquas Saluias fuit; inde in Liguriam uenit. qua in peregrinatione id maxime egit, quod ſibi de ædificandis Eccleſijs propoſitum, ab Theodoſio Imperatore impetrarat, ut ſibi liceret, in omnibus Imperij Romani prouincijs, ædes ſacras Deo cõſtruere, dirutis idolorum templis. Ea pietatis laude, uitæq. ſanctitate, miraculis comprobata, obdormiuit in Domino. Eboraci in Britannia, ſancti Gandi epiſcopi, et confeſſoris. Venetijs, Translatio ſancti Marci Euangeliſtæ, quæ, Valentino Pontifice, facta eſt.

Civraici in Gallia

Calendas Februarij. Luna.

10 21 2 15 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

ROMAE, ſancti Ignatij epiſcopi, et martyris. Hic Die 1.
Antiochenæ eccleſiæ tertius poſt beatum Petrum Apoſtolum epiſcopus, Traiano eccleſiam Dei oppugnante, Romam uinctus ducitur: ubi primum inauditis cruciamentis tortus, poſtremo leonibus rugientibus, Senatu ſpectante, obiectus, hoſtia CHRISTI *Domini efficitur. Smyrnæ, ſancti Pionij, et quindecim ſociorum martyrum. Is carceris, ubi multos ad martyrium confirmauit, ſitu, et ſquallore pene confectus, uarijs tormentis cruciatus, et clauis confixus, in igne denique poſitus, pro* CHRISTI *gloria id ſupplicium, Antonino Imperatore, fortiter ſubiens, migrauit in cælum. In Phrygia, ſancti Tryphonis martyris: qui chriſtianæ religionis cultor egregius, Decio Imperatore, Aquilini præfecti iuſſu comprehenſus, Nicæam perducitur: ubi ſumma hyeme per difficiles ancipitesq. locos raptatus; deinde humi præfixis clauis uolutatus; poſt accenſis facibus ſemiuſtulatus; demum ſecuri percuſſus, nobili martyrio coronatus eſt. Eodem die, ſanctorum martyrum, Victorini, Victoris, Nicephori, Claudij, Diodori, Serapionis, et Papiæ. Ii ciues Corinthij, chriſtianæ religionis accuſati, uarie necati, cæleſti præmio perfruuntur. Victorinus, oculo dextro eruto, præciſis manibus, et pedibus, in pila marmorea contuſus, animam Deo reddidit. Victor, abſciſſa lingua, idem ſupplicij genus inuicto animi robore ſubiens, migrauit in cælum. Nicephorus primo ita pedibus preſſus eſt, ut e naribus ſanguis eruperit;*

poſt

poſt capillis ſuſpenſus, tum in mortario demum pilo confractus, abijt ad Dominum. Claudius autem, manibus pedibusq. abſciſſis, in ignem coniectus; Diodorus, igni coctus; Serapio, ſublimibus pedibus pendens, capite mulctatus; Papias, ſaxo alligatus, in mare proiectus; ita nobilis martyrij coronam omnes acceperunt. Rauennæ, ſancti Seueri epiſcopi, et confeſſoris. Hic homo plebeius, lanificio ſibi familiæq. ſuæ uictum quæritans, quo tempore ea in urbe, Marcellino mortuo, de epiſcopo eligendo agebatur, epiſcopus diuinitus declaratus eſt, columba ad aures eius conuolante: quæ a ſe primum repulſa, iterum in illius capite conſedit. Sic igitur epiſcopatum adeptus, e lanario mirabiliter ſummus factus Theologus, in concilio Sardicenſi contra Arianos pro Athanaſio, ſingulari uirtute pugnauit: aliasq. multas res admirabiliter Dei munere geſſit. quarum rerum, et uitæ ſanctiſſimæ laude, uirtutumq. epiſcopalium meritis cumulatus, ſenio tandem confectus, cum de certo die, quo eſſet ex corpore in cælum migraturus, diuinitus certior factus eſſet, peractis de more ſacris, conuocatisq. omnibus ſacerdotibus, et uniuerſis Rauennatibus, grauiſſime de cæleſti gloria concionatus, ubi finem fecit, ueſtibus ſacris adhuc indutus, ad ſepulcrum proficiſcitur: ubi flexis genibus, et manibus, oculisq. in cælum ſubductis, tamquam preces ſuppliciter fundens, obdormiuit in Domino. Rothomagi, ſancti Seueri item epiſcopi, et confeſſoris. Hoc etiam die, ſanctorum epiſcoporum, et martyrum, Eugenij, Vindemialis, et Longini: quorum, in perſecutione Vandalica, pro fidei ſtudio ſuſceptæ dimicationes; in grege tuendo epiſcopales uirtutes; in cruciatibus perferendis conſtantia, martyrio etiam ſuſcepto, nobilitata; aliæq. res diuinitus, et mirabiliter geſtæ, monumentis conſignatæ leguntur. In Scotia, ſanctæ Brigidæ uirginis: quæ apud epiſcopum cum uirginitatem profiteretur,

fiteretur, lignum altaris tetigit: quod ſtatim uiride factum, argumento fuit eius ſanctitatis, et uirginalis caſtitatis. In Oppido Tricaſsinos ſancti Pauli epiſcopi, et confeſſoris; cuius uita ſanctitatis uirtutibus, et mors pretioſa, miraculis commendatur. Auguſtæ, ſancti Vrſi epiſcopi, et confeſſoris. Metis, ſancti Sigeberti regis, et confeſſoris: qui tum alijs multis admirandæ pietatis officijs, tum hoc etiam illuſtris extitit, quòd monaſteria uiginti exædificauit.

Quarto nonas Februarij. Luna. xi. E.

11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Purificatio Beatæ MARIAE Virginis. Cæſareæ, ſancti Cornelij Centurionis; qui a beato Petro Apoſtolo baptizatus, mortuo Zachæo, epiſcopali illius ciuitatis dignitate ornatus, munere eo ex euangelij lege adminiſtrato, ſanctitate clarus, quieuit in Domino. Romæ, ſancti Laureliani martyris: qui, Decio Imperatore, paſſus eſt: eius corpus in cœmiterio Calixti ſepultum, inde multis poſt annis Papiam translatum, religioſe colitur. Romæ item, uia Salaria, ſancti Aproniani martyris. Hic, a fide auerſus, cum eam uocem cælitus emiſſam, audiſſet, Venite benedicti, et reliqua, tunc chriſtianam fidem amplexus, a Siſinnio diacono, quem ad Laodicium præfectum paulo ante in iudicium adduxerat, baptizatus, et a Marcello Pontifice ſacro Chryſmate confirmatus, in CHRISTI confeßione, Maximiano Imperatore, martyrium ſubijt. Romæ præterea, ſanctorum martyrum, Fortunati, Feliciani, Firmi, Candidi, et Aurelij. Eodem die, ea ipſa in urbe, ſanctorum triginta millium martyrum,

qui,

qui, in perſecutione Diocletiniana, coronati ſunt. In Foro Sempronij, ſanctorum, Laurentij, et Hippolyti. Antiochiæ, ſancti Firmiliani epiſcopi, et confeſſoris: cuius res diuine geſtæ narrantur. Herbipoli, ſancti Burchardi epiſcopi, et confeſſoris: a quo primum ea ciuitas, CHRISTI IESV *ſacris imbuta eſt, atque inſtituta. In Aurelianis, ſancti Floſculi epiſcopi, et confeſſoris. Cantuariæ, in Britannia, ſancti Laurentij archiepiſcopi, qui beato Auguſtino, eiuſdem eccleſiæ præſuli, ſucceſſit. Hoc ipſo die, ſanctæ Sichariæ uirginis,* deo sacratae.

4 8y

+ Aurelianis

xix. F. **Tertio nonas Februarij. Luna.**

12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	1
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

3. *Sancti Blaſij, epiſcopi, et martyris. Hic Sebaſtæ in Cappadocia, Diocletiano Imperatore, Agricolai præfecti iuſſu in carcerem detruſus, in ſumma fidei conſtantia, primo uerberibus cæſus, poſt ferreis pectinibus dilaniatus, poſtremo ſecuri percuſſus, præclarum chriſtianæ religionis teſtimonium dedit; duobus item una ſecum pueris contrucidatis. Mulieres præterea ſeptem, quæ eius martyris ſanguinem collegerant, teterrimis excruciatæ tormentis, præclaro certamine nobiles, martyrij palmam tulerunt. In Africa, ſanctorum martyrum, Celerini diaconi, Celerinæ eius auiæ, Laurentini patrui, et Ignatij auunculi. Primo Celerinus Romæ, poſt beati Fabiani Pontificis martyrium, in ſummo perſecutionis impetu, una cum Moyſe, Maximo, Nicoſtrato, Rufino, Vrbano, et Sidonio, in cuſtodiam incluſus, præter ceteros omnia tormentorum genera conſtantiſſime ſuperauit. poſt, remiſſa paululum perſecutione, in Africam uenit: ubi, diuino admonitu, Le-*

ctor,

ctor, deinde diaconus factus, excitata uehementius Deciana contra eccleſiam oppugnatione, cum illius principe, et auctore congreſſus; dum inexpugnabili firmitate certaminis ſui aduerſarium uincit, uincendi ceteris uiam facit; non breui compendio uulnerum uictor, ſed adhærentibus diu, et permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator, à Domino accepit cæleſtis gloriæ coronam. Huic auia Celerina honore conſimili diuinæ dignationis æquatur. Patruus præterea eius, et auunculus, Laurentinus, et Ignatius, in caſtris ipſi quondam ſæcularibus militantes, ſed ueri ſpiritalesq. Dei milites, dum Satanam CHRISTI confeſſione proſternunt, palmas à Domino illuſtri paſſione meruerunt. Ceſareæ, ſanctorum, Adriani, et Euboli, martyrum. Ii fidei tuendæ ſtudio incenſi, chriſtianis, qui in uinculis eſſent, animum addere; alios, à noſtra religione alienos, ad Dei cultum cohortari non deſinebãt. quam ob cauſam eos comprehenſos Fermilianus præfectus, primum uerberibus cædi, poſt, ſemiuſtulari, tum leonibus obijci iubet. Sed ab inferenda ſanctis iniuria feræ tantum abfuerunt, ut, flexis etiam poplitibus, pedes eorum lamberent. itaque iratior ille factus, martyres capite mulctauit. Hamburgi, ſancti Ansgarij epiſcopi, et confeſſoris. Hic Hamburgenſis primus Archiepiſcopus, ad populos omnes, qui in ſeptemtrionem pertinent, ſanctæ Romanæ ſedis legatus, procurandæ omnium ſaluti, propagandæq. religioni totus deditus, Suetiæ, et alijs prouincijs uerbum Dei prædicauit: epiſcopos, ac reges illius regionis, et litteris, et coram officij ſui libere monuit. ſic multis laboribus pro eccleſia Dei perfunctus ſanctiſſime quieuit in Domino. Traiecti, ſancti Remacli epiſcopi, et confeſſoris: cuius res admirandæ commemorantur, magna cum illius ſanctitatis teſtificatione. Lugduni, ſanctorum, Lupicini epiſcopi, et Felicis iti-

ginis. Hæc nobiliſsima mulier Romana, mortuo uiro, uidua Romæ quinque annos manſit; deinde omnem Iudæam, et Aegyptum religioſe peregrinata, in oppido Bethlehē conſedit: ubi, quattuor ab ſe extructis monaſterijs, uiginti ipſos annos ſanctè uixit. Cuius uitam, uirtutibus admirabilem, beatus Hieronymus ſcribit longo coronatam eſſe martyrio. In Africa, ſanctorum martyrum, Datij, Reatrij, Aemyliani, Archimini, Armati, Caij, Auiti, et Adiuti: qui, Vandalis eccleſiam Dei oppugnantibus, pro CHRISTI fide fortiter dimicatione ſuſcepta, martyrij coronam acceperunt. Hoc item die, ſanctorum, Doti, Iuliani, Vincentij, et uiginti ſeptem martyrum. Romæ, ſancti Pauli primi pontificis. Hic in pauperes, ægros, uiduas, pupillos, alioſq. egentes, miſericordiam, et liberalitatem magnam contulit: beatæ Petronillæ uirginis corpus tranſtulit. Sancti præterea Vitaliani pontificis. Hoc etiam die, ſancti Mauri abbatis, et confeſſoris: cuius uita ſanctiſsime acta in Babucenſi monaſterio legitur. In Belgis, ſancti Sulpitij epiſcopi, et confeſſoris. Cabilonis, ſancti Lupi epiſcopi, et confeſſoris. Cenomanis, ſancti Iuliani epiſcopi: Hic oculorum aſpectum cæco, crucis ſigno reſtituit; tres mortuos orationis vi ad uitam reuocauit: Cenomanenſium principem, eiuſq. familiam uniuerſam ad ueri Dei cultum conuertit: eiuſdem ædes Deo in eccleſiam dicauit. His, alijſq. multis diuine, mirabiliterq. actis, uitaq. ſanctiſsime laude clarus, obdormiuit in Domino.

vi. G. Quinto calendas Februarij. Luna.

9	17	28	9	21	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

28. Romæ, ſanctæ Agnetis, ſecundo. idq. quoniam ea, parentibus,

tibus, aliquot dies ad ſepulcrum uigilantibus, apparuit. Apolloniæ, ſanctorum martyrum, Leucij, Tirſi, et Galenici. Hi præſidum iuſſu, Decio Imperatore, uarie excruciati, in ſumma confeſsionis conſtantia duo, ſecuri percuſsi ſunt. Tirſus autem, cæleſti uoce euocatus, animam Deo reddidit. Antiochiæ, ſancti Hippolyti martyris. Romæ, ſancti Flauiani martyris: cuius, in perſecutione Diocletiniana, certamen, pro C H R I S T O *ſuſceptum, nobile extitit. Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Indæ, et Domnes, et uiginti millium: qui, in Maximiani oppugnatione, conſtantiſsimæ pro fide dimicationis palmam, profuſo ſanguine, tulerunt. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Flauiani item epiſcopi, Deodati, et Pelagiani clericorum. Hi, Iuliano Apoſtata imperatore, cruciamentis ob fidem affecti, martyrij curſu confecto, coronantur. In Africa, ſanctorum, Cenſoriani, Victoris, Feſti, et Marinæ martyrum. Antiochiæ etiam, ſancti Iuliani Sabæ, heremitæ, omni pietatis, religionisq. laude clariſsimi. Edeſſæ in Syria, ſancti Ephrem confeſſoris. Hic, maximis uirtutibus præſtans; Conſtantino Magno Imperatore, rem chriſtianam, et pie agendo, et utiliter docendo, ſcribendoq. ualde adiuuit. demum multis meritis cumulatus, extrema ſenectute, quieuit in Domino. Alexandriæ, ſancti Cyrilli epiſcopi, acerrimi, religioſiſsimiq. fidei catholicæ defenſoris. Rhemis in Gallia, ſancti Turpini, epiſcopi, & confeſſoris: qui diuinarum litterarum ſcientia eruditus, pauperum patronus, in ſanctiſsimæ uitæ inſtitutis pie uerſatus, multis mirabiliter diuina ope actis rebus, obdormiuit in Domino. Ciſonij in Belgis, ſancti Arnulphi martyris. Aquisgrani in Germania, ſancti Caroli regis, confeſſoris. His, multis ædificatis auguſtiſsimis templis, et nationibus ad chriſtianam religionem à ſe conuerſis, alijsq. ſummo pietatis ſtudio præclare geſtis,*

Magni

Magni cognomen adeptus, tum demum in Domino quieuit, in ſanctorumq. numerum ab Paſchali Pontifice relatus eſt. Tornodori in Rhemorum finibus, ſancti Ioannis presbyteri, uiri Dei. Nouocomi, ſancti Rainaldi epiſcopi, et confeſſoris. Toloſæ translatio ſancti Thomæ Aquinatis.

A. Quarto calendas Februarij. Luna.

7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

29. *Romæ, uia Numentana, ſanctorum martyrum, Papiæ, et Acauri: qui, animaduerſa Saturnini, et Siſinnij martyrum conſtantia, CHRISTI Domini fidem amplexi, Diocletiano Imperatore, à Laodicio urbis præfecto in uincula coniecti, poſt uirgis cæſi, poſtremo plumbatis tamdiu percuſsi, quoad animam Deo reddiderant: quorum corpora beatus Marcellus Pontifex una cum Ioanne presbytero in ſepulturam tradidit. Eodem die, Romæ item, ſanctorum, Cyriaci Aproniani, et ſociorum martyrum: qui, illo imperatore, ob fidem CHRISTI datis ceruicibus, coronati ſunt. Treuiris, ſancti Valerij epiſcopi. Hic unus è ſeptuaginta duobus diſcipulis, beati Petri, Apoſtolorum principis, auditor, in Galliam miſſus, ingenti ſollicitudine ad Euangelij propagationem attentus, mortuo Euchario, in eius locum creatus epiſcopus, cum annos quindecim Treuirenſi eccleſiæ præfuiſſet; uitæ innocentia, pietatis, epiſcopaliumq. uirtutum, laude florens, obdormiuit in Domino. Edeſſæ, ſanctorum martyrum, Sarbelij, et Barbeæ ſororis. Is idolorum ſacerdos à Barſimæo, illius urbis epiſcopo, impietatis uehementer reprehenſus, adiutrice Dei gratia, illius dictis audiens, chriſtiana religione imbuitur; unaq.*

cum

cum ſorore baptizatur. Quod cum Lyſias Præſes reſciſſet; comprehenſum Sarbelium, primo uirgis cædi, ſcalpro laniari, igne torreri; poſt binis lignis incluſum, ſecari; ac demum una cum ſorore, grauiſſime, et uarie ante cruciata, Traiano Cæſare, capite plecti imperauit. Hoc ipſo die, ſancti Hippolyti epiſcopi, et martyris, ac ſociorum. Hic, Claudio Imperatore, tanta Chriſtianorum cæde commotus, diuinoq. incenſus zelo, grauiter illum coram accuſauit. quamobrem tyrannus, corde ira cumulato, animoq. impotenti, iuſſit beatum Hippolytum, eiusq. ſocios, presbyteros, diaconos, acerbiſſime primum tortos, ſaxis grauiſſimis ad manus, pedesq. alligatis, in mare proijci. In Agro Trecaſſino, ſancti Fabiani martyris, Aureliano Imperatore, pro CHRISTI *fide necati. Eodem loco, hoc ipſo die, ſancti Sauiani martyris, illo etiam imperante, in ſumma confeſſionis conſtantia, gladio percuſſi. Mediolani, ſancti Aquilini presbyteri, et martyris. Is fidei catholicæ tuendæ ſtudio inflammatus, Germaniam, Galliam, et Italiam peragrauit, contra Arianorum perfidiam dimicatione ſuſcepta: demum Mediolanum profectus, ab illis ob fidei catholicæ defenſionem teterrime necatus, ad præmiũ migrauit in cælum. Peruſiæ, ſancti Conſtantij epiſcopi, et martyris: qui beati Herculani epiſcopi diſcipulus, poſt illius obitum creatus epiſcopus, a Gothis fidei cauſa interfectus eſt una cum ſex alijs, qui ſecũ e Germania ad eam urbem peregrinati ſunt. Eodem die, ſanctæ Otiliæ uirginis.*

Tertio calendas Februarij. Luna. xiiii. B.

8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Antiochiæ, ſancti Hippolyti martyris: qui, Nouati ſciſ- 30.

 mate

mate aliquantulum primo deceptus; poſt, errati pertæſus, ad eccleſiam rediit; in qua conſtanter permanens, pro fide illuſtre martyrium ſubiit. Edeſſæ in Syria, ſancti Barſimæi epiſcopi, et martyris: qui Sarbelium, ut ſupra narrauimus, ab idolorum cultu reuocatum, cum baptizaſſet, Traiano Imperatore, a Lyſia ob eam cauſam comprehenſus, grauiſſime cæſus, omni uirtutum laude, obiit in Domino. Eodem die, ſancti Alexandri. is, Decio Imperatore, ob fidem in uincula detruſus, inde cum ad tribunal ultro citroq. duceretur, in ipſis tormentis Deo gloriam tribuens, ſenex admodum, quieuit in Domino. Mutinæ, ſancti Geminiani epiſcopi, et confeſſoris: ad cuius ſepulcrum multa, Dei munere edita, miracula narrantur. Hieroſolymæ, ſancti Matthiæ epiſcopi: qui octauus poſt Iacobum Apoſtolum epiſcopus ei eccleſiæ præfuit. De eo res admirandæ, fideiq. plenæ commemorantur. Pro CHRISTI *Domini gloria demum idem multa perpeſſus, migrauit in cælum. Mediolani, ſanctæ Sauinæ matronæ: cuius pietate, corpora beatorum martyrum, Naboris, et Felicis, ad illam urbem tranſlata ſunt. Papiæ, ſancti Armentarii epiſcopi, et confeſſoris: cuius corpus, ubi reconditum eſt, diuino munere, multis miraculis eluxit. In Belgis apud Malbodium monaſterium, ſanctæ Aldegundæ uirginis: quæ Angeli admonitu, in uirginali uita perpetuo perſeuerans, tandem magno cum ſplendore cæleſtis luminis, ad uitam commigrauit æternam.*

18 martii

iii.C. Pridie calendas Februarij. Luna.

9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

31. *Romæ, ſanctorum martyrum, Cyri, et Ioannis: hic Edeſſæ, ille*

uidentur iidem de quibus infra hoc ipso die ut clarius colligitur ex historia apud Surium.

ille Alexandriæ natus, uterque Romæ, Diocletiano Imperatore, in carcerem coniectus, uerberibus cæſus, accenſis facibus aduſtus, feruenti pice delibutus, tandem, præciſis ceruicibus, coronatur. Alexandriæ, ſancti Metrani martyris. Hic ab fidei hoſtibus uerba impia proferre iuſſus, hoc maxime recuſans, fuſtibus fractus, ac debilitatus, in uultu præacutis calamis percuſſus, ab urbe cruciatibus pulſus, lapidibus denique foris obrutus, obdormiuit in Domino. Hoc ipſo die, eadem in urbe, ſanctorum martyrum, Saturnini, Tarſichi, Gelaſij, Thyrſi, et Peliani: qui, clericalis ordinis homines, in Deciana perſecutione, uarie, grauiterq. cruciati, confirmatis mirandum in modum animis, in fidei confeſſione, corona cæleſti donati ſunt. Alexandriæ præterea, ſanctorum, Cyri etiam, Ioannis, Aſpaſiæ matris, et trium filiarum uirginum. quorum omnium martyrij, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, fortiter ſuſcepti conſecrata in terris memoria, in cælis ipſi gloria perfruuntur ſempiterna. Eodem die, ſanctæ Triphenis martyris. Hæc zelo chriſtianæ fidei, cuius erat ſtudioſiſſima, commota, cum ſacer dæmoni dies celebraretur, in medium procurrit, execrabilemq. idoli cultum deteſtata, et cultores impios, et ſpectatores reprehendens, uero Deo, repudiatis falſis Dijs, adhærendum eſſe oſtendit. quam ob cauſam Cæſarij præfecti iuſſu comprehenſa, in ignem inijcitur: a quo periculo liberata diuinitus, æquuleo ſuſpenditur; inde, ſoluta repente, in terram prolabitur, ubi defixis de induſtria præacutis clauis, grauiſſime confoditur. Poſt, beſtijs uarijs obiecta, neque ab ijs ullo modo uiolata, demum a tauro necata, martyrij præclari palmam tulit. Tridenti, ſancti Vigilij epiſcopi, et martyris. Is ciuis Romanus, Athenis liberalium artium diſciplinis, ſacrisq. litteris eruditus, Tridentinorum epiſcopus factus, admiranda conſtantia illis euan

gelium IESV CHRISTI *prædicauit: cuius nomine multis editis miraculis, eius diuinitatem palam docuit: contra hæreticos pie, et doƈte ſcripſit; nefarium Saturni cultum, qui in ualle quadam, ad Sarcham fluuium ſita, celebris erat, dum euertere contendit, ab illius loci in colis, barbaris hominibus, lapidibus obrutus eſt. Qua martyrij, et aliarum rerum, ſanƈte geſtarum, laude clarus, migrauit ad Dominum. Hoc etiam die, ſanƈtæ Marcellæ uiduæ: quæ contemptis opibus, ac nobilitate ſpreta, poſtq. uiri obitum, recuſatis alterius nuptijs, paupertatem, humilitatem, caſtitatem, ſacrarum litterarum ſtudium, precum aſsiduitatē, ceterasq. chriſtianæ pietatis exercitationes ita amplexa eſt, ut beati Hieronymi litteris commendata ſit illius uita, ſanƈtiſsime aƈta. Mediolani, ſanƈti Iulij confeſſoris. Hic, in Græcia natus, ab ineunte ætate, chriſtianæ religioni deditus, Romam peregrinatus, diu ad aquas Saluias fuit; inde in Liguriam uenit. qua in peregrinatione id maxime egit, quod ſibi de ædificandis Eccleſijs propoſitum, ab Theodoſio Imperatore impetrarat, ut ſibi liceret, in omnibus Imperij Romani prouincijs, ædes ſacras Deo cōſtruere, dirutis idolorum templis. Ea pietatis laude, uitæq. ſanƈtitate, miraculis comprobata, obdormiuit in Domino. Eboraci in Britannia, ſanƈti Gandi epiſcopi, et confeſſoris. Venetijs, Translatio ſanƈti Marci Euangeliſtæ, quæ, Valentino Pontifice, faƈta eſt.*

Civoici in Gallia

Calendas Februarij. Luna.

10 21 2 15 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28
A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

ROMAE, ſancti Ignatij epiſcopi, et martyris. Hic Antiochenæ eccleſiæ tertius poſt beatum Petrum Apoſtolum epiſcopus, Traiano eccleſiam Dei oppugnante, Romam uinctus ducitur: ubi primum inauditis cruciamentis tortus, poſtremo leonibus rugientibus, Senatu ſpectante, obiectus, hoſtia CHRISTI *Domini efficitur. Smyrnæ, ſancti Pionij, et quindecim ſociorum martyrum. Is carceris, ubi multos ad martyrium confirmauit, ſitu, et ſquallore pene confectus, uarijs tormentis cruciatus, et clauis confixus, in igne denique poſitus, pro* CHRISTI *gloria id ſupplicium, Antonino Imperatore, fortiter ſubiens, migrauit in cælum. In Phrygia, ſancti Tryphonis martyris: qui chriſtianæ religionis cultor egregius, Decio Imperatore, Aquilini præfecti iuſſu comprehenſus, Nicæam perducitur: ubi ſumma hyeme per difficiles ancipitesq. locos raptatus; deinde humi præfixis clauis uolutatus; poſt accenſis facibus ſemiuſtulatus; demum ſecuri percuſſus, nobili martyrio coronatus eſt. Eodem die, ſanctorum martyrum, Victorini, Victoris, Nicephori, Claudij, Diodori, Serapionis, et Papiæ. Ii ciues Corinthij, chriſtianæ religionis accuſati, uarie necati, cæleſti præmio perfruuntur. Victorinus, oculo dextro eruto, præciſis manibus, et pedibus, in pila marmorea contuſus, animam Deo reddidit. Victor, abſciſſa lingua, idem ſupplicij genus inuicto animi robore ſubiens, migrauit in cælum. Nicephorus primo ita pedibus preſſus eſt, ut e naribus ſanguis eruperit;* Die I.

poſt

poſt capillis ſuſpenſus, tum in mortario demum pilo confractus, abijt ad Dominum. Claudius autem, manibus pedibusq. abſciſſis, in ignem coniectus; Diodorus, igni coctus; Serapio, ſublimibus pedibus pendens, capite mulctatus; Papias, ſaxo alligatus, in mare proiectus; ita nobilis martyrij coronam omnes acceperunt. Rauennæ, ſancti Seueri epiſcopi, et confeſſoris. Hic homo plebeius, lanificio ſibi familiæq. ſuæ uictum quæritans, quo tempore ea in urbe, Marcellino mortuo, de epiſcopo eligendo agebatur, epiſcopus diuinitus declaratus eſt, columba ad aures eius conuolante: quæ abſe primum repulſa, iterum in illius capite conſedit. Sic igitur epiſcopatum adeptus, e lanario mirabiliter ſummus factus Theologus, in concilio Sardicenſi contra Arianos pro Athanaſio, ſingulari uirtute pugnauit: aliasq. multas res admirabiliter Dei munere geſſit. quarum rerum, et uitæ ſanctiſſimæ laude, uirtutumq. epiſcopalium meritis cumulatus, ſenio tandem confectus, cum de certo die, quo eſſet ex corpore in cælum migraturus, diuinitus certior factus eſſet, peractis de more ſacris, conuocatisq. omnibus ſacerdotibus, et uniuerſis Rauennatibus, grauiſſime de cæleſti gloria concionatus, ubi finem fecit, ueſtibus ſacris adhuc indutus, ad ſepulcrum proficiſcitur: ubi flexis genibus, et manibus, oculisq. in cælum ſubductis, tamquam preces ſuppliciter fundens, obdormiuit in Domino. Rothomagi, ſancti Seueri item epiſcopi, et confeſſoris. Hoc etiam die, ſanctorum epiſcoporum, et martyrum, Eugenij, Vindemialis, et Longini: quorum, in perſecutione Vandalica, pro fidei ſtudio ſuſceptæ dimicationes; in grege tuendo epiſcopales uirtutes; in cruciatibus perferendis conſtantia, martyrio etiam ſuſcepto, nobilitata; aliæq. res diuinitus, et mirabiliter geſtæ, monumentis conſignatæ leguntur. In Scotia, ſanctæ Brigidæ uirginis: quæ apud epiſcopum cum uirginitatem profiteretur,

fiteretur, lignum altaris tetigit: quod ſtatim uiride factum, argumento fuit eius ſanctitatis, et uirginalis caſtitatis. In Oppido Tricaſsino, ſancti Pauli epiſcopi, et confeſſoris; cuius uita ſanctitatis uirtutibus, et mors pretioſa, miraculis commendatur. Auguſtæ, ſancti Urſi epiſcopi, et confeſſoris. Metis, ſancti Sigeberti regis, et confeſſoris: qui tum alijs multis admirandæ pietatis officijs, tum hoc etiam illuſtris extitit, quòd monaſteria uiginti exædificauit.

Quarto nonas Februarij. Luna. xi. E.

11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

Purificatio Beatæ MARIAE Virginis. Cæſareæ, ſancti Cornelij Centurionis; qui a beato Petro Apoſtolo baptizatus, mortuo Zachæo, epiſcopali illius ciuitatis dignitate ornatus, munere eo ex euangelij lege adminiſtrato, ſanctitate clarus, quieuit in Domino. Romæ, ſancti Laureliani martyris: qui, Decio Imperatore, paſſus eſt: eius corpus in cœmiterio Calixti ſepultum, inde multis poſt annis Papiam translatum, religioſe colitur. Romæ item, uia Salaria, ſancti Aproniani martyris. Hic, a fide auerſus, cum eam uocem cælitus emiſſam, audiſſet, Venite benedicti, et reliqua, tunc chriſtianam fidem amplexus, a Siſinnio diacono, quem ad Laodicium præfectum paulo ante in iudicium adduxerat, baptizatus, et a Marcello Pontifice ſacro Chryſmate confirmatus, in CHRISTI confeſsione, Maximiano Imperatore, martyrium ſubijt. Romæ preterea, ſanctorum martyrum, Fortunati, Feliciani, Firmi, Candidi, et Aurelij. Eodem die, ea ipſa in urbe, ſanctorum triginta millium martyrum, 2.

qui,

qui, in perſecutione Diocletiniana, coronati ſunt. In Foro Sempronij, ſanctorum, Laurentij, et Hippolyti. Antiochiæ, ſancti Firmiliani epiſcopi, et confeſſoris: cuius res diuinæ geſtæ narrantur. Herbipoli, ſancti Burchardi epiſcopi, et confeſſoris: a quo primum ea ciuitas, CHRISTI IESV ſacris imbuta eſt, atque inſtituta. In Aurelianis, ſancti Floſculi epiſcopi, et confeſſoris. Cantuariæ, in Britannia, ſancti Laurentij archiepiſcopi, qui beato Auguſtino, eiuſdem eccleſiæ præſuli, ſucceſſit. Hoc ipſo die, ſanctæ Sichariæ uirginis, Deo sacratae.

xix. F. **Tertio nonas Februarij. Luna.**

12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	1
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

3. Sancti Blaſij, epiſcopi, et martyris. Hic Sebaſtæ in Cappadocia, Diocletiano Imperatore, Agricolai præfecti iuſſu in carcerem detruſus, in ſumma fidei conſtantia, primo uerberibus cæſus, poſt ferreis pectinibus dilaniatus, poſtremo ſecuri percuſſus, præclarum chriſtianæ religionis teſtimonium dedit; duobus item una ſecum pueris contrucidatis. Mulieres præterea ſeptem, quæ eius martyris ſanguinem collegerant, teterrimis excruciatæ tormentis, præclaro certamine nobiles, martyrij palmam tulerunt. In Africa, ſanctorum martyrum, Celerini diaconi, Celerinæ eius auiæ, Laurentini patrui, et Ignatij auunculi. Primo Celerinus Romæ, poſt beati Fabiani Pontificis martyrium, in ſummo perſecutionis impetu, una cum Moyſe, Maximo, Nicoſtrato, Rufino, Vrbano, et Sidonio, in cuſtodiam incluſus, præter ceteros omnia tormentorum genera conſtantiſſime ſuperauit. poſt, remiſſa paululum perſecutione, in Africam uenit: ubi, diuino admonitu, Le-

ctor,

ctor, deinde diaconus factus, excitata uehementius Deciana contra eccleſiam oppugnatione, cum illius principe, et auctore congreſſus; dum inexpugnabili firmitate certaminis ſui aduerſarium uincit, uincendi ceteris uiam facit; non breui compendio uulnerum uictor, ſed adhærentibus diu, et permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator, à Domino accepit cæleſtis gloriæ coronam. Huic auia Celerina honore conſimili diuinæ dignationis æquatur. Patruus præterea eius, et auunculus, Laurentinus, et Ignatius, in caſtris ipſi quondam ſæcularibus militantes, ſed ueri ſpiritalesq. Dei milites, dum Satanam CHRISTI *confeſſione proſternunt, palmas à Domino illuſtri paſſione meruerunt. Ceſareæ, ſanctorum, Adriani, et Euboli, martyrum. Ii fidei tuendæ ſtudio incenſi, chriſtianis, qui in uinculis eſſent, animum addere; alios, à noſtra religione alienos, ad Dei cultum cohortari non deſinebãt. quam ob cauſam eos comprehenſos Fermilianus præfectus, primum uerberibus cædi, poſt, ſemiuſtulari, tum leonibus obijci iubet. Sed ab inferenda ſanctis iniuria feræ tantum abſuerunt, ut, flexis etiam poplitibus, pedes eorum lamberent. itaque iratior ille factus, martyres capite mulctauit. Hamburgi, ſancti Anſgarij epiſcopi, et confeſſoris. Hic Hamburgenſis primus Archiepiſcopus, ad populos omnes, qui in ſeptemtrionem pertinent, ſanctæ Romanæ ſedis legatus, procurandæ omnium ſaluti, propagandæq. religioni totus deditus, Suetiæ, et alijs prouincijs uerbum Dei prædicauit: epiſcopos, ac reges illius regionis, et litteris, et coram officij ſui libere monuit. ſic multis laboribus pro eccleſia Dei perfunctus ſanctiſsime quieuit in Domino. Traiecti, ſancti Remacli epiſcopi, et confeſſoris: cuius res admirandæ commemorantur, magna cum illius ſanctitatis teſtificatione. Lugduni, ſanctorum, Lupicini epiſcopi, et Felicis itidem,*

dem, et Celerini, martyrum. Viennæ, ſancti Euentij epiſcopi, et confeſſoris. In Belgis, ſanctarum uirginum, Berlendis, Nonæ, et Celſæ. Ad oppidum Vapincum, ſanctorum epiſcoporum, Tigidis, et Remodij. Ad oppidum Viſetum, ſancti Hadelini confeſſoris, religioſæ uitæ, et rerum diuine, admirabiliterq. geſtarum laude celebris. Ad Montes in Hannonia, Translatio ſanctæ Vualdetrudis uiduæ: cuius dies feſtus agitur quinto idus Aprilis.

viij.G. Pridie nonas Februarij. Luna.

13 24 5 16 27 8.19 1 1 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 2

A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

4. *Romæ, in foro Sempronij, ſanctorum martyrum, Aquilini, Gemini, Gelaſij, Magni, Donati, Hippolyti, et Boſtreni, qui, Aureliano Imperatore, coronati ſunt. Hieroſolymæ, ſancti Simeonis prophetæ. is triduo poſt, quam puerum Ieſum brachijs excepit, in pace quieuit. Romæ item, ſanctæ Veronicæ: quæ ad eam urbem Hieroſolyma ſudarium Domini attulit. Attaliæ, in Pamphilia, ſanctorum martyrum, Papiæ, Diodori, et Claudiani. Hi paſtores,* CHRISTI *fidem paſſim promulgando multos ad religionis chriſtianæ cultum perduxerunt: quo nomine ad Publium præfectum, Decio Imperatore, delati, nullis minitationibus deterriti, palam liberaq. uoce ſe chriſtianos eſſe confeſſi, oſtēderunt, unum eſſe uerum Deum, qui cælum, terram, quæque cæli, ac terræ ambitu continentur, effecit. qua libera fidei confeſſione præfectus commotus, cum eos in fidei propoſito conſtantes omni excruciaſſet ſupplicio, demum ſecuri percuti iuſſit. Quorum corpora à fidelibus religioſe ſepulta ſunt. In Perſide, ſancti Abramij epiſcopi, et martyris: qui, Saporio, Perſarum Rege, dijs immolare*

lare iuſſus, cum hoc præciſſe negaſſet, multis ac uarijs affectus ſupplicijs, denique, abſciſſo capite, coronatur. Thamne, in Aegypto, ſancti Phileæ epiſcopi, et Philoromi Tribuni, martyrum: quibuſcum innumerabilis Chriſtianorum multitudo, Maximino Imperatore, conſtanter ſuſcepto, pro Chriſti laudē certamine, uarie contrucidata, coronatur. Peluſii, ſancti Iſidori confeſſoris. Hic pijs parentibus natus, Cyrilli, Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopi, neceſſarius, domeſticis externisq. diſciplinis ualde eruditus, præ religionis ſtudio ſpretis contemptisq. humanis rebus, in montem ſe abdidit: ubi, ſuſcepta monachalis uitæ ratione, omne tempus modo in ſanctis precibus, modo in ſacris libris commentandis, modo in epiſtolis ſcribendis conſumpſit. Quo epiſtolarum genere, cum eas pene infinitas exararit, non priuatis ſolum, ſed magiſtratibus, præfectis, et epiſcopis mirifice profuit. ſic uita ſanctiſſime acta, et multis Dei ope mirabiliter geſtis, obdormiuit in Domino. Eodem die, ſanctæ Victoriæ uiduæ: quæ in perſecutione Vandalica, pro catholica fide fortiter pugnans, una cum alijs necata, uidualem coronam martyrij palma cumulauit. Trecis, ſancti Auentini confeſſoris, miraculis, et charitatis laude clari. In Anglia, ſancti Liephardi epiſcopi, et martyris: qui Romam uoti cauſa peregrinatus, inde ad ſuam eccleſiam rediens, à nefarijs hominibus impie occiſus, anniuerſario die in Cameracenſi eccleſia colitur. Hoc ipſo die, ſancti Gilberti confeſſoris. qui Gemlacenſe monaſterium ædificauit. Bremæ, ſancti Remberti epiſcopi, et confeſſoris. Hic beati Anſcharij, eiuſdem urbis epiſcopi diſcipulus, primo monachus, deinde epiſcopus, pie in omni uita ita ſe geſſit; ut admirandis in rebus perſpecta eius ſanctimonia, adſcriptus ſit in numero ſanctorum. Brixiæ, ſancti Obitij confeſſoris: ad cuius ſepulcrum multa miracula Dei munere edita ſunt.

A. Nonis Februarii. Luna,

14	25	6	17	28	9	20	2	12	23	4	15	26	7	18	19	10	21	3
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

5. *Catanæ in Sicilia, ſanctæ Agathæ uirginis, et martyris: quæ in ea inſula nobili loco nata, Decio Imperatore, Quintiani prætoris iuſſu, alapis cæſa, candentibus laminis aduſta, equuleo torta, demum abſciſſa mamilla, cum in* CHRISTI *ſponſi fide conſtantior eſſet, in acutis teſtulis, candentibusq. carbonibus uolutata, Deum precando, abijt in cælum. Alexandriæ, ſancti Iſidori martyris. Hic, in eadem Deciana perſecutione, chriſtianæ religionis à Iulio Centurione accuſatus, cum ab Numerio, copiarum duce, ad quem in iudicium perductus eſt, nullis neque uerborum blanditijs, neque teterrimis minis à fidei tuendæ conſtantia abduci potuiſſet, illius iuſſu capite mulctatus, coronatur. Viennæ in Gallia, ſancti Auiti epiſcopi, et confeſſoris: cuius fide, et admirabili doctrina ab Ariana hæreſi prouincia illa omnis defenſa eſt. Brixiæ, ſanctorum Confeſſorum, Ingenuini, et Albini: hic Brixienſis, ille Sabionenſis, ſecundus epiſcopus fuit, cuius corpus multis poſt annis à Conſtantino eius ſucceſſore ad eam urbem translatum eſt. Vtriusque uita illuſtris eſt, multis rebus diuine, mirabiliterq. geſtis. Gandaui, in Blandinio monaſterio, ſancti Bertulfi confeſſoris. Hic erga Deum, et proximum charitatis ardore accenſus, in oratione frequens, in uigilijs aſſiduus, pauperum egeſtati ſubuenire, peregrinos hoſpitio excipere, nudos ueſtire, omnibus uel conſilio, uel conſolatione, uel re prodeſſe ſtuduit: ſicq. omni uirtute prælucens, obdormiuit in Domino. Cuius etiam ſanctitas declarata eſt miraculis permultis, ad eius ſepulcrũ diuinitus editis.*

Octauo

Octauo Idus Februarij. Luna. xvj.B.

15	26	7	18	29	10	21	3	13	24	5	16	24	8	19	1	11	22	4
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Cæſareæ in Cappadocia, ſanctæ Dorotheæ uirginis, et mar-tyris. Hæc, Diocletiano Imperatore, Apricij, Cappadociæ præfecti, iuſſu, primum equaleo torta, deinde palmis diu cæſa, poſtremo capite plectitur. Cuius conſtanti confeſſione quidam Theophilus ſcholaſticus, ad C H R I S T I *fidem conuerſus, mox eodem equuleo cruciatus, tandem, præciſis ceruicibus, martyrij coronam accepit. Cyzici in Myſia, ſanctæ Fauſtæ uirginis, et martyris, Eulaſi, et Maximi, ſociorum. Illa uirgo Cyzicena, Maximiano Imperatore, omnium rerum copia, mortuis parentibus, affluens, ætate florentiſſima, uirginalem uitam, ſpretis mundi blanditijs, atque opibus, perpetuo coluit, ieiunijs, uigilijs, precibus, aſſiduæ ſacrorum librorum lectioni dedita, in pauperesq. ualde admodum liberalis. Quibus auditis rebus, Imperator Eulaſium prætorem miſit, qui uirgini idolorum cultum perſuaderet. ſed is ſuadendo nihil profecit, immo perſpectis miraculis, ab illa diuinitus editis,* I E S V C H R I S T I *fidem ſuſcepit. itaque miſſus iterum Maximus proprætor, qui Fauſtam uirginem, et Eulaſium prætorem torqueret, imperatoris mandatum diligenter executus, utrumque in lebetem æneum feruentem conijci iubet. at cum martyres nullum ex teterrimo cruciatu incommodum ſentire uidiſſet, eius rei admirabilitate commotus,* C H R I S T I *fidem amplexus, ſe ultro in lebetem iniecit. Sicq. uirgo Fauſta, et illi duo demum, eo cruciamento confecti, coronantur. Emiſſæ in Phenicia, ſanctorum martyrum, Siluani epiſcopi, Lucæ Diaconi, et Mocij* 6. 20 · 7b

Lecto

Lectoris. Ii, Numeriano Imperatore, cum C h r i s t i I e s v *fidem palam prædicarent; ab idolorum cultoribus ad urbis prætorem uincti perducuntur: quos ille, perſpecta eorum cæleſti conſtantia, primum grauiter excruciatos, feris obijci iuſſit: quarum morſibus tandem necati, Deum ſancte precando, ad præmium abierunt in cælum. Hoc ipſo die, ibidem, ſancti Iuliani martyris. Hic ab adoleſcentia medicus, illud in adhibenda corporibus medicina ſpectabat, ut* C h r i s t i *fidem docendo, animis ſalutare medicamentum afferret. Is autem cum illos, de quibus mox ſupra dictum eſt, martyres è carcere in theatrum, ubi à beſtijs conficerentur, uinculis aſtrictos duci uideret, fidei ardore accenſus, accurrit; ſanctos oſculatur, idq. ſupplex precatur, ut fortiter agerent. Quamobrem comprehenſus, in ſpeluncam includitur: ubi, capite clauis confixo, et manibus, pedibusq. item, animam Deo reddidit. Alexandriæ, ſanctæ item Dorotheæ: quæ Maxentium, et Maximinum Imperatores, chriſtianæ pudicitiæ, et fidei hoſtes fugiens, in ſolitudinem ſe abdidit: ubi in orationibus, et ieiunijs aſsidua, complures alias exemplo ad illud ſanctiſsimæ uitæ genus adduxit. Romæ item, ſanctorum martyrum, Saturnini, Theophili, et Reuocati. Sanctæ Soteris etiam uirginis, et martyris; quæ nobili genere nata, maiorum cònſulatus, et præfecturas præ fidei ſtudio contempſit. Immolare enim iuſſa, palam et præciſe negauit. Quam perſecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera uirgo dolori cederet, aut pudori. at illa ubi audiuit hanc uocem, uultum aperuit, ſoli inuelata atque intacta martyrio, et uolens iniuriæ occurrit, uultum offerens, ut ibi martyrij fieret ſacrificium, ubi ſolet eſſe tentamentum pudoris. Itaque uirgo ita fortis, ac patiens exitit, ut cum teneras pœnæ offerret genas, prius carnifex cædendo deficeret, quam martyr iniuriæ cederet, non*

uultum

uultum inflexit, non ora conuertit: non gemitum, non lacrymam dedit. Denique cum cetera pœnarum genera uiciſſet, gladio percuſſa, coronatur. Aruernis, ſancti Antholiani martyris: qui in ea urbe, pro CHRISTO *ſanguine profuſo, illuſtre fidei teſtimonium dedit. Atrebati, ſancti Vedaſti epiſcopi, et confeſſoris: qui ab ſancto Remigio conſecratus epiſcopus, quatraginta annis Atrebatenſium eccleſiæ præfuit magna uitæ ſanctitate. ad cuius merita declaranda è cælo columna, ædibus eius ægrotantis illuceſcens, illius obitum præſignificauit. Traiecti, ſancti Amandi epiſcopi, et confeſſoris. Hic illuſtri genere in Aquitania natus, monaſticæ uitæ diſciplinam à puero amplexus, parentis rogatu ab ea amoueri nullo modo potuit. ſicq. annis quindecim omni admirandæ abſtinentiæ genere corpus macerauit. Religionis cauſa Romam peregrinatus, cæleſti admonitu in Galliam redijt: ubi multis locis fidem prædicauit; complures habuit diſcipulos, ſanctitatis laude præſtantes; et ab impietate innumerabiles ad chriſtianæ religionis cultum perduxit: ſicq. in omni uita ſanctiſſime uerſatus, fideiq. cauſa multis laboribus pie perfunctus, quieuit in Domino. Traiecti item ad Moſam, eodem die, ſanctorum omnium, eius ciuitatis epiſcoporum, Seruatij, Monulphi, Gondulphi, Martini, Valentini, Candidi, et reliquorum.*

Septimo Idus Februarij. Luna. v. C.

16 27 8 19 30 11 22 4 14 25 6 17 28 9 20 2 1 2 2 3 4

A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

Auguſtæ in Britannia, ſancti Auguli epiſcopi: qui uirtutibus præſtans, cum ætatis curſum, Decio Imperatore, conſtanti martyrij certamine confeciſſet, cæleſti præmio decoratus eſt. Nicomediæ 7.

mediæ, ſanctorum trium millium martyrum: Hi ſerui cum dominos ſuos, eosq. principes uiros, ad fidem conuerſos, Diocletiano Imperatore, pro CHRISTO *martyrium conſtanter ſubijſſe uidiſſent, eorum diuinam uirtutem imitati, adiunctis ſibi filijs, et uxoribus, propinquisq. omnibus, ueniunt in Diocletiani conſpectum, vnoq. ore, ac libera uoce chriſtianos ſe eſſe profeſſi ſunt: quos omnibus artibus fruſtra tentatos, ut de ſententia deduceret, iuſſit omnes à militibus occidione occidi. In phrygia, ſancti Adauci martyris. Hic in Italia genere clarus, omni fere honorum gradu apud Diocletianum, et Maximianum Imperatores functus, præclaris pietatis officijs, et confeſſione chriſtianæ fidei inſigniter nobilitatus, tandem pro eius defenſione, dum adhuc in quæſturæ munere uerſaretur, certamen ingreſſus, illuſtri martyrio coronatus eſt. Hoc ipſo die, ſanctorum innumerabilium martyrum: quorum dux extitit ille uir pietate inſignis, Adaucus: cuius in confeſſione* CHRISTI *conſtantiam omnis populus ſecutus, cum mulieribus uiri, cum pueris ſenes, cum ciuibus ciues, iniecto igne, comburuntur; ita ut nemo, etiam cum optio daretur, ex illa urbe abiret. Scytopoli in Aegypto, ſancti Moiſis Abbatis. ſancti item Moiſetis Epiſcopi: qui primum monachus, uirtutum laude, et uitæ ſanctimonia nobilis, deinde Aegyptiorum factus epiſcopus, eos magnam partem ad* CHRISTI *fidem conuertit: ſicq. meritorum gloria cumulatus, abijt in cælum. Cominij ad Liſam, ſancti Chryſolij Epiſcopi, et martyris. Hic, cum Quintino, Criſpino, Piato, et alijs ab urbe Roma in Galliam euangelicæ prædicationis cauſa profectus, cum Tornaci, alijsq. Belgarum locis fidem propagaſſet; ob eam cauſam, Diocletiano Imperatore, martyrium pertulit. Bononiæ, ſanctæ Iulianæ uiduæ, teſtimonio beati Ambroſii epiſcopi illuſtris. Brixiæ, ſancti Pauli epiſcopi et confeſſoris.*

Sexto

Sexto Idus Februarij. Luna. D.

17 28 9 20 1 12 23 5 15 26 7 18 29 10 21 3 13 24 6
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Papiæ, ſancti Inuentij epiſcopi et confeſſoris. Hic cum beato Syro ad eam urbem profectus, Ianuenſibus, Derthonenſibus, et Aſtenſibus populis Euangelij inſtituta, ac præcepta tradidit. Poſt Papiæ creatus epiſcopus, cum nouem, et triginta annos epiſcopale munus pie, religioſeq. geſſiſſet; admirandæ ſanctitatis officijs præclarus, obdormiuit in Domino. Alexandriæ in Aegypto, ſanctæ Cointhæ uirginis et martyris: quæ idolorum cultũ deteſtans, a paganis, Decio Imperatore, per urbem nexis pedibus raptata, teterrimo ſupplicio diſcerpta eſt. In Armenia minori, ſanctorum martyrum, Dionyſij, Aemyliani, et Sebaſtiani. Romæ, ſanctorum martyrum, Pauli epiſcopi, Lucij, et Cyriaci. Heracleæ in Ponto, ſancti Theodori martyris. Hic, a falſorum deorum cultu auerſus, cum eorum ſimulacra aurea, quæ Licinius Imperator Heracleam aſportarat, comminuiſſet, et pauperibus in eleemoſynam contuliſſet; in fidei propoſito conſtans, illius iuſſu uerberibus, atque omni ſupplicio excruciatus, demum, datis pro CHRISTO *Domino ceruicibus, coronatur. Eodem die, ſanctarum martyrum, Marthæ, et Mariæ, germanarum ſororum: quæ pietate ſimul ac uirginitate illuſtres, cum a Prætore ad colenda idolorum ſimulacra abduci nullo modo poſſent, eius iuſſu a militibus in crucem actæ, gladijsq. tranſuerberatæ, duplicem palmam tulerunt. Cordubæ in Hiſpania, ſancti Salomonis martyris. Virduni, ſancti Pauli epiſcopi, et confeſſoris.* 8.

xiii. E. Quinto Idus Februarij. Luna.

18	29	10	21	3	13	24	6	16	27	8	19	1	11	22	4	14	25	7
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

9. *Alexandriæ, ſanctæ Apolloniæ uirginis, et martyris. Hæc uirgo Alexandrina, ab idolorum impietate abhorrens, cum* IESV CHRISTI, *ueri Dei, cultum palam profiteretur; omnes ei dentes contuſi, et conuulſi ſunt. In quo fidei propoſito conſtans, ob id comprehenſa, ut combureretur; cum pauliſper, quaſi deliberans, quid agendum eſſet, ſtetiſſet, ex carnificum manibus elapſa, alacri uultu ſe in ignem paratum iniecit; unde, confecto corpore, puriſſimus ſpiritus ad cæleſtem martyrij palmam euolauit. Hoc ipſo die, ſancti Nicephori martyris: qui obſcuro quidem loco natus, illuſtri martyrio, quod Valeriano, et Gallieno Imperatoribus, pertulit, nobilitatus, coronatur. Sueui in Cypro inſula, ſanctorum, Ammonij, et Alexādri: item ſanctorum martyrum, Ammonis, et ſociorum triginta octo. In Fontanellæ monaſterio, ſancti Ansberti epiſcopi, et confeſſoris.*

xi. F. Quarto Idus Februarij. Luna.

19	1	11	22	4	14	25	7	17	28	9	20	2	12	23	5	15	26	8
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

10. *Romæ, ſanctorum martyrum, Irenæi, Zotici, Hiacynthi, et Amantij: qui in Deciana perſecutione pro* CHRISTO *Domino necati, coronantur. Romæ item, ſanctorum decem militum martyrum, eiuſdem perſecutionis cruciamentis, quæ fortiter*

ipſi

ipſi pertulerunt, illuſtrium. In Oriente, ſanctæ Soteris uirginis, et martyris, de qua octauo Idus Februarij. Eodem die, ſanctorum, Charalumpi, Porphyrij, et ſociorum martyrum. Is Chriſtianæ religionis ſacerdos, Seuero Imperatore, cum Euangeliũ prædicaret, cõprehẽſus a Luciano Præfecto, exuitur ſacra ſtola; deinde, detracta toto corpore pelle, ferreis pectinibus acerbiſſime laniatur. quo in facinore Præfecti manus, mirabiliter ſtatim auulſæ martyris prece ſanatæ ſunt. eius rei admirabilitate perſpecta, Porphyrius, et Dauctus, carnifices, ac mulieres itẽ tres, quæ præſentes aderant, repudiato falſorum deorum cultu, ſe ſe CHRISTO *Domino adiunxerunt: quos omnes ille, in impietate perſeuerans, capite plecti iuſſit. In monte Caſſino, ſanctæ Scholaſticæ uirginis. Hæc, ſancti Benedicti ſoror, ab ineunte ætate in religionem Deo dicata, abiectis huius ſæculi curis, in ieiunijs, uigilijs, orationibus, rerumq. diuinarum contemplatione aſſidue uerſabatur. In admirandæ igitur pietatis, et religionis officijs diu exercitata uirgo, magna ſanctimoniæ laude, obdormiuit in Domino. Hoc ipſo die, ſancti Gulielmi confeſſoris. Is ciuis Pariſienſis, in Chriſtianæ pietatis ſtudio, atque exercitationibus a ſancto Bernardo eruditus, abiectione, et deſpicientia rerum humanarum inſignis, Romam uenit: inde, triplicem loricam, ob cruciatus tolerantiam, indutus, Hieroſolymam peregrinatus eſt: poſt in Hiſpaniam ad ſacras beati Iacobi Apoſtoli reliquias uenerandas profectus, iterũ Hieroſolymam redijt: ubi a Saracenis captus, et religionis cauſa iniurioſius tractatus, demum diuina ope dimiſſus, in inſulam, Hetruriæ proximam, applicuit, ubi diu duriter uictitauit: poſt Romam reuerſus, hinc centum cellas, inde poſtremo Pariſios in patriam uenit; multisq. exædificatis monaſterijs, et rebus ſancte geſtis clarus, quieuit in Domino. In Campania, ſancti Siluia-*

ni epiſcopi, et confeſſoris. Apud Sanctones, ſancti Troiani epiſcopi, et confeſſoris. In Pago Rothomagenſi, ſanctæ Euſtrebertha uirginis; quæ, beati Ausberti epiſcopi ſoror, omni religionis uirtute floruit.

G. Tertio Idus Februarij. Luna.

20 2 12 23 5 15 26 8 18 29 10 21 3 13 24 6 16 27 9
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

11. *In Africa, ſanctorum martyrum, Saturnini presbyteri, Datiui, Felicis, Apuleij, et ſociorum: qui, Anolini Proconſulis iuſſu, uarie cruciati, Nerone Imperatore, præclari martyrij coronam acceperunt. Romæ, ſanctorum, Calocerij, et Parthemij, martyrum. In Africa item, ſanctorum, Victoris, Ianuarij, Zotici, Herenei, martyrum. Alexandriæ in Aegypto, ſanctæ Euphroſynæ uirginis, cuius dies feſtus agitur calendis Ianuarij. Lugduni, ſancti Deſiderij epiſcopi, rerum, diuinitus geſtarum, laude clariſſimi. In Caſtro Nantonienſi, ſancti Seuerini abbatis, et confeſſoris: qui Clodoueum regem, diu grauiterq. ægrotantem, præter cetera, quæ ſancte ac diuine egit, mirabiliter oratione ſanauit. Viennæ, ſancti Simplidij epiſcopi, et confeſſoris. Aruernis, ſancti Deſiderati epiſcopi, et confeſſoris.*

2. A. Pridie Idus Februarij. Luna.

21 3 13 24 6 16 27 9 19 1 11 22 4 14 25 7 17 28 10
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

12. *Alexandriæ in Aegypto, ſanctæ Dionyſiæ martyris, et aliorum præterea multorum: qui, ſuſcepto pro* CHRISTI *fide certamine,*

tamine, nullis acerbiſſimis tormentis, quibus uarie affecti ſunt, a propoſito deterriti, præclaro teſtimonio nobiles, in ſumma conſtantiq. dimicatione, Decio Imperatore, partim ſecuri percuſſi, partim in flammas coniecti, ad præmium ſempiternum abeunt in cælum. Barcinonæ, ſanctæ Eulaliæ uirginis, et martyris. Hæc in Diocletiani tyranni perſecutione, pro CHRISTO, *cui ſe dicarat, martyrio ultro ſe obiecit: quod gaudenti, fortiq. animo uirgo ſubiens, coronatur. Alexandriæ item, ſanctorum Ammonij, et Modeſti: qui ambo infantes, martyrij palmam tulerunt. Apud Sueſſiones, ſanctorum martyrum, Rufini, Valerij, et ſociorum. Hi, Maximiniano Imperatore, præclari certaminis curſu confecto, cæleſtem coronam aſſecuti ſunt. Lugduni, ſanctorum, Stephani epiſcopi, Damiani, et Iuliani, martyrum. Antiochiæ, ſancti Meletij epiſcopi: cuius uitæ ſanctitatem, et omnem uirtutem Chryſoſtomus una, et Gregorius Nyſenus altera concione complexus eſt. In Africa, ſancti Damiani militis. Veronæ, ſancti Gaudentij epiſcopi, et confeſſoris. Brixiæ, inuentio ſanctorum martyrum, Valeriani, Valentini, et Saprutij: qui una cum beatis, Iouita, et Fauſtino, martyribus, pro* CHRISTI *fide pugnantes, coronati ſunt.*

Idibus Februarij. Luna. B.

22	4	14	25	7	27	28	10	20	2	12	23	5	15	26	8	18	29	11
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Antiochiæ, ſancti Agabi prophetæ: de quo in Apoſtolorum 13.
acta beatus Lucas Euangeliſta retulit. Romæ, ſancti Tranquillini presbyteri. Is beati Sebaſtiani prædicatione CHRISTI *fidem amplexus, a Polycarpo presbytero baptizatus, et ab Caio pontifice*

tifice presbyter factus, Diocletiano Imperatore, pro Chriſtiana religione, cruciatus uarios perpeſſus, demum lapidibus obrutus, martyrij coronam adeptus eſt. In Græcia, ſanctorum martyrum, Aquilæ, et Priſcillæ. Hi coniuges, a beato Apoſtolo Paulo, uerbo ueritatis inſtructi, tum baptizati, ſe ei comites, quocumque proficiſceretur, adiunxerunt: unaq. cum illo multa incommoda, ac labores pro fide adierunt. poſt eius autem martyrium, cum hi nunquam a CHRISTI *prædicatione deſiſterent, ab idolorum cultoribus comprehenſi, primum acerbe, crudeliterq. torti, denique capite præciſo, palmam tulerunt. Rauennæ, ſanctæ Fuſcæ uirginis, et Mauræ nutricis, martyrum. Illa Syro patre nata, uiro nobili, quintum et decimum annum agens, Chriſtianæ religionis amore inflammata, cum Maura ab Hermolao ſacerdote, baptiſmum ſuſcepit. id ubi pater reſciuit, nihil non egit, ut a fide filia deficeret. quæ in propoſito conſtantiſſima, primū Quintiani Præfecti iuſſu, Decio Imperatore, uerberibus affecta, tum in teterrimum coniecta carcerem, demum, gladio in latus infixo, confoſſa, ad æternum præmium migrauit in cælum. Maura item, et cruciamentis, et carceris ſquallore pœne confecta, uirginis illius corpori mortuo, quod aſſidue amplexabatur, illacrymans, rogata carnificem, ut ſe eadem ratione gladio confoderet, eam inſecuta eſt. Earum corpora a Chriſtianis nautis noctu, ad Sabratam, Tripolitanæ prouinciæ urbem, aſportata, nobili ſepulcro condita ſunt. multis deinde poſt annis ad eam urbem, diuino aflatus ſpiritu, Vitalis, ciuis Venetus, nauigans, ad Torcellum Venetiarum inſulam ea inuexit: ubi religioſe, pieq. coluntur. Melitenæ in Armenia, ſancti Polyeucti martyris. Is in Deciana perſecutione, datis pro* CHRISTO *ceruicibus, coronatur. Lugduni, ſancti Iuliani martryis: cuius fortiter et religioſe facta, eccleſiaſticis an-*

nalibus

*nalibus conſignata ſunt. Romæ, ſancti Gregorij ſecundi, Pontifi-
cis. Hic, rei eccleſiaſticæ defenſor acerrimus, Leonem Impera
torem, ſacrarum imaginum oppugnatorem, Romæ, Italiæq. ue-
ctigalibus mulctauit; anathemate publice in Synodo obſtrinxit:
eundemq miſſa epiſtola decretali monuit, non eſſe Imperatoris,
de fide, antiquisq. Eccleſiæ legibus ſtatuere. Germaniam idem
Bonifacij epiſcopi, ſanctiſſimi uiri, opera uſus, Chriſtianæ religio-
nis ſacris imbuit. Iis atque alijs recte pieq. factis, et ſanctimonia
in primis clarus, cum quattuordecim annis Eccleſiæ Dei præfuiſ-
ſet, multis meritis cumulatus, ad præmium abijt in cælum. Rea
te, ſancti Stephani Abbatis, et confeſſoris. Herbipoli, ſancti Ki-* 8 Juli
*liani epiſcopi, et martyris. Is e Scotia in Galliam profectus, Pi-
pino Rege, magnam hominum multitudinem in uera CHRISTI
doctrina inſtituit. inde in interiorem Germaniam, ſummorum
Pontificum, Benedicti Secundi, et Cononis hortatu, Herbipolim
uenit: ubi diſſeminato Euangelio, omnia ad matris Eccleſiæ Ro
manæ auctoritatem referre ſtuduit. id cum uir Dei ſancte reli-
gioſeq. ageret, ab impijs ſatellitibus, Geyſelæ principis iuſſu, cum
alijs, eo loci Chriſtianam fidem propagantibus, necatus, in ſan-
ctorum martyrum numerum relatus eſt. Andegaui, ſancti Lu
cinij epiſcopi. Lugduni item, ſancti Stephani epiſcopi, et confeſſo-
ris. In finibus Treuirorum, ad Confluentiam, ſancti Caſtoris
confeſſoris: cuius res admirandæ, et diuinitus geſtæ leguntur.*

Sextodecimo calendas Martij. Luna. xviii. C.

23	5	15	26	8	18	29	11	21	3	13	24	6	16	27	9	19	1	12
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, uia Flaminia, ſancti Valentini presbyteri, et mar- 14.
tyris

Quinto decimo calen. Martij. Luna. vii.D.

24 6 16 27 9 19 1 12 22 4 14 25 7 17 28 10 20 2 13
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Brixiæ, ſanctorum, Iouitæ, et Fauſtini, martyrum. Ii mu nicipes Brixienſes, in multis Italiæ urbibus, quò Adriani Cæſaris iuſſo uincti ducebantur, uarie excruciati, cum de pietatis Chriſtianæ gradu nullis uexationibus deijci poſſent, Brixiam denique reducuntur, ubi ſecuri percuſſi, martyrio coronantur. Romæ, ſancti Cratonis martyris: Hic cum filium a beato Valentino, Interamnæ epiſcopo, ſanatum uidiſſet, fidei rudimentis ab eodem inſtructus, et baptizatus, paucis poſt diebus unà cum uxore, et uniuerſa familia, capitis damnatus, martyrium conſtanter, ac fortiter ſubijt. Mediolani, ſancti Fauſti martyris: qui, Marco Aurelio Imperatore, pro CHRISTO IESV *dimicans, præclarum fidei, Chriſtianæq. uirtutis teſtimonium dedit. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Ioſeph, Ioannis, et Victoris. Vaſione in Gallia, ſancti Quinidij epiſcopi: cuius uita, ſancte acta, et mors in conſpectu Domini pretioſa, multis rebus admirandis nobilitata eſt. Hoc ipſo die, ſancti Maioris martyris. Hic, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, Chriſtianæ fidei nomine Gazæ cõprehenſus, ſpretis idolis, cum in cuſtodia liberius* CHRISTI *religionem profiteretur, ira accenſi Cæſares, a triginta ſex militibus, ſibi inuicem ſuccedentibus, illum, humi extentum, uerberibus cædi iubent. Quibus cruciamentis ita grauiter, Dei martyr affectus, ut in eo hominis imaginem uix agnoſceres, ſemiuiuus iterum in carcerem detruditur: unde ſeptem poſt diebus rurſus* 15

eductus, alijs etiam ſupplicijs fœde excruciatus, demum, cum a propoſito dimoueri non poſſet, ſecuri percuſſus, palmam martyrij tulit. Interamniæ, ſanctæ Agapis uirginis. Apud Caſsinum, ſancti item Fauſti monachi. Is ut ſanctiſsimi abbatis Benedicti diſcipulus fuit; ſic eximia illius imitatione clarus. Vexione, in Dacia, ſancti Sigifridi epiſcopi. Hic ab impietate ad uerum Dei cultum Suetiam auocauit: ceteraq. diuine geſsit, ob quæ in cælis ſempiterno perfruitur præmio. Herdfordiæ, ſancti Thomæ epiſcopi: cuius uitæ ſanctimonia, et rebus diuinitus geſtis, plane cognitis, Ioannes Vigeſimus ſecundus, Pontifex Maximus, in ſanctis eum rite adſcripſit. Viennæ in Auſtria, ſancti Leopoldi: qui uitæ religioſe, ac temperanter actæ, et rerum admirandarum gloria florentiſsimus, ac uirtutum Chriſtianarum meritis cumulatus, in ſanctorum numerum a Pontifice Maximo Innocentio Octauo relatus eſt. Patauij, Translatio ſancti Antonij confeſſoris.

E. Decimo quarto calen. Martij. Luna.

25 7 17 28 10 20 2 13 23 5 15 26 8 18 29 11 21 3 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

16. Sancti Oneſimi martyris. Qui, beati Apoſtoli, Pauli diſcipulus, poſt illius martyrium, Tertilli urbis præfecti iuſſu comprehenſus, Puteolos ducitur: ubi grauiſsime cæſus, cum à fide deſciſcere nollet, immo uerò liberius, et conſtantius CHRISTVM Deum prædicaret, contuſis cruribus, et brachijs, ſanguinem pro illius nomine profudit. Cæſareæ, ſanctorum martyrum, Eliæ, Hieremiæ, Samuelis, Pamphili, Valentis, et aliorum complurium. Ii nulla patriæ, aut ſtudiorum coniunctione, ſed Chriſtiana

na pietate deuincti, ubi ad illam urbem uenerunt, a cuſtodibus eorum uitæ genus rogati, ſe Chriſtianos eſſe libere profeſſi ſunt. quamobrem in uincula coniecti, Firmiliani prætoris iuſſo, primum uarie torti, cum omnem cruciamentorum uim fortiter ſuperaſſent, demum ſecuri percuſſi, illuſtrem martyrij coronam adepti ſunt. Eodem die ſanctorum item, Porphyrij, Iuliani, et Theodoli martyrum. Ex ijs Porphyrius, Pamphili ſeruus, cum heri ſui reliquias quæreret, ut ſepulcro inferret; Iulianus cum beatorum martyrum corpora oſcularetur; unus, et item alter Chriſtianus cognitus eſt. itaque in uincula uterque coniectus, denique in ignem poſitus, coronatur. Theodolus autem primo quia præ ſancti cætus deſiderio lugeret, eſt uarijs affectus ſupplicijs; deinde, quoniã conſtanti in fide uoluntate perſeueraret, in crucem actus, magnis affigitur clauis: ubi precibus, et gratiarum actione ſpiritum Deo reddidit. Nicomediæ, ſanctæ Iulianæ uirginis, et martyris: quæ a patre Africano primum cruciata; deinde ab Eluſio præfecto, cui nubere recuſarat, Diocletiano Imperatore, uirgis cæſa; poſt capillis ſuſpenſa, plumboq. liquefacto, capite perfuſa; tum in carcerem detruſa; poſtremo olla feruente, igni, alijsq. ſuperatis tormentis, ſecuri percuſſa, duplicatam uirginitatis, et martyrij coronam adepta eſt. In Aegypto, ſanctorum, Iuliani epiſcopi, Ioannis diaconi, et aliorum quinque millium martyrum. Brixiæ, ſancti Fauſtini epiſcopi, et confeſſoris. Hic in beatorum martyrum, Fauſtini, et Iouitæ, familia natus, uir ſingulari pietate, Vrſicino, illius urbis epiſcopo, ſuccedens, et ſacris concionibus, et uitæ exemplis in Brixienſium animis ardentes amores excitauit Chriſtianarum uirtutum. Metis, ſancti Simeonis epiſcopi, et confeſſoris.

xv F. Decimo tertio calen. Martij. Luna.

26 8 18 29 11 21 3 14 24 6 16 27 9 19 1 12 22 4 15
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

17. Babyloniæ, ſancti Polychronij epiſcopi, et martyris: qui, in Deciana perſecutione, ore lapidibus confracto, manibus extentis, oculis in cælum coniectis, animam Deo reddidit. In oppido Concordia, ſanctorum martyrum, Donati, Secundiani, Romuli, aliorumq. ſex, et octuaginta. Amaſeæ, ſancti Theodori martyris: qui ab adoleſcentia ſtipendia faciens, cum aliquando audiſſet, in Armeniæ finibus, ubi natus erat, complures pro CHRISTO martyrium fortiter ſubire, eo ire contendit, prouinciæq. præfectum primo adijt: apud quem ſe Chriſtianum eſſe libere profeſſus, multis uerberibus cæditur: deinde iuſſus certum ad deliberandum tempus ſumere, noctu idolorum templum inflammauit. quare ille uehementer commotus, in eiuſdem templi buſto martyrem, in fidei confeſſione conſtantius perſeuerantem, exuri imperauit. In Gallia, ſancti Seuerini abbatis, et confeſſoris. In Scotia, ſancti Fintani presbyteri et confeſſoris, ſingulari pietate, et magna uirtute clari. In Pago Teruanenſi, ſancti Siluini, epiſcopi Toloſæ urbis: cuius pie ſancteq. facta leguntur. In Claromonte, Translatio ſancti Lupiani confeſſoris.

iiii. G. Duodecimo calen. Martij. Luna.

27 9 19 1 12 22 4 15 25 7 17 28 10 20 2 13 23 5 16
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

18. Hieroſolymæ, ſancti Simeonis epiſcopi, et martyris. Hic ſecundus

cundus illius urbis epiſcopus, annos centum et uiginti natus, Traiano Imperatore, pro CHRISTI gloria in crucem actus eſt. Oſtiæ, ſanctorum martyrum, Maximi, Claudij, Primi, et Præpedignæ cum duobus liberis. qui omnes, Diocletiani Cæſaris iuſſo, in exilium pulſi, tum demum in fidei confeſsione combuſti, coronantur. Smyrnæ, ſancti Germanici martyris: qui, Antonino Vero Imperatore, in ipſo ætatis flore, eximia et ſingulari animi conſtantia teterrimam mortem pertulit pro CHRISTO Domino, ut Smyrnenſis Eccleſiæ litteris proditum eſt. In Africa, ſanctorum, Lucij, Siluani, Rutuli, Clericorum, et Maximi monachi: qui in perſecutione Vandalica crudeliſsime cruciati, et tormenta, et necem pro fide fortiter ſubierunt. Brixiæ, ſancti Epimenei presbyteri, et martyris.

Vndecimo calen. Martij. Luna. A.

28 10 20 2 13 23 5 16 26 8 18 29 11 21 3 14 24 6 17
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Gabinij presbyteri, et martyris. Hic, Diocletiano Imperatore, in uinculis diu cruciatus, pretioſa morte ſibi cæli gaudia comparauit. Hieroſolymæ, ſancti Zambdæ epiſcopi: a quo Thebæi milites, nobiles martyres, baptiſmum ſuſceperunt. In Græcia, ſanctorum martyrum, Maximi, et Theodoti. Ii orbem terrarum peragrando, cum idolorum cultũ Euangelij prædicatione palam reprehenderent; in cuſtodiam traduntur: inde modò huc, modo illuc educti, nulla ſuppliciorum acerbitate a cõſtanti fidei propoſito auocari poſſunt. ferreis igitur ungulis excarnificati, moxq. in rogum ardentem coniecti, canticis, atque hymnis animam Deo reddunt. In Africa, ſanctorum, Publij, Iu- 19.

liani,

liani, Marcelli, Tullij, et Iulij: qui, confeſsionis certamine confecto, ad coronam migrarunt in cælum. Conſtantinopoli, ſancti Eucharij patriarchæ. Beneuenti, ſancti Barbati epiſcopi, et confeſſoris. Mediolani, ſancti Manſueti epiſcopi: cuius cum in omni actione eluxit pietas, tum in Synodo œcumenica ſexta Conſtantinopolitana, cui interfuit. Apud Treuiros, ſancti Leguntij epiſcopi, et confeſſoris.

xii. B. Decimo calendas Martij. Luna.

29 11 21 3 14 24 6 17 27 9 19 1 12 22 4 15 25 7 18
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

20. *Tyri in Phœnicia, ſanctorum innumerabilium martyrum: qui, Diocletiani Cæſaris iuſſo, a Veturio, militum magiſtro, uarijs teterrimisq. cruciatibus affecti, tum beſtijs obiecti, a quibus diuinitus integri ſeruati ſunt, partim ferro, partim flammis, partim inedia confecti, in fidei confeſsione egregio martyrio coronati ſunt. Quorum martyrum duces extiterunt, Tyrannius, et Siluanus, qui beſtiarum morſibus dilaniati ſunt; Peleus item, et Nilus epiſcopi, hiq. combuſti; Zenobius etiam presbyter, ſecuri percuſſus. Romæ, ſanctorum martyrum, Caij, Victoris, et Pantamiæ. In Perſide, ſancti Sadochi, et aliorum centum uiginti octo martyrum. Ille epiſcopus prædicatione cum ab impietatis erroribus ad* CHRISTI *cultum multos perduceret, inuidiam ſibi concitauit Magorum, ignem colentium: qui illo ipſo tempore, quo ſanctus hic per quietem uidit, beatum Simeonem martyrem, ſummis inſidentem ſcalis, ſe hortari, ne ad regem regum ceſſaret uenire, catenas illi, et ijs, qui cum eo erant, Chriſtianis inijciunt, et in carcerem illos includunt, quoad, cognitione ſibi*

a Sa-

a Sapore rege data; eductos, grauiſſimeq. tortos omnes, abſciſſis ceruicibus, necarunt. In Cypro inſula, ſanctorum, Pothamij, et Nemeſi, martyrum. Catanæ in Sicilia, ſancti Leonis epiſcopi, et confeſſoris, uitæ innocentia, religione, ſacrarum litterarum doctrina, et rerum diuine, mirabiliterq. geſtarum, laude clariſſimi. Tornaci in Gallia, ſancti Eleutherij epiſcopi: qui uirtutibus, prædicatione, et miraculis ita floruit, ut Tornacenſium animos ad pie religioſeq. agendum conuerterit. Aureliæ, ſancti Eucherij epiſcopi: cuius et religioſe facta, et res admirandæ, quas multas, iuuante Deo, geſſit, ſempiternæ memoriæ commendatæ, præclaro ſanctimoniæ exemplo commemorantur. In Germania, ſancti Galli presbyteri, et confeſſoris.

Nono calendas Martij. Luna. iC.

1	12	22	4	15	25	7	18	28	10	20	2	13	23	5	16	26	8	19
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſancti Hilarij pontificis: qui in extruendis Eccleſijs, 21.
ijsq. ornandis, eleemoſynisq. conferendis, et pontificia ſanctitate mirifice præluxit. Sancti item Symmachi pontificis. Hic in pontificatu recte gerendo ſumma uigilantia, pontificaliq. charitatis exemplo, epiſcopis ducentis, et uiginti, fidei cauſa in Sardiniam ab Traſimundo, Vandalorum Rege, relegatis, quotidiana ſuppeditauit alimenta. in Miſſæ autem ſacro, diebus feſtis, Hymnum, Gloria in excelſis, cani iuſſit. In Sicilia, ſanctorum martyrum Septuaginta nouem. Ii, Diocletiano Imperatore, in cruciatum dati, inauditis ſupplicijs affecti, confeſſionis, quam ſumma conſtantia adhibuerunt, palmam, ſibi a CHRISTO *Domino paratam, acceperunt. Adrumenti in Africa, ſanctorum, Veruli,*

ruli, Secundini, Seruuli, et aliorum uiginti: qui, in Vandalica perſecutione, corona inſigniter donati ſunt. In Græcia, ſancti Agathonis pontificis. Is parentum cura omnibus ſacræ ſcripturæ litteris ſtudioſe admodum eruditus, eum pietatis fructum tulit, ut, illis mortuis, ſtatim congeſtas unum in locum facultates die uno pauperibus diſtribuerit. deinde monachalis uitæ diſciplinam amplexus, totum diuino cultui ſe dedit: dies noctesq. cum in oratione et precibus eſſet, Dei munere et gratia id factum eſt, ut miracula multa ederet; unde Thaumaturgi nomen accepit. Poſtea ſummus pontifex creatus, re Eccleſiaſtica publica optime adminiſtrata, ſingulare caſtiſsimæ religionis, ſanctimoniæ, et admirandæ ſollicitudinis exemplum reliquit. Metis, ſancti Felicis epiſcopi, et confeſſoris: qui annis quadraginta, et menſibus ſex, cum Eccleſiam Metenſem ad Dei uoluntatem uigilanter adminiſtraſſet, ſanctarum uigiliarum, epiſcopaliumq. uirtutum, ac diuinarum rerum, quas religioſe geſsit, laude florens, quieuit in Domino. Mediolani, Apparitio ſancti Ambroſij ad uicum Parabiacum. Brixiæ, ſancti Paterij epiſcopi, et confeſſoris.

D. Octauo calendas Martij. Luna.

2	13	23	5	16	26	8	19	29	11	21	3	14	24	6	17	27	9	20
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

22. *Antiochiæ, Cathedra ſancti Petri Apoſtoli: qui, e uinculis liberatus, cum Theophili præfecti filium mortuum ad uitam reuocaſſet, Eccleſiæ Antiochenæ ſeptem annis præfuit, pulſo Simone mago. Romæ, uia Tiburtina, ſanctæ Concordiæ martyris, Decio Imperatore, Eccleſiam Dei oppugnante. Salaminæ in Cypro, ſancti Ariſtonis: qui unus fuit de duobus et ſeptuaginta*

CHRISTI

CHRISTI Domini diſcipulis. Hierapoli, ſancti Papiæ epiſcopi. Is Aſianus, beati Ioannis auditor, Apoſtolorum diſcipulus, diui Polycarpi familiaris, Hierapolitanorum epiſcopus conſecratus, multos annos illi eccleſiæ ſumma cum laude præfuit: ſacræ eruditionis, et ſanctitatis laude clarus, quieuit in Domino. In Africa, ſanctorum martyrum, Victorini, Palatini, Pauli, Donati, Fortunæ, et aliorum uiginti nouem. Alexandriæ, ſancti Abilij epiſcopi. Hic in Aniani, qui beato Marco Euangeliſtæ ſucceſſit, locum factus epiſcopus, eccleſia Alexandrina tredecim annis religioſe adminiſtrata, præclaris meritis cumulatus, abijt in cælum. Viennæ, ſancti Paſchaſij epiſcopi, et confeſſoris, admiranda pietate uiri.

Septimo calendas Martij. Luna. ix. E.

3 14 24 6 17 27 9 20 1 12 22 4 15 25 7 18 28 10 21
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Vigilia beati Matthiæ apoſtoli. Romæ, ſancti Polycarpi presbyteri: qui una cum beato Sebaſtiano quàm plurimos ab impietatis erroribus ad fidem perduxit: atque ad martyrij gloriam ſingulari religioſi animi incitatione, conſtantiq. cohortatione accendit. In Pannonijs, ſanctorum martyrum, Seroneti, Antigoni, Rutuli, et Libi. In Paleſtina, ſancti Sereni abbatis: cuius res admirandæ, et uirtutum exempla, ad omnem ſanctimoniæ laudem inſignia, ſempiternæ memoriæ tradita ſunt. Sirmij, ſancti Syreni monachi, et martyris: cui, Maximiano Imperatore, in fidei Chriſtianæ confeſſione caput abſciſſum eſt. Eo ipſo præterea loco, ſanctorum Sexaginta duorum aliorum martyrum: qui cæleſti præſidio, diuinaq. conſtantia ad omnem cruciatum 23.

K perſe-

perferendum communiti, inſigniter coronati ſunt. In Græcia, ſancti Polycarpi epiſcopi: cuius dies natalis agitur ſeptimo calendas Februarij. In urbe Ecchatana, ſancti Docithei monachi, et confeſſoris; qui nullis ſacrarum rerum doctrinis eruditus, breui ad perfectionem progreſſus, pro uitæ religioſæ meritis præmium cæleſte accepit. In Pannonia, ſancti Gerardi epiſcopi, et aliorum præterea martyrum: qui a nefarijs fidei hoſtibus pro CHRISTI *nomine fœde necati, æterna perfruuntur gloria. Brixiæ, ſancti Felicis epiſcopi, et confeſſoris. In Anglia, ſanctæ Milburgis uirginis. Aruernis, ſancti Syreni: qui egregio martyrio coronatus eſt. Treuiris, Inuentio ſancti Celſi, epiſcopi, et confeſſoris.*

F. **Sexto calendas Martij.** Luna.

Si dies intercalaris incidit, iteratur Martyrologium, quod pronunciatur pridie huius diei.

4	15	25	7	18	28	10	21	2	13	23	5	16	26	8	19	29	11	22
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

24. *Sancti Matthiæ Apoſtoli. Hic poſt* CHRISTI *Domini aſcenſum ad cælos, ab Apoſtolis in Iudæ locum ſuffectus, primum in Macedonia prouincia, deinde in Iudæa Euangelium prædicauit: ubi a Iudæis lapidibus cæſus, demum ſecuri percuſſus eſt. In Africa, ſanctorum martyrum, Montani, Lucij, Iuliani, Victoris, Flauiani, et reliquorum ſociorum: quorum præclara pro fide certamina, gaudenti animo ſuſcepta, ac mirabiliter confecta, leguntur. In Græcia, ſancti Rhegini epiſcopi, et martyris. Hic, e parentibus Chriſtianis natus, ab ineunte ætate tum pietate, tum ſacris excultus litteris, epiſcopus factus, in illo munere obeundo*

eam

eam ſibi uirtutum famam collegit, ut ad Synodum Sardicenſem uocatus, hæreſes omnes dicendo retuderit. Excitata autem non multo poſt in Catholicos perſecutione, comprehenſus, cruciatibus uarie affectus, demum abſciſsis ceruicibus, martyrij præmium tulit. Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Sergij martyris: cuius tum admirabilis ob CHRISTVM *dimicatio extitit; tum alia diuine facta narrantur. Rothomagi, ſancti Prætextati epiſcopi, et martyris. Hieroſolymæ, Inuentio capitis ſancti Ioannis Baptiſtæ: quod, Martiano Imperatore, duobus monachis mirabiliter patefactum, et repertum eſt. Mediolani, ſancti Honorati epiſcopi. Is nobilis eximia uirtute uir, rerum, quas conſtanti Chriſtianæ religionis exercitatione geſſit, gloria clarus, obijt in Domino. In Anglia, ſancti Ethelberti regis, confeſſoris: qui beati Auguſtini, ab Gregorio Pontifice ad eam inſulam miſſi, prædicatione fidem complexus, Eccleſias Deo exædificauit: religionisq. Chriſtianæ amplificandæ ſtudio deditus, cum multa pie ſancteq. egerit, ad præmium abijt in cælum. In Scotia, ſancti Berecti monachi, et confeſſoris: qui profuit et uitæ ſanctiſsimæ exemplo, et prædicatione.*

Quinto calendas Martij. Luna. xvii. G.

5 16 26 8 19 29 11 22 3 14 24 6 17 27 9 20 1 12 23
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

In Africa, ſanctorum martyrum, Donati, Iuſti, Rotuli, Heronæ, Piſionis, Neſtoris, Caſtæ, et aliorum quinquaginta: qui ut Chriſtianæ fidei religione, ſic in perferendis cruciatibus inuicto animo coniunctiſsimi, egregij certaminis curſu confecto, ad palmam perueniunt. In Thracia, ſancti Alexandri martyris. 25.

Hic, ciuis Puteolanus, Maximiano Imperatore, idolorum cultum libere deteſtatus, pro coſtanti CHRISTI IESV *confeſſione, primum, appenſis ad pedes ſaxis, diu tortus; deinde in equuleum actus: tum accenſis facibus ſemiuſtulatus; demum, capite præciſo, coronam adeptus eſt. Dioſpoli in Aegypto, ſanctorum martyrum, Victorini, Victoris, Nicephori, Claudiani, Dioſcori, Serapionis, et Papiæ: ex quibus Victorinus in caueam, e quercu confectam, undique perforatam incluſus, et per ſingula foramina cultris uulneratus, capite cum extaret, ſecuri percuſſus eſt. Victor hoc idem pertulit. Nicephorus ſponte caueam ingreſſus, inde eductus, et in craticula aſſus, denique contrucidatus eſt. Claudianus, et Dioſcorus combuſti; Serapio, et Papias capitis damnati; omnes, Numeriano Imperatore, et Sabino præfecto, illuſtre martyrium ſubierunt. Carthagine, ſancti Victorij martyris. Hoc ipſo die, ſanctorum, Neſtoris, et trium germanorum fratrum: qui, Iuliano Chriſtianæ pietatis, et uirtutis aduerſario, pro* CHRISTO *fortiter dimicando, coronantur. In Græcia, ſancti Tharaſij epiſcopi, et confeſſoris. Herbipoli, ſancti Burardi epiſcopi: qui, ea Eccleſia quadraginta annis pie religioſeq. adminiſtrata, ſanctimoniæ et miraculorum gloria clarus, obdormiuit in Domino. Agrigenti in Sicilia, ſancti Gerlandi epiſcopi, et confeſſoris. Mediolani, ſancti Gotardi epiſcopi, et confeſſoris. In Gallia, ſancti Furſei monachi.*

vi. A. Quarto calendas Martij. Luna.

6	17	27	9	20	1	12	23	24	15	25	7	18	28	10	21	2	13	24
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

26. *Romæ, ſanctorum martyrum, Fortunati presbyteri, Felicis, Theo-*

Theonij, et aliorum ſex et uiginti. Pergæ, in Pamphilia, ſancti Neſtoris martyris: qui, Decio Imperatore, nominis populiq. Chriſtiani infenſiſſimo hoſte, CHRISTI fidem libere confeſſus, Pollionis præfecti iuſſu equuleo tortus, tum in crucem actus, ſumma confeſſionis conſtantia, migrauit in cælum. Alexandriæ, ſancti Alexandri epiſcopi: cuius incredibilis religioſi animi uirtus in tuenda fide Catholica, et ſanctitatis ſplendor in omni actione maximus eluxit. Gazæ in Paleſtina, ſancti Porphyrij epiſcopi: qui Eccleſiam Gazenſem magna Chriſtianarum uirtutum exercitatione cum circiter quinque et uiginti annis pie geſſiſſet, certamine, quod contra idolorum cultores ab initio ſuſceperat, præclare confecto, uita ſanctiſſime acta, rebusq. plurimis religioſe, et mirabiliter geſtis, quieuit in Domino. Niuernis, ſancti Agricolai epiſcopi, et confeſſoris. Veronæ, ſancti Seruuli epiſcopi. In finibus Archiacenſium, ſancti Victoris confeſſoris: de quo ſanctus Bernardus duos habuit ſermones.

Tertio calendas Martij. Luna. B.

7 18 28 10 21 2 13 24 5 16 26 8 19 29 11 22 3 14 25

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum, Alexandri, Abundiani, Antigoni, et Fortunati, martyrum: qui, Diocletiano fidei aduerſario, dimicationibus conſtanter ſuſceptis, coronantur. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Iuliani martyris. Hic podagræ morbo affectus, cum neque ſtare, neque incedere poſſet, una cum Euno ſeruo ad iudicem ſella delatus eſt: cuius iuſſu uterque camelis impoſitus, et per urbem ductus, uerberibus cæditur, quoad unus, et item alter animam reddidit Domino, pro cuius gloria cruciatum pertulit. In 27.

Africa, ſancti Dionyſij, et aliorum uiginti quattuor martyrum. Hiſpali in Hiſpania, ſancti Leandri epiſcopi, et confeſſoris: cuius prædicationibus, et uirtute gens Gothorum uniuerſa ab Ariana impietate ad Eccleſiæ fidem ſe contulit. Lugduni, ſancti Baldomeris, uiri Dei: cuius ſepulcrum crebris miraculis illuſtratur.

xiiij. C. Pridie calendas Martij. Luna.

8 19 29 11 22 3 14 25 6 17 27 9 20 1 12 23 4 15 26
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

28. *Romæ, ſanctorum martyrum, Celerij, Pupuli, Claudiani, Iuſti, Macarij, Nicephori: qui in perſecutione Diocletiniana, poſt dimicationes, et uitæ cruciatus uarios; demum inſigniter coronati ſunt. Eodem die, ſanctæ Salbinæ martyris. Hæc uirgo Romana, in uirginalis uitæ inſtituto, et amore* CHRISTI *diuinitus confirmata, pro* CHRISTI *ſponſi gloria martyrij corona inſigniter decoratur. Alexandriæ, beatorum martyrum, Cærealis, Caij, et Serapionis. Lugduni, ſancti Romani abbatis: qui primus in ſolitudine eo loco uitam degit: multiſq. uirtutibus, et miraculis clarus, pater extitit quàm plurimorum monachorum. Hoc ipſo die, ſancti Lupicini abbatis, et confeſſoris. Is, præter ceteras Chriſtianæ religionis uirtutes, admiranda abſtinentia fuit. Veronæ, ſancti Vindemialis epiſcopi, et confeſſoris. Papiæ, Translatio ſancti Auguſtini epiſcopi: cum ſacrum eius corpus ex urbe Hippone, iam pridem uaſtata ac direpta per barbaros Africa, in Sardiniam primo aſportatum, inde poſt, Luithprando Rege procurante, Papiam pie translatum, nobili loco ibidem religioſe reconditur.*

21 · marij

MAR-

Calendis Martij. Luna. iii.D.

9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	28	10	21	2	13	24	5	16	27
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

ROMAE, ſanctorum martyrum, Ducentorum, et ſexaginta: qui Claudio Imperatore, religionis Chriſtianæ accuſati, primo arenam fodere iuſsi, poſt uia Salaria in locum quendam incluſi, militum telis necati, migrauerunt ad Dominũ. Maſsiliæ, ſanctorum, Hermetis, Leonis, et Adriani, martyrũ. Ii, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, coronati ſunt. Carthagine, ſancti Donati martyris: qui, Vrſatio duce, et Marcellino tribuno, in CHRISTI *confeſſione conſtans, palmam tulit. Cæſareæ in Paleſtina, ſanctorum, Marini, et Aſterij martyrum. Fuit Marinus, genere illuſtris, opibus abundans, et Chriſtianæ fidei colens, quo nomine accuſatus ob præclarũ teſtimonium, quod* CHRISTO *redemptori dedit, capitis damnatus, præmiũ cæleſte accepit. Aſterius autem, patricius Romanus, nobilitate, ac diuitijs florens, cum illius martyrio intereſſet, pro Chriſtiana pietate, cuius ſtudio exardeſcebat, eius corpus humeris ſuis, et ſubſtrata ueſte qua induebatur, excepit; et honorem, quem martyri* CHRISTI *tribuit, continuo ipſe martyr conſequitur. Calagurij in Hiſpania, ſanctorum martyrum, Hemiterij, et Chelidonij: quorum præclarum certamen, ſempiternæ gloriæ conſecratum, ſingulari hymno a Prudentio celebratur. In Græcia, ſanctæ Eudociæ martyris. Andegaui, ſancti Albini epiſcopi, et confeſſoris, egregia ſanctitate uiri. Fuit is ieiunio deditus, in oratione aſsiduus, ac uigiliarum ſtudioſus: religionis ardore uſque ab adoleſcentia incenſus, relictis parentibus, monachalem uitam* Die I.

ample-

amplectitur: quo in uiuendi inſtituto in dies longius progrediens, ceteris prælucebat ſanctimonia. factus autem abbas, eo munere multos annos pie recteq. adminiſtrato, cum magnam de ſe opinionem ob merita excitaſſet, demum Andegauenſium epiſcopus creatur. Ea dignitate ornatus, epiſcopalium uirtutum partes omnes, pauperibus alendis, captiuis redimendis, ægris conſolandis, uiduis, pupillisq. tuendis, et ciuibus ad ſalutem adiuuandis, executus eſt diligenter. horum ſtudiorum, et uitæ in primis, rerumq. quas admirandas multas diuine geſſit, laude florentiſſimus, ad præmium abijt in cælum. Peruſiæ, ſancti Herculani epiſcopi, et martyris: cui caput præciſum eſt: idq. quadrageſimo poſt necem die inuentum eſt, ita coniunctum, ut præciſionis ſignum nullum appareret. In oppido Vuerda, ſancti Suuiberti epiſcopi: cuius ſanctiſſima uita perſpecta, et rebus admirabilibus, quæ omnes ad ſempiternam gloriam inſignes, a Marcellino presbytero litteris ad poſteritatem proditæ ſunt, perſpicue cognitis, Leo Tertius, Pontifex Maximus, eum in ſanctos retulit. Maſſiliæ, ſancti Adalongi epiſcopi, et confeſſoris. In finibus Cenomanenſium, ſancti Siuiardi abbatis: qui omni uirtutum Chriſtianarum genere diuinitus decoratus, ſanctitate illuſtris, migrauit ad Dominum IESVM CHRISTVM, quem uere dilexit.

E. Sexto Nonas Martij. Luna.

10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	29	11	22	3	14	25	6	17	28
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

2. *Romæ, ſanctorum martyrum quàm plurimorum: quos, primum diu uarie cruciatos, tandem capitis damnari, Alexander Cæſar iuſſit. Romæ item, uia Latina, ſanctorum, Iouini, et Baſilei:*

ſilei: qui Gallieno, et Valeriano, Imperatoribus, ſecuri percuſsi, palmam martyrij tulerunt. Romæ præterea, ſancti Simplicij papæ, et confeſſoris: qui pontificijs uirtutibus, et ſcriptis eccleſiam illuſtrat. In portu Romano, ſanctorum martyrum, Pauli, Heraclij, Secundolæ, et Ianuariæ. In Græcia, ſancti Theodoti epiſcopi, et martyris. Eodem die, ſanctorum martyrum, Abſaloni, Hergli, et Largi. Cæſareæ, ſancti Lucæ epiſcopi. Burgis, ſancti Caroli martyris. Hic Canuti regis, martyris, filius, non minori gloria, martyrij coronam accepit. Hoc ipſo die, ſanctorum Quadrigentorum martyrum, qui a Longobardis impulſi, ut capræ caput colerent, id obfirmato animo maxime deteſtantes, contrucidati ſunt. In Anglia, ſancti Ceddæ epiſcopi: cuius ſanctitatem, et præclaras religioſi animi uirtutes, ſempiterna memoria dignas, Beda commemorat. Antiſiodori, Translatio ſancti Optati epiſcopi, de quo pridie calendas Septembris.

Quinto nonas Martij. Luna, xi. F.

11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	19
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſanctorum martyrum, Felicis, Lucioli, Fortunati, Martiæ, Herodis, Antigonij, Ianuarij, Tutellæ, Gabiani, Quiriuli. Item, Felicis, Floriani, et Donati. In Africa, ſancti Lucij epiſcopi, et martyris: qui, Valeriano Imperatore, pro CHRISTI gloria necatus, inſigniter coronatur. Cæſareæ in Paleſtina, ſanctorum martyrum, Aſterij ſenatoris, et Marini militis: de quibus mox ſupra calendis. In Græcia, ſanctorum, Eutropij, Cleonici, Baſiliſci, et ſociorum martyrum. Calagurij, ſanctorum, Hemiterij, et Chalendonij: quorum ſupra calendis item 3.

L comme-

martyrum. Brixiæ, ſancti Paulini epiſcopi, et confeſſoris. Apud Treuiros, ſancti Baſini epiſcopi, et confeſſoris.

Tertio nonas Martij. Luna. xix. A.

13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Antiochiæ, ſancti Phocæ martyris: qui, Traiano Impera- 5.
tore, pro CHRISTI IESV *fide multas contumelias, cruciamentaq. perpeſſus, demum magno animi robore gloriæ coronam accepit, oppugnante antiquo hoſte: de quo quàm inſignem triumphum deportarit, maximus populi concurſus ad eius baſilicam oſtendit; ubi miraculorum magnitudo diuinitus elucet. Antiochiæ item, ſancti Euſebij Palatini, et aliorum ſociorum nouem: quorum pro fide congreßio, et dimicatio in illa ipſa perſecutione Traianiana, ſicut præclara extitit; ita uictores eos Dominus ornauit egregia cæleſtis præmij dignitate. Cæſareæ in Paleſtina, ſancti Hadriani martyris. Hic, Firmiliani præfecti iuſſu, die feſto, quo natalitia fortunæ Cæſarienſium celebrari ſolemne eſt, leoni primum obiectus, deinde gladio iugulatus, necem pertulit pro* CHRISTO *Domino: cuius fidem libere palamq. confeſſus, inexpugnabili firmitate certaminis defendit. In Africa ſanctorum martyrum, Euolij, Petri, Victoris, et ſociorum trecentorum. Cæſareæ, ſancti Theophili epiſcopi: qui, Seuero Imperatore, ſanctimonia, et ſapientia florens, Synodo interfuit: quam de Paſchæ celebritate, non alio die, niſi dominico, agenda epiſcopi Palæſtini habuerunt. Hoc ipſo die, ſancti Euſebij Abbatis. Hic ciuis Cremonenſis, beati Hieronymi diſcipulus, in ſacris doctrinis, et in uitæ religioſæ officijs pie uerſatus, ſancte factorum*

ſoris, et doctoris: quem theologiæ ſcientia, et uitæ religione clarum, cognitis illius rebus, ſanctè ac diuinè geſtis, Ioannes XXII. Pontifex Maximus, in ſanctorum numerum retulit. Thuburbæ in Mauritania, ſanctorum martyrum, Reuocati, Perpetuæ, Felicitatis, Satyri, Saturnini, et Secundoli. Hic in carcere quieuit: reliqui omnes beſtijs obiecti ſunt, Valeriano, et Gallieno Imperatoribus. Cæſareæ in Paleſtina, ſancti Eubuli martyris. Hic a iudice rogatus, ut hoſtias immolaret idolis, id committere, præciſe negauit; glorioſam mortem, pro pietate ſuſceptam, huic uitæ breui et caducæ præponens: ſicq. primo beſtiarum morſibus laniatus, gladio demum contrucidatus, omnia martyrum certamina, Cæſareæ confecta, ſuo ſanguine poſtremus obſignauit. In Græcia, ſanctorum epiſcoporum, martyrum, Baſilei, Ephraim, Chanitonis, Eugenij, Aetherij, et ceterorum: qui in Cherſone cruciati, ſanguine denique profuſo, illuſtre fidei Chriſtianæ teſtimonium dederunt. In Valeria prouincia, ſancti Equitij abbatis: cuius ſanctimonia quàm magna extiterit, ex beati Gregorij, pontificis, teſtimonio apparet. Hoc ipſo die, ſancti Volkeri martyris. Brixiæ, ſancti Gaudioſi epiſcopi, et confeſſoris.

Octauo idus Martij. Luna. xvi. D.

16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Carthagine, ſancti Pontij diaconi. Hic beati Cypriani martyris diſcipulus, eiuſdem in exilio comes, et ſocius, de illius uita librum conſcripſit. in ijs, quæ fidei cauſa perpeſſus eſt, aſſidue deo gloriam tribuens, uitæ ſempiternæ præmium tulit. In urbe Antinoo, ſanctorum martyrum, Philemonis, et Apollonij diaconi: 8.

qui ambo comprehenſi, qua erant diuina conſtantia communiti, nullis cruciamentis fracti, ſed in IESV CHRISTI *fide conſtantiores, exploſo idolorum cultu, primum perforatis pedibus per urbem raptantur; tum, abſciſsis ceruicibus, cæleſtem martyrij palmam conſecuti ſunt. Eodem die, in ea ipſa urbe, ſanctorum, Hadriani, Theotici, et ſociorum trium, martyrum: quos, Diocletiano, fidei aduerſario, iudex in mare mergi imperauit. at hoc diuinitus, et mirabiliter factum eſt, ut eorum corpora delphini adiumento in littus importata ſint. In Africa, beatiſsimorum martyrum, Rogati, Felicis, et Rogati item; Beatæ, Herenæ, Felicitatis, Orbani, Cyrilli epiſcopi; Siluani, Mamilli. In Morinis, ſancti Humfridi epiſcopi, et confeſſoris. In Anglia, ſancti Felicis epiſcopi, et confeſſoris: qui e Burgundia ad eam inſulam Euangelij cauſa profectus, in Orientali Angliæ regione populum* CHRISTI *religione imbuit, conſtituta ſede epiſcopali: in qua annis ſeptem et decem ſedit, magna ſanctitate clarus.*

v. E. Septimo idus Martij. Luna.

17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5

A b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t

9. *Sebaſte in Armenia, beatiſsimorum martyrum quadraginta, Quirionis, Candidi, Domitiani, Eunoici, Siſinij, Heraclij, Alexandri, Ioannis, Claudij, Athanaſij, Valentis, Heliani, Melitonis, Ecdici, Acacij, Viuiani, Heluij, Theoduli, Cyrilli, Flauij, Seueriani, Cyrionis, Valerij, Chudionis, Sacerdonis, Priſci, Euthycij, Smaragdi, Philoctimonis, Aetij, Michallij, Liſymachi, Domni, Theophili, Xantij, Angiæ, Leontij, Iſychij, Gorgonij, et Caij. Ii, Licinio rege, in teterrimum carcerem,*

Agricolai præfecti iuſſo primum detruſi, tum uinculis conſtricti, uultu lapidibus contuſo, in ſtagnum gelidiſsimum iniecti, hoc acerbiſsimo ſupplicio omnes præter Melitonem mortui ſunt: qui unus minor natu, a matre in humeros ſublatus, in eius amplexu ſpiritum DEO *reddidit. Eius autem corpus in rogum, in quem reliqui martyres poſiti ſunt, pia mater coniecit; ut, qui fidei robore coniunctiſsimi fuerant, funeris quoque ſocietate copulati, unà in cælum peruenirent. In Africa, ſanctorum, Iuliani, Sicci, et Mauriani, martyrum. Nyſſæ, ſancti Gregorij epiſcopi, uitæ ſanctimonia, doctrina, eloquentia clariſsimi, Baſilio fratre uere digni. Barcinonæ, ſancti Patiani epiſcopi, acerrimi catholicæ fidei contra Nouatianos defenſoris, uirtutumq. Chriſtianarum ſplendore uiri illuſtris.*

Sexto idus Martij. Luna. F.

18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6
A b c d e f g h i K l m n o p q r T t

Apameæ, ſanctorum, Caij, et Alexandri: qui, Antonino 10.
Imperatore Chriſtiani nominis aduerſario, in CHRISTI *confeſsione conſtantes, martyrium ſubierunt, ut Apollinaris Hierapolitanus contra Cataphrygas ſcribit. Corinthi in Peloponeſo, beatorum martyrum, Codrati, Cypriani, Dionyſij, Anecti, Pauli, et Creſcentis. Primo Codratus, Decij iuſſo, ſupplicijs acerbiſsi-* 11
mis ab Iaſone, Græciæ præfecto, contra Chriſtianos homines excogitatis, et decretis, non deterritus, neque ullis præfecti uerborum blanditijs de pietatis gradu deiectus, cum in cuſtodia eſſet, acerbè uirgis cæditur: tum deinceps Cyprianus, et reliqui fœde uerberantur. qui omnes, ætate adoleſcentes, at uirtute uiri egregij, præ

ſanctæ

ſanctæ gloriæ deſiderio tortorum immanitatem, et tormentorum uim, omnemq. cruciatuum acerbitatem fortiter contempſerunt: ſicq. beati martyres, præclara pugna confecta, cum magnum fidei, pietatis, et conſtantiæ exemplum præbuiſſent, demum ſecuri percuſſi, uictores in CHRISTO, *cæleſti corona inſigniter decorantur. In Perſide, ſanctorum martyrum, Quadraginta duo. Niceæ in Bythinia, beatorum martyrum, Gorgonij, Firmi, Antonij, et Agapæ uirginis. In Nicomedia, ſanctorum, Palatini, Firmiani, et Ruſtici, martyrum. Laodiceæ, ſancti Anatolij epiſcopi: qui multa et pie geſſit, et docte ſcripſit: unde cum ſanctiſſimæ actæ uitæ, tum multa in ſacris litteris exercitationis exempla ſumuntur. In monaſterio Luxouio, ſancti Attalæ abbatis, et confeſſoris. Hic genere nobilis, at nobilior ſanctitate, beati Columbani, a quo inſtitutus eſt, mores, et diſciplinam uitæ ſecutus, recte diuineq. factorum gloria florens, quieuit in Domino. Pariſijs, ſancti Droctouei abbatis, et confeſſoris; ſpectata religione, admirandaq. pietate uiri, et uirtutum beati Germani epiſcopi, quo magiſtro uſus eſt, imitatoris egregij.*

xiiii. G. Quinto idus Martij. Luna.

19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

11. *Carthagine, beatiſſimorum martyrum, Heraclij, Zozimi, Candidi, Piperionis, et aliorum uiginti: qui, Valeriano, et Gallieno Imperatoribus, fidei hoſtibus, pro* CHRISTO *in cruciatum dati, egregie coronati ſunt. Laodiceæ, ſanctorum martyrum, Trophimi, et Thali: qui, in perſecutione Diocletiniana, religionis Chriſtianæ accuſati, eo nomine uarie, ac grauiter excruciati, in*

ti, in ſumma tormentorum acerbitate liberius CHRISTI *fidem profitendo, inſigni martyrij corona ornantur. Antiſiodori, ſancti Vigilij epiſcopi, et martyris. Hic, Martino, Eugenio, et Vitaliano* pontificibus, *cum uiginti quinque annos, et amplius eccleſiam Antiſiodorenſem pie religioſeq. geßiſſet; demum ab Ebroyno in Cotia ſilua, martyrium perpeſſus, migrauit ad Dominum. Cordubæ, ſancti Eulogij* presbyteri: *cuius hoc ipſo die martyrium extitit; ſed duodecimo calendas Octobris, anniuerſario precum officio illius celebritas agitur; ut tota huiuſce rei ratio eo die narrabitur. Hieroſolymæ, ſancti Sophronij epiſcopi: cuius nomen in ſacris eccleſiarum Diptychis adſcribi, Conſtantinopolitana Synodus cenſuit. Mediolani, ſancti Benedicti epiſcopi: qui eccleſia Mediolanenſi ad* Dei *uoluntatem pie adminiſtrata, miraculis clarus, et uirtutum laude in omni Italia florens, quieuit in Domino. Carthagine, ſancti Conſtantini, confeſſoris, cæleſtium diuinarumq. actionum gloria clarißimi. In Ambianenſium finibus, ſancti Firmini* abbatis, *et confeſſoris. Herbipoli, ſancti Gumperti confeſſoris. Aruernis, ſanctæ Georgiæ uirginis: quæ orationibus, ac ieiunijs dedita, uitam, et mentem uirginalem ita ſpirituali cultu exercuit, ut uirginitatis fructum* Dei *gratia, et munere conſecuta, dum ad eccleſiam efferretur, mirabiliter cæleſtibus honorata ſit exequijs. In Pago Atrebatenſi, ſancti Vindiciani epiſcopi, et confeſſoris.*

Quarto idus Martij. Luna. ii. A.

20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Gregorij papæ, *et* doctoris: *cuius etiam dies* 12.

M *feſtus*

feſtus a Græcis propter inſignem eius ſapientiam, et ſanctitatem, præcipuo honore celebratur. Romæ item, ſancti Innocentij primi, papæ: qui Pelagium hæreticum in Britannia, Cæleſtinum, et Iulianum, eiuſdem generis homines, damnauit: multa item ſancte conſtituit, pieq. geſſit ad Chriſtianæ religionis cultum, et ad reipublicæ Catholicæ uſum neceſſaria. Romæ præterea, ſancti Mamiliani martyris: cuius certamen nobile admodum fuit. Romæ etiam, ſancti Petri Diaconi: qui, propoſito ſibi beati Gregorij magni, pontificis exemplo, cuius diſcipulus extitit, in omni ſanctitate eluxit. Nicomediæ, ſancti Petri martyris. Hic Diocletiani Cæſaris a cubiculis, de ſupplicijs, quæ de martyribus ille ſumebat, queſtus, eius iuſſo uirgis cæſus, aceto, et ſale perfuſus, in craticula aſſus, egregio martyrio coronatur. Eadem in urbe, ſancti Egduni presbyteri, et aliorum ſeptem martyrum: ij ſinguli, in ſingulos dies, eodem Imperatore, ſuffocati ſunt, ut alijs terror inijceretur. In Britannia, ſancti Pauli epiſcopi, et confeſſoris.

B. Tertio idus Martij. Luna.

21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

13. *Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Macedonij presbyteri, Patritiæ, et Modeſtæ. In Vrbe Nicæa, ſanctorum, Theuſetæ, Horris filij eius, Theodoræ, Nymphodoræ, Marci, Trabiæ, et reliquorum: qui omnes, in ignem poſiti, coronantur. Hermopoli in Aegypto, ſancti Sabini martyris. Is, illuſtri loco natus, Chriſtianæ religionis cultor egregius, Diocletiano Imperatore, fidei nomine in iudicium ductus, apud Arianum præfectum,* CHRISTI, *ueri Dei cultum libere, conſtanterq. profeſſus, nullis*

illius

illius perſuaſionibus, neque teterrimis tormentorũ minitationibus a propoſito dimotus, primo facibus accenſis ita aduritur, ut eius caro inſtar ceræ liquefactæ difflueret; poſt. in flumen proiectus, palmam martyrij tulit. In Græcia, ſanctorũ trium CHRISTI *martyrum, Africani, Puplij, et Terentij. In Thebaide, ſanctæ Euphraſiæ uirginis. Hæc, patre mortuo, in Aegyptum una cum matre, Theodoſio Imperatore, commigrans, Dei religioni dicata, ſingulare patientiæ exemplum omnibus in rebus præbens, ſanctiſſime uixit. Cordubæ, beatorum martyrum, Ruderici presbiteri, et Salamonis, de quo ſupra. Ii ambo pro fide inuicto animo contrucidati ſunt, quo tempore Sarracenorum bellum ad Dei Eccleſiam, in Hiſpania expugnandam, maxime exarſit. Cordubæ item, ſancti Leandri epiſcopi: de quo ſupra, tertio calendas Martij. Niuernis, ſancti Vincentij presbyteri, et confeſſoris. In monaſterio Cluniaco, Translatio ſanctæ Conſortiæ.*

Pridie idus Martij. Luna. x. C.

22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 16
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, beatiſſimorum martyrum, Quadraginta ſeptem: qui 14.
ab ſancto Petro Apoſtolo omnes baptizati ſunt, quo tempore una cum Apoſtolo Paulo is mẽſibus nouẽ in cuſtodia Mamortini fuit. Ii, Nerone Imperatore, exquiſitiſſimis torti ſupplicijs, tandem, in fidei confeſſione diuino præſidio roborati, præciſis ceruicibus, ad palmam perueniunt. Romæ præterea, ſancti Zachariæ pontificis. Hic pro pietatis ſtudio, beati Gregorij magni dialogorum libros græce reddidit: Italiæ, inteſtinis bellis ardenti, pacem reſtituit: Germaniam diœceſium finibus diſtinxit, epiſcopatibus au-

xit, et ornauit: Pipinum ſolenni Chriſtianoq. ritu ab Bonifacio archiepiſcopo Regem conſecrari uoluit: Romanæ eccleſiæ patrimonium propagauit: de cleri, populiq. Chriſtiani diſciplina, et moribus multa ſalutariter pieq. ſanciuit: Baſilicas multas collabentes inſtaurauit: Blibliothecam Vaticanam confecit, et inſtruxit: templum beati Georgij, CHRISTI *martyris, exædificauit. Iis igitur, et alijs multis recte ſancteq. factis, ac uitæ religione clarus, republica Chriſtiana decem annos, et amplius optime geſta, animam* Deo *reddidit. Laodiceæ, beati Sagoris epiſcopi, et martyris. Hic Sergio Paulo proconſule, in Antonini perſecutione, pro* CHRISTO *necatus, abijt in cælum. In Africa, ſanctorum martyrum, Petri, et Aphrodiſij: qui, Vandalis, fidei Catholicæ infenſiſſimis aduerſarijs, martyrio coronantur. Carthagine, ſanctorum, Donati, Effroſi, Fruminij, martyrum. Nicomediæ beatorum item martyrum, Feliciſſimi, et Frontinæ. In Pidne, ſancti Alexapdri martyris: qui, fidei prædicatione, in hominum impiorum inſaniam libere inuectus, de pietatis gradu cum deijci nullo pacto poſſet, præciſo capite, martyrij calicē bibit. In Mauritania, ſancti Recuperati, et ſociorum martyrum. Mediolani, ſancti Lazari epiſcopi, et confeſſoris: qui, undecim annis eccleſiæ Mediolanenſi præfuit, uitæ, ſanctiſſime actæ, laude illuſtris. Veronæ, ſancti Innocentij epiſcopi. Carnuti, ſancti Leonini epiſcopi. Lugduni, Tranſlatio ſancti Bonauenturæ.*

D. Idibus Martij. Luna.

23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

15. *Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Longini martyris: qui* IESVM CHRISTVM *crucifixum haſta percuſſit: ob ſigna, et pro-*

prodigia ſubſecuta, Chriſtianus factus, eorum, quæ admiſit, magnopere intimeq́. pœnitens, octo et triginta annis in CHRISTI *militia fuit: tum poſtremo in Cappadocia Octauio præſide, abſciſſa lingua, conuulſis dentibus, dempto capite, martyrij coronam eſt conſecutus. Bethaniæ in Paleſtina, ſancti Ariſtoboli epiſcopi: qui unus e ſeptuaginta diſcipulis, Pauli Apoſtoli auditor, Barnabæ frater, Euangelij prædicatione multos* CHRISTO *Domino adiunxit. Theſſalonicæ, ſanctæ Matronæ martyris. Hæc Plautillæ cuiuſdam, a fide auerſæ, ancilla, occulte* CHRISTVM *colẽs, in hoc Chriſtianæ religionis cultu ab hera deprehenſa, ac multipliciter iniurioſius tractata, poſtremo uerberibus cæſa uehementer, in fidei confeßione animam Deo reddidit. Cæſareæ item, beatorum martyrum, Agapij, Timolai, Puplij, et ſociorum: qui in perſecutione Diocletiniana, Vrbano præfecto,* CHRISTI *fidem conſtanti animo confeßi, gladio percußi, ad præmium com migrarunt in cælum. In Aegypto, beati martyris Nicandri: cu ius, pro* CHRISTI *religione, et admirabili erga martyres pietatis ſtudio, res multæ fortiter ſancteq. geſtæ, litteris mandatæ, extant. In Hiſpania, ſanctæ Leocritiæ uirginis, et martyris. Hæc e parentibus impijs nata, ſtudio Litioſæ, cognatione ſibi coniunctæ, fidem Chriſti complexa eſt: quam a teneris annis ſuſceptam, deinceps ſpiritalibus exercitationibus auctam, primò occultè, poſt palàm et publice coluit. a quo cultu nullis parentum, neque cohortationibus aßiduis, neque teterrimis minis abduci poteſt. diuino igitur munere ad fidei confeßionem in dies uehementius confirmata, inuicto animo martyrij curſum confecit. Reate, ſancti Probi epiſcopi, et confeſſoris. In oppido Diuionenſi, ſancti Tranquilli epiſcopi et confeſſoris: cuius ſanctitas ualde admodum eluxit, ad eius ſepulcrum diuinitus editis multis miraculis.*

Decimo

xviii. E. Decimoſeptimo calen. Aprilis. Luna.

24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

16. *Romæ, ſancti Cyriaci martyris: qui in carcere diu cruciatus, feruenti pice circumfuſus, tum in cataxta extentus, neruis, fuſtibuſq. cæſus, tandem ſecuri, Maximiliano imperante, percuſſus, ad palmam martyrij migrauit in cælum: unà cum eo, caput abſciſſum eſt, ob fidei etiam confeſsionem, Largo, et Smaragdo, alijsq. socijs uiginti: de quibus infra ad ſextum Idus Auguſti: quo die a beato Marcello pontifice eorum corpora tranſlata, nobiliq. ſepulcro condita ſunt. Aquileiæ, ſancti Hilarij epiſcopi, et Tatiani Diaconi. Ii, Numeriano Cæſare, fidei aduerſario, Beronij præſidis iuſſu, equuleo, alijsq. cruciamentis torti acerbiſsime, una cum Felice, Largo, et Dionyſio, martyrium pertulerunt. In Cilicia, ſancti Iuliani martyris. Hic, pietate Chriſtiana a matre eruditus, in diuinarum litterarum ſtudio uerſatus, octauum et decimum agens annum, ad Martianum præfectum perducitur: a quo iuſſus idolis cultum tribuere, preciſe negauit. quam ob cauſam primò uarie cæſus, tum in cuſtodiam incluſus, cum a pietatis propoſito amoueri nullo pacto poſſet, in ſacco cum ſerpentibus inſutus, in mareq. proiectus, præclari martyrij coronam adipiſcitur. In Græcia, ſancti Romani martyris: qui pro CHRISTI gloria gladio cæſus, coronatur. In Phœnicia, ſanctorum martyrum Decem: qui ſecuri percuſsi, certaminis, pro fide ſuſcepti, palmam acceperunt. Coloniæ, ſancti Heriberti epiſcopi, et confeſſoris. Hic, in illuſtri familia natus, Gerbetho, uiro ſpectata probitate, et doctrina ſingulari, qui deinceps Pontifex creatus, Sylueſtri*

ueſtri Secundi nomen accepit, in diſciplinam a parentibus traditus, breui ad magnam uirtutum laudem progreſſus, cum in omni uita ſe Euangelij præceptis conformauit; tum maxime eccleſiæ Colonienſis gubernationem adeptus, præclaro ſanctè uiuendi exemplo rem eccleſiaſticam auxit. multis igitur rebus diuine, mirabiliterq. geſtis, et ſanctimonia clarus, in ſanctorum numero adſcriptus eſt. Aruernis, ſancti Patricij epiſcopi, et confeſſoris. Viennæ, ſancti Iſicij epiſcopi, et confeſſoris.

Decimo ſexto calendas Aprilis. Luna. vii. F.

24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

In Scotia, ſancti Patritij epiſcopi, et confeſſoris: qui primus eam nationem CHRISTI ſacris imbuit. Hoc ipſo die, ſanctæ Mariæ martyris. Ea cuiuſdam Tertulli ancilla, cum ab IESV CHRISTI cultu ad idolorum impietatem poſſet nullo modo auocari, iudici in ſupplicium data, ſemel atque iterum, Dei auxilio a nece eſt mirabiliter erepta, miraculis diuinitus editis. Cabilone, ſancti Agricolai epiſcopi, et confeſſoris. Niuigellæ in Belgio, ſanctæ Gertrudis uirginis: quæ, patre mortuo, a beato Amando epiſcopo in religionem Deo ritu ſolemni conſecrata, fidei propugnandæ ſtudioſa, uerbi Dei concionatores magno in honore habuit; de pauperibus, et peregrinis ſollicita, eos charitatis uiſceribus complexa, ali, ac ſuſtentari curauit; patriæ cæleſtis ſitiens, toto uitæ curſu in omni uirtutum genere ſe exercuit; precibus autem, et contemplationibus ita aſſidue addicta, ut a terrenis rebus ad cæleſtes et ſempiternas mente et animo ſeſe abducens, in cælis uerſaretur. His ſanctitatis officijs nobilis uirgo, abijt in cælum. 17.

Her-

Herbipoli, ſanctorum confeſſorum, Colonati presbyteri, et Totuani Diaconi.

G. # Decimoquinto calen. Aprilis. Luna.

26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

18. *Cæſareæ, ſancti Alexandri epiſcopi, et martyris: qui Hieroſolymæ, et ſacrorum locorum, quæ in ea urbe ſunt, deſiderio captus, eò profectus, Dei admonitu, eiuſdem loci gubernationem ſuſcepit, ut Narciſſum epiſcopum, tum penè confecta ætate, in epiſcopalis officij munere adiuuaret: inde is ſenex, Decio Imperatore, infenſiſsimo eccleſiæ Dei hoſte, Cæſaream ductus, pro* CHRISTO *Domino martyrium gaudenti animo ſubijt. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Coleſtici martyris. Nicomediæ, beatorum martyrum, Aprilis, Ceruoli, Trophimi, Eucarpionis, et ſociorum: qui decem mille necem pro fide pertulerunt. Auguſtæ, ſancti Narciſsi epiſcopi, et martyris. Hic in Rhetia nouam familiam Deo lucratus, inde nouem poſt menſibus Gerundam ad Hiſpaniam profectus, multos ab impietatis erroribus triennio ad* CHRISTI *fidem conuertit: quo in munere, unà cum Felice Diacono, martyrij coronam accepit. In Anglia, ſancti Eduardi Regis, et martyris. Hieroſolymæ, ſancti Cyrilli epiſcopi: qui religioſiſsimus dogmatum Apoſtolicorum defenſor, ab Arianis multas fidei cauſa contumelias perpeſſus, et ab eccleſia ſibi commiſſa aliquando pulſus, optime factorum, ſanctitatiſq. gloria clarus, obdormiuit in Domino. Antiſiodori, ſancti Tretici epiſcopi, et martyris. Hic Leone, Benedicto, Ioanne, et Conone Pontificibus, epiſcopalium uirtutum laude florens, Eccle-*

ſia, ſibi concredita, ſexdecim annis et amplius pie adminiſtrata, demum gladio percuſſus, martyrij corona donatur. Hoc ipſo die, ſanctæ Spetioſæ uirginis. Mantuæ, ſancti Anſelmi epiſcopi, et confeſſoris.

Decimo quarto calen. Aprilis. Luna. xv. A.

27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Ioſeph confeſſoris. Hic ſponſus, beatiſſimæ MARIAE 19.
uirginis fuit: cuius laudes plurimorum patrum ſermonibus concelebratæ ſunt. Apud Aſtenſes, ſancti Secundi epiſcopi: qui primus eam ciuitatē Euangelij doctrinis inſtituit: de quo itē infra. Surrenti in Italia, ſanctorū martyrum, Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci, Florentij, et ſociorum nouem. Albigauni, beati martyris Caloceri: qui ab ſanctis, Iouita, et Fauſtino ad fidē conuerſus, Hadriano Imperatore, Saprini præfecti iuſſo, cruciamētis tortus, in CHRISTI IESV *confeſſione cōſtantiſſimus, egregie coronatur. Eius dies natalis Brixiæ decimo quinto calendas Aprilis agitur. Eodē die, ſancti Claudij martyris: qui, exploſo idolorū cultu, in fide omnino perſeuerans, in mare proiectus, ad præmiū migrauit in cælū. Nicomediæ, ſancti Pancharij martyris. Hic, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, in ſumma rei Chriſtianæ perturbatione, præclaris teſtimonijs fidem confeſſus, animo conſtantiſſimo ſuperatis cruciamentis, palmam martyrij tulit. Hoc ipſo die, ſanctæ Hilariæ martyris, et coniugis eius. ij ambo, præciſis ceruicibus, coronam adepti ſunt. Cæſareæ in Cappadocia, beatiſſimorum martyrum, Theodori presbyteri, et ſociorum ſeptem. Spoleti, ſancti Ioannis confeſſoris. Hic, in Syria ortus,*

laude cumulatus, quieuit in Domino. Niuernis, ſancti Gulielmi epiſcopi, et confeſſoris: qui ardenti diuinarum litterarum ſtudio egregius, in pauperes facultatum largitione magnificus uſque adeo extitit, ut, ingraueſcente annona, hominum, egeſtate laborantium, duo millia in ſingulos dies ſumptibus ſuis aleret. In Sueßionibus, ſancti Drauſij epiſcopi, et confeſſoris.

viii. B. **Pridie nonas Martij.** Luna.

14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

6. *Terdonæ, ſancti Martiani epiſcopi, et martyris: qui, Imperatore Cæſare Traiano, pro* CHRISTI *gloria occiſus, coronatur. Nicomediæ, ſanctorum, Victoris, et Victorini: I i triennio uarijs, atque exquiſitis tormentis cruciati, in uinculis confecto huius uitæ curſu, ad martyrij præmium migrarunt in cælum. In Græcia, ſanctorum Quadraginta duo martyrum; Theodori, Conſtantini, Calixti, Theophili, et reliquorum: qui in Amorio diuinitus inuenti, iam pro fide propugnatores fortiſſimi, egregio confecto certamine, ſtolis ſanguineis decorati, in cælis æterna perfruuntur gloria. Toleti, ſancti Iuliani epiſcopi, et confeſſoris: cuius, et ſanctitatis, et uirtutum nomen magnũ eſt. Treueris, ſancti Quiriaci presbyteri, et confeſſoris. Eodem die, ſancti Fridolini abbatis, et confeſſoris: cuius et ſancte, et mirabiliter facta leguntur.*

C. **Nonis Martij.** Luna.

15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

7. *In monaſterio Foſſæ nouæ, ſancti Thomæ Aquinatis, confeſſoris,*

ſoris, et doctoris: quem theologiæ ſcientia, et uitæ religione clarum, cognitis illius rebus, ſanctè ac diuinè geſtis, Ioannes XXII. Pontifex Maximus, in ſanctorum numerum retulit. Thuburbæ in Mauritania, ſanctorum martyrum, Reuocati, Perpetuæ, Felicitatis, Satyri, Saturnini, et Secundoli. Hic in carcere quieuit: reliqui omnes beſtijs obiecti ſunt, Valeriano, et Gallieno Imperatoribus. Cæſareæ in Paleſtina, ſancti Eubuli martyris. Hic a iudice rogatus, ut hoſtias immolaret idolis, id committere, præciſe negauit, glorioſam mortem, pro pietate ſuſceptam, huic uitæ breui et caducæ præponens: ſicq. primo beſtiarum morſibus laniatus, gladio demum contrucidatus; omnia martyrum certamina, Cæſareæ confecta, ſuo ſanguine poſtremus obſignauit. In Græcia, ſanctorum epiſcoporum, martyrum, Baſilei, Ephraim, Chanitonis, Eugenij, Aetherij, et ceterorum: qui in Cherſone cruciati, ſanguine denique profuſo, illuſtre fidei Chriſtianæ teſtimonium dederunt. In Valeria prouincia, ſancti Equitij abbatis: cuius ſanctimonia quàm magna extiterit, ex beati Gregorij, pontificis, teſtimonio apparet. Hoc ipſo die, ſancti Volkeri martyris. Brixiæ, ſancti Gaudioſi epiſcopi, et confeſſoris.

Octauo idus Martij. Luna. xvi. D.

16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

Carthagine, ſancti Pontij diaconi. Hic beati Cypriani martyris diſcipulus, eiuſdem in exilio comes, et ſocius, de illius uita librum conſcripſit. in ijs, quæ fidei cauſa perpeſſus eſt, aſſiduè deo gloriam tribuens, uitæ ſempiternæ præmium tulit. In urbe Antinoo, ſanctorum martyrum, Philemonis, et Apollonij diaconi: qui 8.

qui ambo comprehenſi, qua erant diuina conſtantia communiti, nullis cruciamentis fracti, ſed in IESV CHRISTI fide conſtantiores, exploſo idolorum cultu, primum perforatis pedibus per urbem raptantur; tum, abſciſſis ceruicibus, cæleſtem martyrij palmam conſecuti ſunt. Eodem die, in ea ipſa urbe, ſanctorum, Hadriani, Theotici, et ſociorum trium, martyrum: quos, Diocletiano, fidei aduerſario, iudex in mare mergi imperauit. at hoc diuinitus, et mirabiliter factum eſt, ut eorum corpora delphini adiumento in littus importata ſint. In Africa, beatiſſimorum martyrum, Rogati, Felicis, et Rogati item, Beatæ, Herenæ, Felicitatis, Orbani, Cyrilli epiſcopi, Siluani, Mamilli. In Morinis, ſancti Humfridi epiſcopi, et confeſſoris. In Anglia, ſancti Felicis epiſcopi, et confeſſoris: qui e Burgundia ad eam inſulam Euangelij cauſa profectus, in Orientali Angliæ regione populum CHRISTI religione imbuit, conſtituta ſede epiſcopali: in qua annis ſeptem et decem ſedit, magna ſanctitate clarus.

v. E. **Septimo idus Martij.** Luna.

17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

9. Sebaſte in Armenia, beatiſſimorum martyrum quadraginta, Quirionis, Candidi, Domitiani, Eunoici, Siſinij, Heraclij, Alexandri, Ioannis, Claudij, Athanaſij, Valentis, Heliani, Melitonis, Ecdici, Acacij, Viuiani, Heluij, Theoduli, Cyrilli, Flauij, Seueriani, Cyrionis, Valerij, Chudionis, Sacerdonis, Priſci, Euthycij, Smaragdi, Philoctimonis, Aetij, Michallij, Liſymachi, Domni, Theophili, Xantij, Angiæ, Leontij, Iſychij, Gorgonij, et Caij. Ii, Licinio rege, in teterrimum carcerem,

Agri-

Agricolai præfecti iuſſo primum detruſi, tum uinculis conſtricti, uultu lapidibus contuſo, in ſtagnum gelidiſsimum iniecti, hoc acerbiſsimo ſupplicio omnes præter Melitonem mortui ſunt: qui unus minor natu, a matre in humeros ſublatus, in eius amplexu ſpiritum Deo reddidit. Eius autem corpus in rogum, in quem reliqui martyres poſiti ſunt, pia mater coniecit, ut, qui fidei robore coniunctiſsimi fuerant, funeris quoque ſocietate copulati, unà in cælum peruenirent. In Africa, ſanctorum, Iuliani, Sicci, et Mauriani, martyrum. Nyſſæ, ſancti Gregorij epiſcopi, uitæ ſanctimonia, doctrina, eloquentia clariſsimi, Baſilio fratre uere digni. Barcinonæ, ſancti Patiani epiſcopi, acerrimi catholicæ fidei contra Nouatianos defenſoris, uirtutumq. Chriſtianarum ſplendore uiri illuſtris.

Sexto idus Martij. Luna. F.

18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	T	t

Apameæ, ſanctorum, Caij, et Alexandri: qui, Antonino Imperatore, Chriſtiani nominis aduerſario, in CHRISTI *confeſsione conſtantes, martyrium ſubierunt, ut Apollinaris Hierapolitanus contra Cataphrygas ſcribit. Corinthi in Peloponeſo, beatorum martyrum, Codrati, Cypriani, Dionyſij, Anecti, Pauli, et Creſcentis. Primo Codratus, Decij iuſſo, ſupplicijs acerbiſsimis ab Iaſone, Græciæ præfecto, contra Chriſtianos homines excogitatis, et decretis, non deterritus, neque ullis præfecti uerborum blanditijs de pietatis gradu deiectus, cum in cuſtodia eſſet, acerbè uirgis cæditur: tum deinceps Cyprianus, et reliqui fæde uerberantur: qui omnes, ætate adoleſcentes, at uirtute uiri egregij, præ*

10.

11

ſanctæ

ſanctæ gloriæ deſiderio tortorum immanitatem, et tormentorum uim, omnemq. cruciatuum acerbitatem fortiter contempſerunt: ſicq. beati martyres, præclara pugna confecta, cum magnum fidei, pietatis, et conſtantiæ exemplum præbuiſſent, demum ſecuri percuſſi, uictores in CHRISTO, *cæleſti corona inſigniter decorantur. In Perſide, ſanctorum martyrum, Quadraginta duo. Niceæ in Bythinia, beatorum martyrum, Gorgonij, Firmi, Antonij, et Agapæ uirginis. In Nicomedia, ſanctorum, Palatini, Firmiani, et Ruſtici, martyrum. Laodiceæ, ſancti Anatolij epiſcopi: qui multa et pie geſſit, et docte ſcripſit: unde cum ſanctiſſimæ actæ uitæ, tum multa in ſacris litteris exercitationis exempla ſumuntur. In monaſterio Luxouio, ſancti Attalæ abbatis, et confeſſoris. Hic genere nobilis, at nobilior ſanctitate, beati Columbani, a quo inſtitutus eſt, mores, et diſciplinam uitæ ſecutus, recte diuineq. factorum gloria florens, quieuit in Domino. Pariſijs, ſancti Droctouei abbatis, et confeſſoris; ſpectata religione, admirandaq. pietate uiri, et uirtutum beati Germani epiſcopi, quo magiſtro uſus eſt, imitatoris egregij.*

xiiii. G. Quinto idus Martij. Luna.

19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

II. *Carthagine, beatiſſimorum martyrum, Heraclij, Zozimi, Candidi, Piperionis, et aliorum uiginti: qui, Valeriano, et Gallieno Imperatoribus, fidei hoſtibus, pro* CHRISTO *in cruciatum dati, egregie coronati ſunt. Laodiceæ, ſanctorum martyrum, Trophimi, et Thali: qui, in perſecutione Diocletiniana, religionis Chriſtianæ accuſati, eo nomine uarie, ac grauiter excruciati, in*

ti, in ſumma tormentorum acerbitate liberius CHRISTI fidem profitendo, inſigni martyrij corona ornantur. Antiſiodori, ſancti Vigilij epiſcopi, et martyris. Hic, Martino, Eugenio, et Vitaliano pontificibus, cum uiginti quinque annos, et amplius eccleſiam Antiſiodorenſem pie religioſeq. geſſiſſet; demum ab Ebroyno in Cotia ſilua, martyrium perpeſſus, migrauit ad Dominum. Cordubæ, ſancti Eulogij presbyteri: cuius hoc ipſo die martyrium extitit; ſed duodecimo calendas Octobris, anniuerſario precum officio illius celebritas agitur; ut tota huiuſce rei ratio eo die narrabitur. Hieroſolymæ, ſancti Sophronij epiſcopi: cuius nomen in ſacris eccleſiarum Diptychis adſcribi, Conſtantinopolitana Synodus cenſuit. Mediolani, ſancti Benedicti epiſcopi: qui eccleſia Mediolanenſi ad Dei uoluntatem pie adminiſtrata, miraculis clarus, et uirtutum laude in omni Italia florens, quieuit in Domino. Carthagine, ſancti Conſtantini, confeſſoris, cæleſtium diuinarumq. actionum gloria clariſſimi. In Ambianenſium finibus, ſancti Firmini abbatis, et confeſſoris. Herbipoli, ſancti Gumperti confeſſoris. Aruernis, ſanctæ Georgiæ uirginis: quæ orationibus, ac ieiunijs dedita, uitam, et mentem uirginalem ita ſpirituali cultu exercuit, ut uirginitatis fructum Dei gratia, et munere conſecuta, dum ad eccleſiam efferretur, mirabiliter cæleſtibus honorata ſit exequijs. In Pago Atrebatenſi, ſancti Vindiciani epiſcopi, et confeſſoris.

Quarto idus Martij. Luna. ii. A.

20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Gregorij papæ, et doctoris: cuius etiam dies 12.

M feſtus

feſtus a Græcis propter inſignem eius ſapientiam, et ſanctitatem, præcipuo honore celebratur. Romæ item, ſancti Innocentij primi, papæ: qui Pelagium hæreticum in Britannia, Cæleſtinum, et Iulianum, eiuſdem generis homines, damnauit: multa item ſancte conſtituit, pieq. geßit ad Chriſtianæ religionis cultum, et ad reipublicæ Catholicæ uſum neceſſaria. Romæ præterea, ſancti Mamiliani martyris: cuius certamen nobile admodum fuit. Romæ etiam, ſancti Petri Diaconi: qui, propoſito ſibi beati Gregorij magni, pontificis exemplo, cuius diſcipulus extitit, in omni ſanctitate eluxit. Nicomediæ, ſancti Petri martyris. Hic Diocletiani Cæſaris a cubiculis, de ſupplicijs, quæ de martyribus ille ſumebat, queſtus, eius iuſſo uirgis cæſus, aceto, et ſale perfuſus, in craticula aſſus, egregio martyrio coronatur. Eadem in urbe, ſancti Egduni presbyteri, et aliorum ſeptem martyrum: ij ſinguli, in ſingulos dies, eodem Imperatore, ſuffocati ſunt, ut alijs terror inijceretur. In Britannia, ſancti Pauli epiſcopi, et confeſſoris.

B. Tertio idus Martij. Luna.

21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

13. *Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Macedonij presbyteri, Patritiæ, et Modeſtæ. In Vrbe Nicæa, ſanctorum, Theuſetæ, Horris filij eius, Theodoræ, Nymphodoræ, Marci, Trabiæ, et reliquorum: qui omnes, in ignem poſiti, coronantur. Hermopoli in Aegypto, ſancti Sabini martyris. Is, illuſtri loco natus, Chriſtianæ religionis cultor egregius, Diocletiano Imperatore, fidei nomine in iudicium ductus, apud Arianum præfectum, C*HRISTI*, ueri Dei cultum libere, conſtanterq. profeſſus, nullis*

illius

illius perſuaſionibus, neque teterrimis tormentorũ minitationibus a propoſito dimotus, primo facibus accenſis ita aduritur, ut eius caro inſtar ceræ liquefactæ difflueret; poſt in flumen proiectus, palmam martyrij tulit. In Græcia, ſanctorũ trium CHRISTI *martyrum, Africani, Puplij, et Terentij. In Thebaide, ſanctæ Euphraſiæ uirginis. Hæc, patre mortuo, in Aegyptum una cum matre, Theodoſio Imperatore, commigrans, Dei religioni dicata, ſingulare patientiæ exemplum omnibus in rebus præbens, ſanctiſſime uixit. Cordubæ, beatorum martyrum, Ruderici presbiteri, et Salamonis, de quo ſupra. Ii ambo pro fide inuicto animo contrucidati ſunt, quo tempore Sarracenorum bellum ad Dei Eccleſiam, in Hiſpania expugnandam, maxime exarſit. Cordubæ item, ſancti Leandri epiſcopi: de quo ſupra, tertio calendas Martij. Niuernis, ſancti Vincentij presbyteri, et confeſſoris. In monaſterio Cluniaco, Translatio ſanctæ Conſortiæ.*

Pridie idus Martij. Luna. x. C.

22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 16
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, beatiſſimorum martyrum, Quadraginta ſeptem: qui 14.
ab ſancto Petro Apoſtolo omnes baptizati ſunt, quo tempore una cum Apoſtolo Paulo is mẽſibus nouẽ in cuſtodia Mamortini fuit. Ii, Nerone Imperatore, exquiſitiſſimis torti ſupplicijs, tandem, in fidei confeſſione diuino præſidio roborati, præciſis ceruicibus, ad palmam perueniunt. Romæ præterea, ſancti Zachariæ pontificis. Hic pro pietatis ſtudio, beati Gregorij magni dialogorum libros græce reddidit: Italiæ, inteſtinis bellis ardenti, pacem reſtituit: Germaniam diœceſium finibus diſtinxit, epiſcopatibus au-

xit, et ornauit: Pipinum ſolenni Chriſtianoq. ritu ab Bonifacio archiepiſcopo regem conſecrari uoluit: Romanæ eccleſiæ patrimonium propagauit: de cleri, populiq. Chriſtiani diſciplina, et moribus multa ſalutariter pieq. ſanciuit: Baſilicas multas collabentes inſtaurauit: Blibliothecam Vaticanam confecit, et inſtruxit: templum beati Georgij, CHRISTI martyris, exædificauit. Iis igitur, et alijs multis recte ſancteq. factis, ac uitæ religione clarus, republica Chriſtiana decem annos, et amplius optime geſta, animam DEO reddidit. Laodiceæ, beati Sagoris epiſcopi, et martyris. Hic Sergio Paulo proconſule, in Antonini perſecutione, pro CHRISTO necatus, abijt in cælum. In Africa, ſanctorum martyrum, Petri, et Aphrodiſij: qui, Vandalis, fidei Catholicæ infenſiſſimis aduerſarijs, martyrio coronantur. Carthagine, ſanctorum, Donati, Effroſi, Fruminij, martyrum. Nicomediæ beatorum item martyrum, Feliciſſimi, et Frontinæ. In Pidne, ſancti Alexandri martyris: qui, fidei prædicatione, in hominum impiorum inſaniam libere inuectus, de pietatis gradu cum deijci nullo pacto poſſet, præciſo capite, martyrij calicẽ bibit. In Mauritania, ſancti Recuperati, et ſociorum martyrum. Mediolani, ſancti Lazari epiſcopi, et confeſſoris: qui, undecim annis eccleſiæ Mediolanenſi præfuit, uitæ, ſanctiſſime actæ, laude illuſtris. Veronæ, ſancti Innocentij epiſcopi. Carnuti, ſancti Leonini epiſcopi. Lugduni, Translatio ſancti Bonauenturæ.

D. Idibus Martij. Luna.

23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

15. Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Longini martyris: qui IESVM CHRISTVM crucifixum haſta percuſſit: ob ſigna, et pro-

prodigia ſubſecuta, Chriſtianus factus, eorum, quæ admiſit, magnopere intimeq. pænitens, octo et triginta annis in CHRISTI *militia fuit: tum poſtremo in Cappadocia Octauio præſide, abſciſſa lingua, conuulſis dentibus, dempto capite, martyrij coronam eſt conſecutus. Bethaniæ in Paleſtina, ſancti Ariſtoboli epiſcopi: qui unus e ſeptuaginta diſcipulis, Pauli Apoſtoli auditor, Barnabæ frater, Euangelij prædicatione multos* CHRISTO *Domino adiunxit. Theſſalonicæ, ſanctæ Matronæ martyris. Hæc Plautillæ cuiuſdam, a fide auerſæ, ancilla, occulte* CHRISTVM *colẽs, in hoc Chriſtianæ religionis cultu ab hera deprehenſa, ac multipliciter iniurioſius tractata, poſtremo uerberibus cæſa uehementer, in fidei confeßione animam Deo reddidit. Cæſareæ item, beatorum martyrum, Agapij, Timolai, Puplij, et ſociorum: qui in perſecutione Diocletiniana, Vrbano præfecto,* CHRISTI *fidem conſtanti animo confeßi, gladio percußi, ad præmium com migrarunt in cælum. In Aegypto, beati martyris Nicandri: cuius, pro* CHRISTI *religione, et admirabili erga martyres pietatis ſtudio, res multæ fortiter ſancteq. geſtæ, litteris mandatæ, extant. In Hiſpania, ſanctæ Leocritiæ uirginis, et martyris. Hæc e parentibus impijs nata, ſtudio Litioſæ, cognatione ſibi coniunctæ, fidem Chriſti complexa eſt: quam a teneris annis ſuſceptam, deinceps ſpiritalibus exercitationibus auctam, primò occultè, poſt palàm et publice coluit. a quo cultu nullis parentum, neque cohortationibus aßiduis, neque teterrimis minis abduci poteſt. diuino igitur munere ad fidei confeßionem in dies uehementius confirmata, inuicto animo martyrij curſum confecit. Reate, ſancti Probi epiſcopi, et confeſſoris. In oppido Diuionenſi, ſancti Tranquilli epiſcopi et confeſſoris: cuius ſanctitas ualde admodum eluxit, ad eius ſepulcrum diuinitus editis multis miraculis.*

Decimo

xviii. E. Decimoſeptimo calen. Aprilis. Luna.

24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

16. *Romæ, ſancti Cyriaci martyris: qui in carcere diu cruciatus, feruenti pice circumfuſus, tum in cataxta extentus, neruis, fuſtibuſq. cæſus, tandem ſecuri, Maximiliano imperante, percuſſus, ad palmam martyrij migrauit in cælum: unà cum eo, caput abſciſſum eſt, ob fidei etiam confeſſionem, Largo, et Smaragdo, alijsq. ſocijs uiginti: de quibus infra ad ſextum Idus Auguſti: quo die a beato Marcello pontifice eorum corpora translata, nobiliq. ſepulcro condita ſunt. Aquileiæ, ſancti Hilarij epiſcopi, et Tatiani Diaconi. Ii, Numeriano Cæſare, fidei aduerſario, Beronij præſidis iuſſu, equuleo, alijsq. cruciamentis torti acerbiſſime, una cum Felice, Largo, et Dionyſio, martyrium pertulerunt. In Cilicia, ſancti Iuliani martyris. Hic, pietate Chriſtiana a matre eruditus, in diuinarum litterarum ſtudio uerſatus, octauum et decimum agens annum, ad Martianum præfectum perducitur: a quo iuſſus idolis cultum tribuere, preciſe negauit. quam ob cauſam primò uarie cæſus, tum in cuſtodiam incluſus, cum a pietatis propoſito amoueri nullo pacto poſſet, in ſacco cum ſerpentibus inſutus, in mareq. proiectus, præclari martyrij coronam adipiſcitur. In Græcia, ſancti Romani martyris: qui pro* CHRISTI *gloria gladio cæſus, coronatur. In Phœnicia, ſanctorum martyrum Decem: qui ſecuri percuſſi, certaminis, pro fide ſuſcepti, palmam acceperunt. Coloniæ, ſancti Heriberti epiſcopi, et confeſſoris. Hic, in illuſtri familia natus, Gerbetho, uiro ſpectata probitate, et doctrina ſingulari, qui deinceps Pontifex creatus, Syl-*

ueſtri

ueſtri Secundi nomen accepit, in diſciplinam a parentibus traditus, breui ad magnam uirtutum laudem progreſſus, cum in omni uita ſe Euangelij præceptis conformauit; tum maxime eccleſiæ Colonienſis gubernationem adeptus, præclaro ſancte uiuendi exemplo rem eccleſiaſticam auxit. multis igitur rebus diuine, mirabiliterq. geſtis, et ſanctimonia clarus, in ſanctorum numero adſcriptus eſt. Aruernis, ſancti Patricij epiſcopi, et confeſſoris. Viennæ, ſancti Iſicij epiſcopi, et confeſſoris.

Decimo ſexto calendas Aprilis. Luna. vii. F.

24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

In Scotia, ſancti Patritij epiſcopi, et confeſſoris: qui primus eam nationem CHRISTI ſacris imbuit. Hoc ipſo die, ſanctæ Mariæ martyris. Ea cuiuſdam Tertulli ancilla, cum ab IESV CHRISTI cultu ad idolorum impietatem poſſet nullo modo auocari, iudici in ſupplicium data, ſemel atque iterum, Dei auxilio a nece eſt mirabiliter erepta, miraculis diuinitus editis. Cabilone, ſancti Agricolai epiſcopi, et confeſſoris. Niuigellæ in Belgio, ſanctæ Gertrudis uirginis: quæ, patre mortuo, a beato Amando epiſcopo in religionem Deo ritu ſolemni conſecrata, fidei propugnandæ ſtudioſa, uerbi Dei concionatores magno in honore habuit; de pauperibus, et peregrinis ſollicita, eos charitatis uiſceribus complexa, ali, ac ſuſtentari curauit; patriæ cæleſtis ſitiens, toto uitæ curſu in omni uirtutum genere ſe exercuit; precibus autem, et contemplationibus ita aſſidue addicta, ut a terrenis rebus ad cæleſtes et ſempiternas mente et animo ſe ſe abducens, in cælis uerſaretur. His ſanctitatis officijs nobilis uirgo, abijt in cælum. 17.

Her-

Herbipoli, ſanctorum confeſſorum, Colonati presbyteri, et Totuani Diaconi.

G. Decimoquinto calen. Aprilis. Luna.

26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

18. *Cæſareæ, ſancti Alexandri epiſcopi, et martyris: qui Hieroſolymæ, et ſacrorum locorum, quæ in ea urbe ſunt, deſiderio captus, eò profectus, Dei admonitu, eiuſdem loci gubernationem ſuſcepit, ut Narciſſum epiſcopum, tum penè confecta ætate, in epiſcopalis officij munere adiuuaret: inde is ſenex, Decio Imperatore, infenſiſſimo eccleſiæ Dei hoſte, Cæſaream ductus, pro* CHRISTO *Domino martyrium gaudenti animo ſubijt. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Coleſtici martyris. Nicomediæ, beatorum martyrum, Aprilis, Ceruoli, Trophimi, Eucarpionis, et ſociorum: qui decem mille necem pro fide pertulerunt. Auguſtæ, ſancti Narciſsi epiſcopi, et martyris. Hic in Rhetia nouam familiam Deo lucratus, inde nouem poſt menſibus Gerundam ad Hiſpaniam profectus, multos ab impietatis erroribus triennio ad* CHRISTI *fidem conuertit: quo in munere, unà cum Felice diacono, martyrij coronam accepit. In Anglia, ſancti Eduardi regis, et martyris. Hieroſolymæ, ſancti Cyrilli epiſcopi: qui religioſiſsimus dogmatum Apoſtolicorum defenſor, ab Arianis multas fidei cauſa contumelias perpeſſus, et ab eccleſia ſibi commiſſa aliquando pulſus, optime factorum, ſanctitatiſq. gloria clarus, obdormiuit in Domino, Antiſiodori, ſancti Tretici epiſcopi, et martyris. Hic Leone, Benedicto, Ioanne, et Conone pontificibus, epiſcopalium uirtutum laude florens, Eccle-*

ſia,

ſia, ſibi concredita, ſexdecim annis et amplius pie adminiſtrata, demum gladio percuſſus, martyrij corona donatur. Hoc ipſo die, ſanctæ Spetioſæ uirginis. Mantuæ, ſancti Anſelmi epiſcopi, et confeſſoris.

Decimo quarto calen. Aprilis. Luna. xv. A.

27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Ioſeph confeſſoris. Hic ſponſus, beatiſſimæ MARIAE *uirginis fuit: cuius laudes plurimorum patrum ſermonibus concelebratæ ſunt. Apud Aſtenſes, ſancti Secundi epiſcopi: qui primus eam ciuitatē Euangelij doctrinis inſtituit: de quo itē infra. Surrenti in Italia, ſanctorū martyrum, Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci, Florentij, et ſociorum nouem. Albigauni, beati martyris Caloceri: qui ab ſanctis, Iouita, et Fauſtino ad fidē conuerſus, Hadriano Imperatore, Saprini præfecti iuſſo, cruciamētis tortus, in* CHRISTI IESV *confeſſione cōſtantiſſimus, egregie coronatur. Eius dies natalis Brixiæ decimo quinto calendas Aprilis agitur. Eodē die, ſancti Claudij martyris: qui, exploſo idolorū cultu, in fide omnino perſeuerans, in mare proiectus, ad præmiū migrauit in cælū. Nicomediæ, ſancti Pancharij martyris. Hic, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, in ſumma rei Chriſtianæ perturbatione, præclaris teſtimonijs fidem confeſſus, animo conſtantiſſimo ſuperatis cruciamentis, palmam martyrij tulit. Hoc ipſo die, ſanctæ Hilariæ martyris, et coniugis eius. ij ambo, præciſis ceruicibus, coronam adepti ſunt. Cæſareæ in Cappadocia, beatiſſimorum martyrum, Theodori presbyteri, et ſociorum ſeptem. Spoleti, ſancti Ioannis confeſſoris. Hic, in Syria ortus, in Ita-* 19.

in Italiam ad urbem Pinnenſem Dei admonitu uenit: ubi, Monaſterio ſibi per Ioannem, Spoleti epiſcopum, exædificato, quattuor, et quadraginta annis, pie ſanctęq. uixit, multis eo loco poſt editis miraculis. Apolloniæ, ſancti Leontij epiſcopi, uiri, et ſanctitate, et Euangelij doctrina præclari. In Portu Ganda, ſancti Landoaldi presbyteri, et Amantij Diaconi, confeſſorum. Eodem die, Translatio ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

iiii. B. Decimotertio calen. Aprilis. Luna.

28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	20	2	13	24	5	16
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

20. *Sancti Ioachimi confeſſoris, patris beatæ MARIAE uirginis: cuius dies natalis agitur ex inſtituto Iulij Secundi, Pontificis Maximi. In Aſia, ſancti Archippi: qui eccleſiæ Coloſſenſis epiſcopus, beati Pauli Apoſtoli diſcipulus, eiuſdem teſtimonio clarus, prædicatione Euãgelij ſancte, ac religioſe perfunctus, martyrium ſubiens, migrauit ad Dominum. In Syria, ſanctorum, Pauli, Cyrilli, Eugenij, Ioſephi, et quattuor ſociorum, martyrum. In urbe Aminſo, ſanctarum CHRISTI martyrum, Alexandriæ, Claudiæ, Euphraſiæ, Matronæ, Iulianæ, Euphemiæ, et Theodoſiæ. Hæ ſeptem mulieres, quo tempore Maximiani edicto omne hominum, Chriſtianæ fidei colentium, genus ſupplicijs uarijs, crucibusq. necatur, palam ac libere ſe Chriſtianas eſſe profeſſæ, præfecti, apud quem in iudicium perductæ ſunt, immani impietate grauiter reprehenſa, primum uirgis cæduntur; deinde alia tormenta fortiter perpeſſæ, demum in flammam poſitæ, animas Deo reddunt. Eodem die, ſancti Rhodiani martyris: qui gladio contrucidatus pro gloria CHISTI, cæleſte ab eo præmium tulit.*

lit. In Britannia, ſancti Cuthberti epiſcopi: cuius uita et religione ſanctiſsimiſq. moribus, et miraculorum uirtute inſignis legitur. In Monaſterio Fontanella, ſancti Vulfranni epiſcopi, et confeſſoris. Hic, Senonum epiſcopus, Dei charitate exardeſcens, in orationis ſtudio aſsiduus, patientia admiranda, et abſtinentia ſingulari, omniq. uirtute floruit. quo liberius autem in Dei contemplatione conquieſceret, depoſito epiſcopali munere, in monaſterium ſe abdidit: ubi ſpectata ſanctitate quieuit in Domino.

Duodecimo calendas Aprilis. Luna. c.

29 10 2 13 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Benedicti Abbatis. Hic Nurſiæ, nobili genere natus, Romæ liberalibus artibus eruditus, in oppidum Sublacum ſe contulit, ut ſe totum CHRISTO Domino traderet. itaque eo loco in altiſsima ſpelunca deliteſcens per triennium, inde Caſsinum commigrauit: ubi, duodecim ab ſe exædificatis monaſterijs, ſanctiſsimaq. uiuendi diſciplina communitis, indies magis diuina gratia auctus, uitam egit, miraculis, et uirtutibus inſignem. Alexandriæ, ſancti Serapionis Anachoritæ: qui ſumma uir religione, abiectione et contemptu ſæculi præclarus, ſpei, quæ in caducis rebus defigi ſolet, deſpicientia admirabilis, ratione uiuendi, et conſuetudine, cæleſti homine digna, ſingularis, ardenti diuinarum rerum deſiderio flagrans, attentiſsima precum aſsiduitate præſtabilis, omni denique Chriſtianæ pietatis uirtute eximius, abijt ad Dominum. In Lugdunenſium finibus, ſancti Lupicini epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita, et miraculorum gloria, et ſanctimoniæ ſplendore illuſtris admodum fuit. In Campaniæ finibus, 21.

ſancti item Benedicti monachi: de quo, et uitæ ratio, ad omnem ſanctitatis laudem inſignis, et res, diuinitus actæ, narrantur.

xii. D. Vndecimo calendas Aprilis. Luna.

30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

22. Narbonæ, ſancti Pauli epiſcopi, apoſtolorum diſcipuli: qui ab Paulo apoſtolo baptizatus, in Galliam miſſus, eccleſiæ Narbonenſi præfuit: qua ſancte adminiſtrata, obdormiuit in Domino. Bituricis, ſancti Aphrodiſij epiſcopi. Hic genere Aegyptius, totius Aegypti præfectus, munere præfecturæ abiecto, Antiochiam uenit: ubi, baptiſmo ſuſcepto, in beati Petri, apoſtolorum principis, diſciplinam ſe tradidit: poſt, cum illo Romam profectus, inde in Galliam ab eodem miſſus, et Bituricarum conſecratus epiſcopus, Chriſtianæ religionis præceptis eam ciuitatem inſtituit; demum, Eccleſia exædificata, et rebus alijs pro CHRISTI gloria ſancte actis, abijt in cælum. In Græcia, ſanctarum, Callinicæ, et Baſiliſſæ: quæ, infenſo fidei aduerſario, Traiano Imperatore, gladio percuſſæ, martyrio coronantur. Ancyræ, ſancti Baſilij presbyteri, et martyris. Hic, Iuliano, hoſte religionis teterrimo, Saturnini præfecti iuſſu in cuſtodiam incluſus, grauiſſime, uarieq. cruciatus, demum ſubulis cadentibus perforatus, ſpiritum Deo reddidit. In Africa, ſanctorum martyrum, Saturnini, et ſociorum nouem: qui, in perſecutione Vandalica, pro fide Catholica, profuſo ſanguine, præclari teſtimonij palmam tulerunt. In Africa item, ſancti Saturi confeſſoris. Hic non tyranni pollicitationibus, non terroribus, non tormentis; nec uero coniugis perſuaſionibus, neque liberorum ſuauibus uerbis a pietatis,

tis gradu deiectus, inuicto animo ad martyrium confirmatus, expoliatur, torquetur, uarijs pœnis afficitur, et mendicus dimittitur. Sebaſtæ, ſanctorum martyrũ, Decronij, et Alionis. Eodem die, ſanctæ Leæ uirginis: cuius uita, ſanctiſſime acta, beati Hieronymi litteris exponitur. Vuatſtenæ, ſanctæ Catherinæ uiduæ. Hæc patre Vlphone, uiro nobili, et matre Brigitta, quam omnis celebrat Eccleſia, in hanc lucem edita, ab ineunte ætate religioſe inſtituta; poſt, ex patris uoluntate, nobiliſſimo adoleſcenti nupta, ſponſo perſuaſit, ut ambo, uoto nuncupato, uirginitatem CHRISTO Domino conſecrarent. quo uirginalis uitæ inſtituto ſuſcepto, cæleſtis ſponſi ancilla, longe ad uirtutum magnitudinem progrediẽs, humilitatem amplectitur, peregrinationes ſuſcipit, in ieiunijs, orationibus ſe exercet; quotidie confitetur annis plurimis. Cuius uita religioſe, et ſancte acta, ac miraculis cognitis, Vrbanus Sextus, pontifex maximus, in ſanctis illam adſcripſit.

Decimo calendas Aprilis. Luna. i. E.

1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8|19

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

In Africa, ſanctorum martyrum, Liberati, et coniugis eius, 23.
ac filiorum. Adrumenti, in Africa, ſanctorum, Victoriani, Veroli, Secundini, et ſociorum uiginti: qui illius ciuitatis nobiliſſimi, pro fide ab Arianis contrucidati ſunt. In Mauritania, ad oppidum Typaſenſe, ſanctorum martyrum, Frumentij, et alterius item Frumentij. Ii Vandalis, Eccleſiam Dei uexantibus, in fide conſtantiſſimi, acerrimis torti cruciatibus, coronantur. In Africa præterea, ſanctorum, Liberati abbatis, Bonifacij diaconi, Serui ſubdiaconi, Rogati monachi, Septimi monachi, martyrum:

rum: qui, in perſecutione Vandalica, confeſsionis expleto certamine, ad ſempiternam gloriam perueniunt. In Africa etiam, ſanctorum martyrum, Romuli, et Secundoli: qui germani fratres, ſicut cognatione iuncti, ita concordiſsimis animis, ad martyrium confirmati, laminis candentibus aduſti, ungulis excarnificati, cruciamentis torti, inſigniter corona donati ſunt. Concordiæ, ſanctorum martyrum, Romuli item, et Donati. In Africa quoque, beatiſsimorum martyrum, Felicis, Theodori, Iuliani, Pauli, et Dionyſij: quorum, in ea ipſa Vandalica perſecutione, et pugna nobilis, et præclara confeſsio extitit. Veronæ, ſancti Proculi epiſcopi: de quo infra quinto idus Decembris. Cæſareæ, ſancti Iuliani. Antiochiæ, ſancti Theodori presbyteri. Hoc ipſo die, Inuentio ſanctorum, Dionyſij epiſcopi, Ruſtici, et Eleutherij presbyterorum.

F. Nono calendas Aprilis. Luna.

2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

24. *Romæ, ſancti Pigmenij presbyteri, et martyris. Hic Iulianum apoſtatam, a pueritia ſacris litteris erudiuit. a quo is poſtea pro* CHRISTI *fide uarie primo cruciatus, poſt in Tyberim proiectus, ad præmium migrauit in cælum. Cæſareæ, ſanctorum octo martyrum, de quibus ſupra, Timolai, Dionyſij, Romuli ſubdiaconi, Pauſidis, Alexandri Aegyptij, et Alexandri item Gazenſis, Agapij, et Dioniſij. Hi, ſingulari propenſione, tamquam ad aciem inſtructa, pro* CHRISTI IESV *confeſsione, uiolentis immanium ferarum incurſionibus ſe ſe obijciunt. Cuius rei admirabilitate commotus Vrbanus præſes, in carcerem eos detru-*

di

di iuſsit : qui germanam ſolidæ erga Deum pietatis probationem , per patientiam in omni cruciatus genere declaratam, cum conſtanter præ ſe tuliſſent ; coronas, pro fidei uictoria, egregie acceperunt . In Africa, ſanctorum martyrum , Muritæ Diaconi , et aliorum clericorum, qui uerberibus cæſi, nudi expulſi , fame, ſiti, et frigore enecti ſunt . In Phrygia, ſancti Agapiti confeſſoris . In Syria, ſancti Seleuci confeſſoris . Brixiæ, ſancti Latini epiſcopi: qui beati Viatoris diſcipulus, in eius locum epiſcopatui ſuccedens, rerum , quas diuine geſſit, et ſanctimoniæ celebritate clarus, eccleſia Brixienſi, unum et triginta annos, atque amplius ad Dei uoluntatem religioſe adminiſtrata, obdormiuit in Domino . A

Octauo calendas Aprilis. Luna. ix. G.

3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Annunciatio Beatiſsimæ MARIAE Virginis . Cum Gabriel angelus e cælo a Deo ad eam miſſus eſt : cui nunciaret , Spiritum ſanctum ad ipſam uenturum eſſe, e quo filium conciperet , cui nomen, IESV, imponeret ; uocatumq. iri filium Dei altiſsimi. Hieroſolymæ, ſancti Iacobi Apoſtoli: qui ab Herode Agrippa necatus eſt. Romæ, ſancti Cyrini martyris: cui, bonis omnibus mulctato , uinculis , et uerberibus acerbe excruciato , caput denique Claudio Imperatore, pro CHRISTI fide abſciſſum eſt . Romæ itẽ, beatorũ martyrum Ducentorum , et ſexaginta duo : qui dum aduerſarium CHRISTI confeſsione ſuperarunt , egregia corona a Domino donati ſunt . Sirmij in Pannonia, ſancti Irenæi epiſcopi . Is, graui per Maximianum Imperatorem excitata perſecutionis tempeſtate , conſtantiſsimus fidei teſtis, ac defenſor , primo cruciatibus tortus ; poſt in tenebricoſo, obſcuroq. carcere diu incluſus ; 25.

ſus; demum, alijs exantlatis tormentis, ſecuri percuſſus, in ſauum fluuium proijcitur. Nicomediæ, ſanctæ Dulæ uirginis: quæ militis, a Chriſtiana religione auerſi, ancilla, pro fide, et uirginitate tuenda, fortiter necem obijt. In Antro inſula, ſancti Hermelandi abbatis: cuius religioſa uita, et ſanctitatis, et miraculorum celebratur præconijs. In Germania, ſancti Egberti presbyteri, et confeſſoris. Hoc ipſo die, ſancti Humberti epiſcopi, et confeſſoris, uirtutum diuinarum, admirandarumq. rerum gloria clariſſimi.

A. Septimo calendis Aprilis. Luna.

4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

26. *Romæ, uia Lauicana, ſancti Caſtuli martyris: qui a fidei hoſtibus tertio comprehenſus, in IESV CHRISTI confeſſione perpetuo conſtans, in foueam iniectus, harenaq. obrutus, coronatur. Romæ præterea, beatiſſimorum martyrum, Petri, Martiani, Iouini, Teclæ, Caſſiani, Theorici: qui admirabili cruciatuum tolerantia, pro CHRISTO necem obierunt. Pentapoli in Lybia, ſanctorum, Theodori epiſcopi, Irenæi diaconi, Serapionis, et Ammonij, Lectorum. Ii, incredibili Chriſtianæ uirtutis magnitudine, cruciamenta pro CHRISTI gloria perpeſſi, martyrij coronam tulerunt. Sirmij in Pannonia, ſanctorum martyrum, Montani presbyteri, Demetrij diaconi, Maximæ uirginis, et aliorum quadraginta: qui certamine pro fide confecto, demum præcipites in ſauum fluuium, Diocletiano Imperatore, deiecti, cæleſti corona donantur. Treuiris, ſancti Felicis Secundi, epiſcopi, et confeſſoris; magno uirtutum ſplendore, et ſanctitatis celebritate*

tate illuſtris. Vuerdenæ, ſancti Ludgeri epiſcopi: cuius res magna cum admiratione, et ſanctimoniæ laude, pie geſtæ, ad poſteritatem litteris proditæ, exemplum præbent diuinarum uirtutum.

Sexto calendas Aprilis. Luna. xvii.B.

5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Terdonæ, ſancti Martiniani epiſcopi: de quo ſupra pridie nonas. In Pannonia, ſancti Alexandri martyris. In Aegypto, ſancti Ioannis heremitæ: qui annos ſeptuaginta in cella incluſus, e feneſtella reſponſum dabat, prophetico ſpiritu afflatus, Theodoſio, Imperatori religioſiſſimo, de Eugenio, et barbaris nationibus uictoriã prænunciauit. In Perſia, ſanctorum martyrum, Zanitæ, Lazari, et ſociorum ſeptem. Ii, Saporio Perſarũ Rege, populi nominiſq. Chriſtiani hoſte teterrimo, pro fide in uincula coniecti, cũ uarios cruciatus exhauſiſſent, præclara martyrij dimicatione cõfecta, in confeſſione, cæleſti conſtantia roborati, pro uictoria fidei, egregia corona redimiti, in cælũ euolant ad choros angelorum. Vormatiæ, ſancti Ruperij epiſcopi, et confeſſoris: qui, eccleſia Vormatienſi quattuor, et quadraginta annis pie, religioſeq. geſta, magno uirtutum ſplendore, quieuit in Domino. In Noricis, ſancti Ruperti epiſcopi, et confeſſoris. Hic Vangionum, deinde Salisburgenſium epiſcopus, animi manſuetudine, caſtitate, diuinarũ precum ſtudio, ieiunijs perpetuis, aſſidua uigilãtia, miſericordiæq. officijs egregius, populo, ſibi commiſſo, optime uiuẽdi magiſtrum ita ſe præbuit, ut, quod uerbis moneret, ſancte factis exprimeret. Iis uirtutibus cum multa diuine egit, tum e tenebris ad Euãgelij lucem Noricos perduxit. In Anglia, ſancti Archibaldi abbatis, et confeſſoris. 27.

vi. C. Quinto calendas Aprilis. Luna.

6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

28. *Caeſareae in Paleſtina, ſanctorum martyrum, Priſci, Malchi, et Alexandri: qui, Valeriano Imperatore, in maximis Chriſtianorum cruciatibus, diuino fidei ardore inflammati, impij iudicis palam reprehenſa immani barbarie, ſe Chriſtianos eſſe libere profeſſi, illius iuſſo beſtiarum rictibus, uelut praeda, obiectati, corona inſigniter decorantur. Tarſi in Cilicia, beatorum martyrum, Adaucti, Dorothei, Caſtoris, Pollucis, et ſociorum. In Africa, ſancti Rogati, Succeſſi, et aliorum ſexdecim. In Graecia, ſancti Herodionis martyris. Hic unus e ſeptuaginta diſcipulis, Patrarum epiſcopus, Euangelicae praedicationis munere ſuſcepto, multos ab idolorum cultu ad ueram Dei religionem auocauit. quam ob cauſam comprehenſus, uerberibusq. acerbe caeſus, demũ gladio necatus, animam Deo reddidit. Hoc ipſo die, ſancti Phileti martyris, et ſociorum: qui, Adriano Imperatore, egregie pro fidei confeſſione, nobiliq. dimicatione coronantur. Cabilone, ſancti Guntramni Regis: qui in Dei cultum, diuinaeq. ac plane caeleſtis uitae officia ita ſe tradidit, ut, abiectis ſaeculi pompis, opes ſuas in eccleſias, ac pauperes erogarit. Brixiae, Translatio ſancti Ruſticiani epiſcopi.*

D. Quarto calendas Aprilis. Luna.

7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

29. *In urbe Aſtenſi, ſancti Secundi martyris: de quo item ſupra.*

Is,

o. Martij [illegible] ſequente
[illegible] omnes

Is, a beato Calocero, fidei Chriſtianæ initijs inſtructus, ab ſancto Iouita baptizatus; et in pietatis officijs uerſatus, pro fidei ſtudio, Sapritij præfecti iuſſo, pice et reſina ferventi in capite perfuſus, demum gladio percuſſus, cæleſti corona donatur. In Perſia, beatorum martyrum, Ionæ, et Barachiſij: qui fortiſſimi Dei milites, Saporij regis, rei Chriſtianæ hoſtis, iuſſu, omni cruciatuum genere torti, præclaro et fidei, et uirtutis Chriſtianæ exemplo dato, ſtolam lucis induti, ſempiterna perfruuntur gloria. Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Paſtoris, et Victorini. Hoc ipſo die, ſanctorum, Saturnini, Iulianæ, et aliorum quattuor martyrum. Theſſalonicæ, ſanctorum, Domnini, Victoris, et Balbinæ uirginis: qui tres egregie coronati ſunt. Arethuſæ, ſancti Marci epiſcopi. Hic quoniam et idolorum templum euertiſſet; et quàm plurimos uitæ religioſæ exemplo, concionibusq. Euangelicis ab impietatis cultu ad fidem perduxiſſet, populo Arethuſio in odio eſſe cœpit. quamobrem, Iuliano Imperatore, Chriſtiani nominis aduerſario, ab Arethuſijs cuiusuis generis hominibus iniurioſius uarie tractatus, per cloacas protruditur: crinibus paſſim raptatus; a pueris præ ludibrio in altum elatus, inſtar globi ultro citroq. impulſus, cultris pennarijs; ac ſtylis excipitur; rurſus in ſportulam, iuncis contextam, impoſitus, in ſublimi ſuſpenditur; ubi melle, et iuſculo perfuſus, ardentiſſimo Sole, apum, et ueſparum morſibus exeſus, fidei, ac diuinæ uirtutis mirabile ſpecimen, atque exemplum præbuit. In Africa, ſanctorum confeſſorum, Armoguſti, Archimini, et Satúri: qui, Genſerico Vandalorum Rege, pro fide Catholica multas iniurias, multaq. item, et ea ſane exquiſita, et grauia in primis ſupplicia perpeſſi, dimicationis, æterna gloria dignæ, curſum confecerunt. In monaſterio Luxouienſi, ſancti Euſtachij abbatis, et confeſſoris: qui ſexcento-

rum monachorum pater, uitæ ſanctiſſimæ, et miraculorum ſplendore illuſtris, obdormiuit in Domino.

E. Tertio calendas Aprilis. Luna.

8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

30. *Romæ, uia Appia, beatiſſimi martyris Quirini: cui pro* CHRISTI *gloria, Valeriani iudicis iuſſu, Traiano Imperatore, lingua primum, tum manus et pedes, poſtremo caput abſciſſum eſt. Apud Siluanectenſes, ſancti Reguli epiſcopi. Is ciuis Nicænus, beati Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, Dionyſij Areopagitæ in peregrinatione Gallica ſocius, et comes, poſt Trophimum, Arelatenſium factus epiſcopus, ſanctimoniæ laude clarus, exædificata Apoſtolorum baſilica, quieuit in Domino. Paphi in Cypro, ſancti Tychici, apoſtolorum diſcipuli: de quo infra tertio calendas Maij. Cyrenæ in Numidia, ſanctorum, Agapij, et Secundini, epiſcoporum: qui, Valeriano Imperatore, pro fide in exilium pulſi, demum, nece obita, cæleſti martyrio coronantur. Hoc ipſo die, beatorum martyrum, Aemiliani militis, Tertullæ, et Antoniæ, uirginum; Nicei epiſcopi, Domni, Philipponij, et Lacatij. Aureliæ in Gallia, ſancti Paſtoris epiſcopi, et confeſſoris. Antiſiodori, ſancti Mammertini abbatis.*

29. Aprilis, ubi nihil de Tychico

Idem

Idem.

F. Pridie calendas Aprilis. Luna.

9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

31. *Romæ, ſanctæ Balbinæ uirginis, filiæ Quirini martyris. Hæc*

ab

ab Alexandro Pontifice baptizata, fidei rudimentis inſtructa, Angeli monitu uirginalis uitæ ratione ſuſcepta, in ſanctis Chriſtianæ religionis officijs, atque operibus perſeuerans, confecto huius uitæ curſu, ſepelitur uia Appia ad tumulum Quirini patris, in cœmiterio Prætextati. Romæ præterea, beatiſsimi Pontificis, et martyris Felicis: de quo ad tertium calendas Iunij. Hoc ipſo die, Amos Prophetæ, quem Ozias Rex Iſrael necauit, temporibus uecte percuſsis. In Africa, ſanctorum martyrum, Aneſij, Diodoli, Cornelij, Abdæ, Theoduli, Dionyſij, et aliorum. Gangris, ſancti Hypatij epiſcopi, et martyris: qui, Nicenæ Synodo œcumenicæ priori interfuit. Rothomagi, Translatio ſanctorum, Andomeni, Ausberti, et Vulfrani, epiſcoporum.

APRILIS.

Calendis Aprilis. Luna. G.

10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, beatiſsimæ martyris Theodoræ: quæ, ſancti Hermetis martyris ſoror, ab Alexandro Pontifice fidei initijs inſtructa, et baptizata, pro religione, quam ſuſceperat, Aureliano Imperatore, certamine præclare inito, et egregie confecto, coronam accepit. In Aegypto, ſanctorum martyrum, Victoris, et Stephani. Eodem die, ſancti Venantij epiſcopi, et martyris. In Armenia, ſanctorum martyrum, Quintiani, et Irenæi. Gratianopoli, ſancti Hugonis epiſcopi, et confeſſoris: qui multis annis in ſolitudine uitam egit: miraculorũ laude clarus, quieuit in Domino. Ambiani, Die 1.

Traiano.

biani, ſancti Vualerici abbatis, et confeſſoris: cuius ſepulcrum diuinitus crebris illuſtratur miraculis.

xi. A. Quarto nonas Aprilis. Luna.

11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

2. Cæſareæ in Cappadocia, ſanctæ Theodoſiæ uirginis: quæ, Diocletiano Imperatore, ſe confeſſoribus ſociam adiungens, in cuſtodiam incluſa, equuleo cruciata, et a uinculis, et a beſtijs, quibus obiecta eſt, diuinitus ac mirabiliter erepta, tandem gladio percuſſa, ad martyrij et uirginitatis præmium migrauit in cælum. Cæſareæ etiam, in Paleſtina, beatæ item Theodoſiæ uirginis, et martyris. Hæc uirgo Tyria, octo, et decem annos nata, Cæſaream uenit, ut fideles aliquos, pro CHRISTI confeſſione uinctos, ad martyrium confirmaret. quamobrem a ſatellitibus abrepta, ad Urbanum præſidem perducitur: cuius iuſſu, lateribus, et mammis uſque ad interiora oſſa laniatis, hæc atque adeo alia horrenda cruciamenta forti gaudentiq. animo uirgo perferens, tandem in rapidos maris fluctus proiecta, coronatur. Cæſareæ præterea in Paleſtina, ſancti Amphiani martyris. Is quo tempore Maximinus funeſtis impietatis ſuæ edictis rem omnem Chriſtianam perturbauit, diuina quadam animi confeſſione, et cohortatione præſidem eundem ab idolorum cultu deterruit. quam ob cauſam hic ab illius ſtipatoribus, toto corpore, infinitis plagis, quas fortiſſime ſuſtinebat, excruciatus, in carcerem truditur. poſt alijs acerrimis affectus ſupplicijs, cum eandem pietatis confeſſionem libere exprimeret, demum medio mari in altiſſimos uortices proiectus, inſignem martyrij palmam tulit. In Africa, ſancti Victoris

ris, et ſociorum quindecim martyrum. Alio loco, ſanctorum, Marcelli, Saturnini, Satuli, Proculæ reginæ. In Palæſtina, ſanctæ Mariæ Aegyptiacæ: cuius uita religioſe acta, et res admirabiliter geſtæ, monimentis et græcis, et latinis conſignatæ, leguntur. Lugduni, ſancti Nicetij epiſcopi, et confeſſoris; uirtutum epiſcopalium, et caſtitatis in primis exemplo, rerumq. diuinitus ac mirifice geſtarum gloria clari. Nouocomi, ſancti Abundij epiſcopi, et confeſſoris. Hic ciuis Theſſalonicenſis Nouocomum uenit: cuius ciuitatis in Amantij locum epiſcopus factus, ſacra eruditione, et uitæ epiſcopalis laude illuſtris, Chalcedonem ad Concilium uenit: ubi rei Chriſtianæ plurimum doctrina profuit. ijs atque alijs meritis cumulatus, eccleſia Nouocomenſi pie geſta, ſpectataq. in rebus, quas geſsit, admirandis eius ſanctitate, ad præmium abijt in cælum. Apud Lingonas, ſancti Vrbani epiſcopi, et confeſſoris, uirtutum ſplendore clariſsimi. In finibus Turonenſium, ſancti Franciſci Paulani, confeſſoris: qui, ordinis fratrum minorum auctor, innumerabilibus tum in uita, tum poſt obitum miraculis florens, in Sanctorum numerum a Leone Decimo, pontifice maximo, relatus eſt.

Tertio nonas Aprilis. Luna. B.

12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſanctarum uirginum, et martyrum, Agapis, Chioniæ, et Ireniæ: quæ, Diocletiano Imperatore, primum in uinculis macie pene confectæ, poſt in flammam iniectæ, neque ignis ui quicquam læſæ, precibus ad Deum habitis, in cælum commigrarunt. Tauromenij in Cilicia, ſancti Pancratij epiſcopi, et martyris. 3

tyris. Hic, beati Petri, apoſtolorum principis diſcipulus, illius ciuitatis epiſcopus, nobili fidei certamine egregius, CHRISTI *miles, cæleſti corona donatur. Tomis in Scythia, beatorum martyrum, Euagrij, et Benigni. In Græcia, ſanctorum martyrum, Bythonij, et Elpidophori. In Anglia, ſancti Richardi epiſcopi, et confeſſoris: qui Ciceſtriæ epiſcopus factus, epiſcopali ſanctitate, omniq. paſtorali uirtute ita præluxit, ut, meritis cumulatus, ab Vrbano pontifice in Sanctorum numero adſcriptus ſit.*

xix. C. Pridie nonas Aprilis. Luna.

13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

4. *In Aegypto, beatorum martyrum, Pauli, Victoris, Nicanoris, Apollonij, et Martinianæ uirginis. Theſſalonicæ, ſanctorum, Theoduli, et Agathopodij martyrum: qui, Maximiano Imperatore, egregia fidei confeſſione nobilitati, Fauſtini præfecti iuſſo, uarie et grauiter torti, demum in mare præcipites deiecti, præclara martyrij corona donantur. Mediolani, ſancti Ambroſij epiſcopi, et confeſſoris: cui præclarum doctrinæ, ſanctitatisq. teſtimonium dant et Latini, et Græci Patres, tum Baſilius in primis. Hic cæleſti ſua uirtute, et admirandæ uigilantiæ ſtudio, Italia pœne tota, Arianæ impietatis tenebris circumfuſa, ad Catholicæ fidei lucem reuocata, alijsq. rebus plurimis fortiter ac religioſe geſtis, et iuuandæ eccleſiæ laude, et religione, et uirtutum uere paſtoralium exemplis clarus, obdormiuit in Domino. Hiſpali, in Hiſpania, ſancti Iſidori epiſcopi, et cõfeſſoris: qui multa ad eccleſiæ utilitatem conſcripſit: multaq. item confecit, quæ, plena Chriſtianæ charitatis, declarant ſanctiſsimi uiri ſummam religionem.*

Nonis

Nonis Aprilis. Luna. viii. D.

14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

In Aegypto, ſanctorum martyrum, Didymi, Quinti, Claudiani, et aliorum. Cæſareæ, ſanctorum, Aedeſij, Amphiani fratris, de quo ſupra. In Lesbo inſula, ſanctorum Quinque martyrum: qui et ſi admodum adoleſcentes, at Chriſtianæ uirtutis robore martyrium conſtanter, fortiterq. obierunt. Alexandriæ, ſanctæ Theodoræ uirginis et martyris, et ſancti Dydimi martyris item: qui ambo, perſecutione Diocletiani exardeſcente, Euſtratij præfecti iuſſu, inſigniter coronati ſunt; ut quarto calendas Maij, quo die apud nos illorum martyrij celebritas agitur, uberius exponitur. In Scotia, ſancti Tigernaci epiſcopi, et confeſſoris. In Britannia, ſancti Vincentij confeſſoris. Hic ab ineunte pœne ætate, abiectis ſæculi curis, in religionem ſe Deo dicauit: ſuſceptoq. ſancti Dominici habitu, ut in religioſæ uitæ exercitatione, ſic in theologiæ ſcientia progreſſus, multis Euangelij cauſa peragratis prouincijs, infinitam hominum multitudinem ab impietate ad Chriſtianæ fidei cultum perduxit. Cuius ſanctitate, et miraculorum magnitudine cognita, Calixtus Tertius, pontifex maximus, illum in Sanctorum numero adſcripſit. Leodij, ſanctæ Iulianæ uirginis. 5.

De Amphiano 2. huius

29. huius

Octauo idus Aprilis. Luna. xvi. E.

15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 1 11 22 3
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Xyſti pontificis, et martyris. Hic ciuis Romanus, Paſtoris filius, de regione uia lata, in beati Alexandri mar- 6.

tyris locum, pontifex creatus, Eccleſia Dei ſancte adminiſtrata, ad eiusq. utilitatem multis rebus pie, et ſalutariter conſtitutis, Hadriano Imperatore, uia Appia gladio percuſſus, egregie coronatur. Romæ item, ſancti Cæleſtini pontificis. Is ciuis Romanus, Priſci filius, pontifex factus, conſtituit, ut ante miſſæ ſacrificium pſalmi ab ſacerdotibus alterno uocum modo canerentur: Miſſæ graduale inſtituit: Baſilicam Iulij conſecrauit: Synodum Epheſinam, Neſtorio damnato, habuit. Horum, atque aliorum, ſancte factorum, et Hyberniæ item inſulæ, ad Chriſti fidem conuerſæ, gloria clarus, quieuit in Domino. In Perſia, ſanctorum, Centum, et uiginti martyrum. Niceæ in Bithynia, ſanctorum, Firmi, Romani, Donati, et Clunij: qui, Iuliano Imperatore, acerrimo fidei hoſte, pro religionis Chriſtianæ uictoria, corona martyrij donati ſunt. In Macedonia, ſanctorum, Timothei, et Diogenis, martyrum. In Dacia, ſancti Vuilhelmi abbatis et confeſſoris. Hic, ubi ſe in religionem Deo dicauit, rebus humanis neglectis, patientia, humilitate, charitateq. inſignis, uigilijs, ieiunijs, orationi, rerumq. cæleſtium contemplationibus deditus, ac ſpectata etiam ſanctitate uir, quieuit in Domino, multis poſt obitum miraculis prælucens. Antiochiæ, ſancti Theodori presbyteri.

v. F. Septimo idus Aprilis. Luna.

16 27 8 19 1 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 2 12 23 4
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

7. Romæ, ſancti Egeſippi confeſſoris. Hic, Aniceto pontifice Romam uenit; ubi uſque ad Eleutherij pontificatum permanſit: qui primum Platonica diſciplina inſtitutus, perſpecta Chriſtianorum hominum in omni cruciatu admiranda cæleſtiq. uirtute, ad

Chri-

CHRISTI IESV fidem acceſſit: poſt, diaconus Aniceti factus, totus eccleſiaſticis ſtudiis deditus, aliqua et religioſæ doctrinæ, et pietatis monimenta reliquit; hiſtoriamq. in primis, iam inde uſque a paſſione Domini ductam, contexuit; ut quorum res, diuine geſtas, litteris conſignaret, eorumdem uitam actionibus exprimeret. In Africa, beatorum martyrum, Epiphanij epiſcopi, Donati presbyteri, et ſociorum tredecim. Alexandriæ, ſancti Pleuſij presbyteri, et martyris. Nicomediæ, ſancti Cyriaci, et ſociorum decem martyrum. In Cilicia, ſancti Calliopij martyris: qui Maximi præfecti perſuaſionibus cum a fide abduci non poſſet; eiuſdem iuſſu tormentis uarijs, et horribilibus cruciatus, demum capite inuerſo in crucem actus, diuino martyrio coronatus eſt. In Oppido Sinope, beatiſſimorum martyrum Ducentorum: qui, multis exantlatis certaminis laboribus, demum gladio percuſſi, ob inſigne fidei teſtimonium, præmio ſempiterno donati ſunt. Veronæ, ſancti Saturnini epiſcopi, et confeſſoris.

Sexto idus Aprilis. Luna. G.

1728920212234152671829102131324 5
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

In Africa, ſanctorum martyrum, Timerij, Maximi, et 8.
ſociorum. In Africa item, ſanctorum martyrum, Ianuarij, Maximæ, et Machariæ. Carthagine, ſanctæ Conceſſæ martyris. Corinthi, ſancti Dionyſij epiſcopi: qui doctrina, et pietate præſtans, præclaris ſuis epiſtolis, quas ad Eccleſias exarauit, omnibus permultum utilitatis attulit. Nouocomi, ſancti Amantij epiſcopi, et confeſſoris: qui, Leone Primo pontifice, epiſcopalium uirtutum, et ſanctimoniæ laude florens, obdormiuit in

Domino. Apud Turonenſes, ſancti Perpetui epiſcopi, et confeſſoris: a quo beati Martini Eccleſia exædificata eſt. Brixiæ, Inuentio ſancti Philaſtrij epiſcopi, et confeſſoris.

xiii. A. Quinto idus Aprilis. Luna.

18 29 10 21 3 13 24 5 16 27 8 19 1 11 22 4 14 25 6
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

9. *Romæ, Translatio ſanctæ Monicæ, matris beati Auguſtini confeſſoris, et doctoris: cum ab Oſtia, Martino Quinto, pontifice maximo, ſacrum eius corpus in urbem aſportatum eſt. Nicomediæ in Bithynia, ſancti Procori epiſcopi. Hic unus de ſeptem diaconis, quos Apoſtoli elegerunt, beati Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, et comes, Nicomendienſium epiſcopus conſecratus, Euangelij prædicatione perfunctus, pro* CHRISTI *gloria extremum ſpiritum martyrio effudit. Romæ item, beatorum martyrum, Demetrij, Conceſſi, et Hilari: qui, profligato per uarias certaminum uices fidei aduerſario, demum pro pietatis uictoria coronantur. Sirmij, ſanctarum Virginum ſeptem: quæ, in perſecutionum tempeſtate, ardenti fide incenſæ, profuſo ſanguine, ob præclaram religionis Chriſtianæ conſtantiam, coronis cæleſtibus a* CHRISTO *ſponſo redimitæ ſunt. Cæſareæ, ſancti Eupſychij martyris: qui, Iuliano Imperatore, præ fidei ſtudio, cum fortunæ templum euertiſſet, in carcerem detruſus, præclaro dato, et uirtutis, et pietatis teſtimonio, ſecuri percuſſus, coronatur. Rothomagi, ſancti Hugonis epiſcopi, et confeſſoris.*

Quarto idus Aprilis. Luna. ii. B.

19 1 11 22 4 14 25 6 17 28 9 20 2 12 23 5 15 26 7
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum plurimorum martyrum: quos beatus Ale 10.
xander, pontifex, in uinculis baptizauit: eoſq. omnes, naui ue-
tuſtæ impoſitos, appenſis ad collum ſaxis ingentibus, Valerianus
præfectus, in mare præcipites demergi iuſsit. Hoc ipſo die, Eze-
chielis prophetæ. Is a iudice populi Iſraelitici, quem impij cultus
nomine reprehenderat, necatus in ſepulcro Sem, et Arphaxat
conditus eſt. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Apollonij mar-
tyris, et ſociorum quinque. Hic pijs monachalis uitæ inſtitutis
præſtantiſsimus, ob religionem, Diocletiano Imperatore, in carce-
rem detruſus, Philemonem cuſtodem ab impietate ad fidem per-
duxit: quam ob cauſam una cum eo in ignem poſitus, cum nihil
flammæ ui læſus eſſet, eius rei admirabilitate perſpecta, iudex, et
alij, CHRISTI IESV *fidem amplectuntur. quos omnes ua-*
rie cruciatos, demum in mare proijci, præfectus Alexandriæ iuſ-
ſit. Eorum corpora ad littus eiecta, in ſepulturam pie tradita ſunt.
In Græcia, beatorum martyrum, Terentij, Africani, Maximi,
Pompeij, et ſociorum triginta: qui, in perſecutione Deciana, For
tuniani præfecti iuſſo, ſæpe uario multipliciq. cruciamentorum ge
nere affecti, una animorum conſenſione egregio fidei teſtimonio
reddito, demum ſecuri percuſſi, corona cæleſti inſigniter donati
ſunt. In Perſia, ſanctorum, Iacobi presbyteri, et Azæ diaconi.
Ii, Saporio rege, comprehenſi, in iudiciumq. perducti, cum Chri
ſtianos ſe eſſe libere profiterentur, primum uerberibus cæſi, et nu-
di in ſublime elati, alijſq. contumelioſis, ac grauibus tormentis
excruciati, non probris, non afflictationibus e gradu pietatis de-
iecti,

iecti, immo conſtantiori animo quoniam præciſe negarent, ſe uelle Soli, et igni cultum tribuere, præſidis iuſſu, capite damnati, palmam tulerunt.

C. Tertio idus Aprilis. Luna.

20	2	12	23	5	15	26	7	18	29	10	21	3	13	24	6	16	27	8
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

II. *Romæ, ſancti Leonis pontificis. Hic pietatis religione, doctrinæ ſacræ præſtantia, eloquentiæ laude clarus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis diaconus, mortuo Xyſto Tertio pontifex creatus, cum Dei Eccleſiam, a multis hæreticis oppugnari, maximeq. a Neſtorianis, et Eutychianis exagitari uideret; totus ad illius præſidium conuerſus, Chalcedonenſe concilium, miſsis eo legatis, habuit: templa, a barbaris euerſa, reſtituit; ſacrorum uaſa, ab eiſdem erepta, refecit; Baſilicam ſancti Stephani, a Demetria exædificatam, conſecrauit: monaſterium prope beati Petri Eccleſiam extruxit: ſanctorum Apoſtolorum ſepulcris clericos cubiculares, qui in cuſtodia eſſent, addidit: ab Italiæ, et urbis ceruicibus Hunnorum iugum excuſsit, placato a ſe mirabiliter Attila, eorum rege. Is igitur rerum geſtarum magnitudine, pontificia ſanctitate, Apoſtolica facundia, modeſtia uero Chriſtiana, omniq. diuina uirtute admirabilis; patrum Chalcedonenſium præconijs eximius; et in uigilijs, ieiunijs, et lacrymis, quibus armis ad expetendam Dei miſericordiam in pontificali actione uſus eſt, ualde exercitatus; denique Eccleſiæ, optime geſtæ, laude florens, obdormiuit in Domino. Cortynæ, in Creta, ſancti Philippi epiſcopi. Hic, non obſcura familia natus, accuratiſſimo opere, quod contra Marcionem contextuit, clarus, optimis*

ſtudijs

ſtudijs deditus, in diuinarum uirtutum exercitatione uerſatus, Eccleſia Cortinenſi, cui præfuit, religioſe pieq. adminiſtrata, obijt in Domino. Salonæ, in Dalmatia, ſancti Domnionis epiſcopi, et ſociorum octo martyrum. Pergami in Aſia, ſancti Antypæ epiſcopi, et martyris. Is, Domitiano Imperatore, propoſitis contra fideles funeſtis edictis, a multitudine ad impiæ ſuperſtitionis antiſtitem trahitur: cum quo fidei dimicatione ſuſcepta, non potuit neque perſuaſionibus, neque minis a propoſito dimoueri. Immo uero conſtanti confeſsione ſtrenue ſuperato aduerſario, demum in bouis ænei ſimulacrum, ſuccenſo igne, coniectus, dum ſenſim concrematur, ſanctæ precationi addictus, ſpiritum Deo reddidit. Nicomediæ, ſancti Euſtorgij presbyteri. Antiochiæ, ſancti Theodori presbyteri: quem, Iuliani Apoſtatæ auunculus, Iulianus acerbe primo cædi, poſtremo ſecuri percuti iuſsit. Cracouiæ, ſancti Stanislai epiſcopi, et martyris. 8. Maij *Hunc, diligentiſsime cognita uitæ eius ſanctitate, miraculorum magnitudine, et martyrij certamine perſpecto, Innocentius Quartus, pontifex maximus, in ſanctorum martyrum numerum retulit. Lugduni, ſancti Sycarij epiſcopi, et confeſſoris. Nouiomi, ſanctæ Godobertæ uirginis.*

Pridie idus Aprilis. Luna. D.

21	3	13	24	6	16	27	8	19	1	11	22	4	14	25	7	17	28	9	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

Romæ, uia Aurelia, ſancti Iulij pontificis. Hic ciuis Romanus, a beato Silueſtro Cardinalis diaconus factus, in Marci pontificis locum ſuffectus, pro fidei Catholicæ ſtudio a Conſtantio Ariano, incommoda et anguſtias perpeſſus, tum in exilium pulſus, 12.

ſus, eo mortuo, Romam ad ſedem redijt: ubi baſilicis duabus, cœmiterijs tribus extructis, notarijs item conſtitutis, qui res Eccleſiaſticas litteris conſignarent, et rebus alijs ad Eccleſiæ Dei amplificationem, cultumq. decretis, ſpectatiſſima uitæ pontificiæ ſanctimonia clarus, quieuit in Domino. In Græcia, ſanctorum trium martyrum, Menæ, Dauidis, et Ioannis: qui telorum coniectu tranſuerberati, pietatis admirabilitate inſignes, coronantur. Veronæ, ſancti Zenonis epiſcopi. Is, multis exantlatis pro religione laboribus, in oppugnationum fluctibus dato præclaro et fidei, et uirtutis epiſcopalis teſtimonio, eccleſiaq. Veronenſi mirabiliter ac pie geſta, demum multis cumulatus meritis, ad præmium abijt in cælum. In Gothia ſancti Sabæ martyris. Hic iam inde ab infantia CHRISTI IESV *fidem amplexus, in omniq. Chriſtianæ uirtutis exercitatione uerſatus, Valente Imperatore, a Gothiæ principibus, idola colentibus, uarie diuexatus, demum in Sabam fluuium proiectus, prælij, pro pietate ſuſcepti, coronam accepit. In Oppido Vapinco, ſancti Conſtantini epiſcopi, et confeſſoris. Papiæ, ſancti Damiani epiſcopi, et confeſſoris, doctrina, ſanctitate, et rerum, diuinitus geſtarum, gloria clari.*

E. Idibus Aprilis. Luna.

22	4	14	25	7	17	28	9	20	2	12	23	5	15	26	8	18	29	10
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

13. *Pergami in Aſia, beatiſſimorum martyrum, Carpi epiſcopi, Papylij diaconi, Agathonicæ, et aliarum multarum mulierum: quæ, Antonino Vero, et Aurelio Commodo Imperatoribus, poſt multas et eximias fidei, ac religionis noſtræ confeſſiones, nobili martyrio ſempiternam uitam aſſecutæ ſunt. Hoc ipſo die, ſancti*

cti Iuſtini martyris. Is primò ſtoicæ, deinde peripateticæ, tum pythagoricæ, poſt platonicæ diſciplinæ addictus, demum omni philoſophorum ſecta repudiata, diuinitus factum eſt, ut CHRISTI IESV *fidem, ac diſciplinam amplecteretur: cuius uſque adeo accerrimus propugnator extitit, ut ab ea defendenda nec minis, nec ſupplicijs ullis, nec denique nece deterreri potuerit. quod ſatis declarant præclari de religionis Chriſtianæ defenſione libri ab eo conſcripti. In omne autem hominum genus, qui ab Euangelij doctrina abhorrerent, acerbum ſe præſtitit, tum in philoſophos maxime, et in Creſcentem in primis Cynicum: cuius uitam, et mores nefarios quoniam multis audientibus coarguerat; ex illius inſidijs in eadem Antoniniana perſecutionè, fortiter multa perpeſſus, demum pro Euangelicæ ueritatis propugnatione, eximiam gloriæ æternæ coronam martyrio inſigni conſecutus eſt. In Græcia, ſanctorum martyrum, Maximi, Cintilliani, et Dadæ. Ii, Maximiano, et Diocletiano, Eccleſiã Dei uexantibus, comprehenſi, in iudicio inſtitutis quæſtionibus, ſe Chriſtianos eſſe, libera uoce confeſſi, in cuſtodiam includuntur: ubi noctu in ſomnis Satanæ aſtu contra a ſe dici uident: at e ſomno excitati, ad eandem confeſſionem Angeli admonitu cum uehementius ſe ſe confirmaſſent, poſtridie mane ab impijs non modo non potuerunt a propoſito amoueri; ſed fidentiori animo, ac liberius* CHRISTI *religionem profeſſi, primo uerberibus cæſi, poſt in carcerem iterum coniecti, demum, alijs ſuperatis cruciamentis, gladio percuſſi, palmam martyrij tulerunt. Eodem die, beatorum martyrum, Eleutherij, Perſæ, Theodoſij, et Zoili: qui pro* CHRISTO *dimicantes, concertationis, quam fortiter ſuſceperant, confectæ præmium adepti ſunt. In Hiſpania, ſancti Hermenigildi* REGIS, *et martyris: qui ob Catholicæ fidei confeſſionem, patris Ariani iuſ-*

ſu, ſecuri percuſſus, pro terreno regno, cæleſte rex, et martyr aſſecutus eſt. Chalcedoniæ, ſanctæ Euphemiæ uirginis et martyris: de qua ſexto decimo calendas Octobris. Ebreduni, ſancti Marcellini epiſcopi, et confeſſoris: de quo ad duodecimum calendas Maij. In finibus Aruernorum, ſancti Martini Abbatis, et confeſſoris.

xviii. F. Decimo octauo calendas Maii. Luna.

23	5	15	26	8	18	29	10	21	3	13	24	6	16	27	9	19	1	11
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

14. Romæ, uia Appia, beatiſſimorum martyrum, Tiburtij, Valeriani, et Maximi. Duo priores Romæ e nobili familia nati, beatæ Cæciliæ uirginis et martyris cohortationibus abiecto idolorum cultu, ab Vrbano, ſanctiſſimo pontifice, baptiſmum ſuſcipiunt. Hos præfectus urbis, Almachius ubi Chriſtianos eſſe cognouit, accerſitos grauiter reprehendit: poſt, cum in CHRISTI confeſſione conſtantes animaduertit, uirgis cædi imperat; poſtremo, uarijs adhibitis cruciatibus, quos martyres forti animo ſuperarunt, ad quartum ab urbe miliarium, Marco Aurelio Imperatore, eos ſecuri feriri iubet. Quorum uirtutem admiratus Maximus, præfecti cubicularius, ad chriſtianam religionem ſe contulit: quam palàm profeſſus, unà cum alijs multis, primo plumbatis uerberatus, demum, profuſo ſanguine, coronatur. In Græcia, ſancti Ariſtarchi, beati Pauli Apoſtoli diſcipuli: de quo pridie Nonas Auguſti. Sancti item Trophimi: cuius dies natalis ad quartum calendas Ianuarij agitur. Interamnij, ſancti Proculi martyris, et ſanctæ item Dominnæ uirginis, et ſociarum; quæ ob præclaras fidei confeſſiones martyrij coronis donatæ, æterna perfruuntur

tur gloria. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Frontonis Abbatis: cuius uita in omni ſanctitate, et miraculorum uirtute eluxit.

Decimo ſeptimo calen. Maii. Luna. vii. G.

24	6	16	27	9	19	1	11	22	4	14	25	7	17	28	10	20	2	12
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, beatiſſimorum martyrum, Maronis, Eutychetis, et 15.
Victorini. Ii cum Flauia Domicilla ad Pontiam inſulam in exilium miſſi, Nerua Imperatore, ab idolorum cultu ad fidem multos cum reuocaſſent, Aureliani præſidis, Flauiæ ſponſi, decreto, multiplici uarioq. cruciatuum genere affecti, per admirandam patientiam, CHRISTI *uirtute roboratam, ad martyrij palmam perueniunt. Cordubæ in Perſia, ſanctorum martyrum, Olympiadis, et Maximi: qui, Decij iuſſo, uirgis cæſi, plumbatis contuſi, poſt in capite ſecuribus tamdiu uerberati ſunt, quoad animam agerent. Romæ, ſanctarum martyrum, Baſiliſſæ, et Anaſtaſiæ: quæ nobilitate, et opibus florentes, apoſtolorum diſcipulæ, apud Neronem Chriſtianæ religionis accuſatæ, in carcerem truduntur: inde poſt eductæ, cum in fidei propoſito permanerent, manibus, pedibus, lingua, demum ceruicibus præciſis, martyrij palmam adeptæ ſunt. Myris in Lycia, ſancti Creſcentij martyris. Venetijs, Translatio ſancti Iſidori martyris: cum e Chio inſula illius corpus ad eam urbem aſportatum eſt.*

Decimo ſexto calendas Maii. Luna. A.

25	7	17	28	10	20	2	12	13	5	15	26	8	18	29	11	21	3	13
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Corinthi, ſanctorum martyrum, Calixti, Chariſij, Mar- 16.

tialis, et ſociorum ſex: qui, conſtanti confeſſionis certamine confecto, denique in mare proiecti, martyrij coronam acceperunt. Cæſarauguſtæ in Hiſpania, beatorum martyrum, Optati, Luperci, Succeſſi, Martialis, Vrbani, Iulij, Quintiliani, Publij, Frontonis, Felicis, Cæciliani, Euenti, Primitiui, Apodomi, et reliquorum quattuor, qui Saturnini uocati ſunt. Ii, Daciano Hiſpaniarum præſide, acerbis uarijsq. ſupplicijs exagitati, demum necati, inſigniter coronantur. Eadem in urbe, ſanctorum etiam martyrum, Caij, Engratiæ uirginis, et Crementij: qui ſemel, atque iterum grauiter torti, in confeſſione conſtantes, martyrij calicem biberunt. Hoc ipſo die, ſancti Iſidori martyris: qui, contemptis Decij Imperatoris edictis, chriſtianam religionem amplexus, eo nomine apud Numerium accuſatus, eius hortatu ad idolorum cultum cum induci nullo pacto poſſet, ab eodem capitis damnatus, ſumma conſtantia pro Chriſto necem obijt. In Græcia ſanctorum martyrum, Felicis epiſcopi, Ianuarij presbyteri, Fortunati, et Septemini. Ii, promulgatis Diocletiani, et Maximiani, Cæſarum edictis de concremandis ubique terrarum chriſtianæ fidei libris, cum eos tradere, tum idolis immolare, præciſe conſtanterq. negarunt. quam ob cauſam uarie excruciati, demum ceruices pro Chriſti gloria uel libentiſſime dederunt. Palentiæ in Hiſpania, ſancti Turibij epiſcopi: qui pietate, et uirtutibus epiſcopalibus florentiſſimus, ſpectata uitæ ſanctitate, et rerum mirifice, diuineq. geſtarum gloria clarus, fidem catholicam maxime adiuuit. In Dacia, ſancti Magni martyris. In Sicilia ſancti Gulielmi confeſſoris. Coloniæ, Translatio ſancti Albani martyris. In Belgis, ſancti Brogonis confeſſoris, miraculis clari.

Decimo

Decimo quinto calendas Maii. Luna. XV. B.

26 8 18 29 11 21 3 13 24 6 16 27 9 19 1 12 22 4 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Aniceti pontificis, et martyris. Hic Ioannis filius, genere Syrus, in uico Humiſia natus, uir ſingulari pietate, et admirabili religione inſignis, ad eccleſiæ Dei gubernationem, Vero, et Antonino, Imperatoribus, acceſſit: hoc præter cetera ad cõformandam clericalium morũ diſciplinam conſtituit, ut clerici, ex Apoſtoli præſcripto, ne comam nutrirent: quinquies menſe December ordinauit epiſcopos nouem, presbyteros ſeptem et decem, diaconos quattuor: pontificatu multis annis religioſe ſancteq. adminiſtrato, demum in ſumma eccleſiæ perturbatione, per Cæſares concitata, pro Chriſti gloria martyrio coronatur. In Africa, beatiſſimorum martyrum, Mappalici, Fortunionis, Credulæ, Firmi, Venti, Fructi, Martialis, Ariſtonis, et aliorum: qui, fidei uinculo, et carceris hoſpitio iuncti, una etiam animorum conſenſione ad omnem cruciatum confirmati, congreſſionis, quam conſtanter ſuſceperant, curſu confecto, præclaræ uirtutis et confeſſionis ſocij, ad ſempiternum præmium abeunt in cælum. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Petri Diaconi, et Hermogenis. In Perſia beatorum martyrum, Simeonis epiſcopi, Abdellæ presbyteri, ac ſociorum mille, et centum quinquaginta: qui, pro CHRISTO, *animi religioſi incitatione adducti, nec nefarij regis Saporij immani barbarie deterriti, cruciatus, tormenta, ac necem denique fortiter ſubierunt. Cordubæ, ſanctorum, Heliæ presbyteri, Pauli et Iſidori, monachorum. Hi duo florenti ætate, ille iam ſenex, patria Luſitanus, admiranda ſanctitate uir, pro fide necati, coronantur. Derthonæ, ſancti Innocentij epiſcopi, et confeſſoris: cuius* 17.

reli-

religioſa uitæ inſtituta, et res pie, ac diuinitus geſtæ, leguntur.

iiii. C. **Decimo quarto calendas Maii.** Luna.

27	9	19	1	12	22	4	14	25	7	17	28	10	20	2	13	23	5	15
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

18. *Romæ, ſancti Apollonij Senatoris. Hic inter fideles politioris litteraturæ ſtudijs, et philoſophiæ ſcientia celebris, Chriſtianæ religionis, Commodo Imperatore, a ſeruo accuſatus, id obnixe a iudice rogatus, ut fidei ſuæ rationem in ſenatu redderet; pro chriſtianæ pietatis, quam profitebatur, defenſione accuratiſſimam orationem apologeticam habuit: qua recitata ex ſenatus decreto ſecuri percuſſus, martyrio coronatur. Meſſanæ, ſanctorum martyrum, Eleutherij epiſcopi, et Anthiæ matris. Ille uitæ religione, miraculorumq. uirtute illuſtris, teterrima hæc ſupplicia, lectum e ferro cadenti, craticulam, ſartaginem, oleum, ac picem feruentem magno animi pij robore ſuperans, leonibus obijcitur. a quibus diuina ope nihil ullo modo læſus, demum una cum Anthia matre iugulatur. Brixiæ, ſancti Caloceri martyris: de quo narratum eſt, decimo quarto calendas Aprilis. In Græcia, ſancti Sabæ martyris: qui, octauum et trigeſimum annum agens, Valentiniano, et Valente, Imperatoribus, multiplici cruciatuum genere ob fidei confeſſionem tortus, denique in Muſæum fluuium præceps deiectus, pro conſtanti concertatione, et pietatis uictoria coronam tulit. Cordubæ, beatiſſimi martyris Perfecti presbyteri. Hic ciuis Cordubenſis, in baſilica ſancti Aciſcli, nobili eruditione, eccleſiaſticisq. diſciplinis inſtitutus, et Arabici ſermonis uſu litterate peritus, cum eã ob cauſam Mauris notus admodum eſſet, de CHRISTO et Mahomete teſtimonium proferre aliquando*

[Handwritten margin notes: 9. Martij — De eodem 12. huius vide Surium.]

do iuſſus, expoſitis, exaggeratisq. nefarijs iſtius facinoribus, explosaq. doctrina, CHRISTI diuinitatem libere profeſſus, a Maurorum cohorte comprehenſus, ad iudicem raptatur; cuius iuſſu compedibus uinctus, in ergaſtula truditur: ubi, in uigilijs, orationibus, ac ieiunijs frequens, Spiritus ſancti uirtute roboratus, liberius fortioriq. animo ſententiam ſuam confirmauit. itaque multis poſt menſibus e carcere eductus, conſtantiſſima CHRISTI confeſſione, Mahometis cultum deteſtans, gladio percuſſus, coronatur. Cæſarauguſtæ, ſanctæ Engratiæ uirginis: quæ horribilem in modum uarie cruciata, denique in cuſtodiam includitur, quoad ulceratum corpus putreſceret. In Cœnobio Laubienſi, ſancti Vrſmari epiſcopi, et confeſſoris: qui prædicationis munere, religioſæ uitæ egregijs exemplis, ac rerum, quas mirifice geſsit, admiranda magnitudine permultos ad fidem CHRISTI a ſuperſtitionibus perduxit. qua laude, et miraculis clarus, quieuit in Domino. Mediolani, ſancti Galdini epiſcopi, et confeſſoris. Is ciuis Mediolanenſis, a pueritia deditus ſacrarum litterarum ſtudijs, primo Archidiaconus, deinde ab Alexandro Tertio, pontifice maximo, Archiepiſcopus illius ciuitatis creatus, aſsiduis precibus, et ieiunio totus addictus, quod de Eccleſia, ſibi commiſſa, ſancte gerenda, animo conceperat, Dei auxilio aſſecutus, demum ſpectata ſanctimonia inſignis, de ſuggeſtu contra Catharorum hæreſim, quam ab grege ſuo propulſandam curarat, concionandi ubi finem fecit, animam Deo reddidit.

Decimotertio calendas Maij. Luna. D.

28	10	20	2	13	23	5	15	26	8	18	29	11	21	3	14	24	6	16
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſancti Leonis pontificis. Hic in Alſatia, Germaniæ 19.
prouin-

prouincia, nobili genere natus, doctrina, religione, et ſanctitate florens, pontifex renunciatus, pro Eccleſia Dei quam plurima diuine geſſit: Romanum concilium habuit, et Papienſe item, et Moguntinum de reip. Chriſtianæ ſtatu: cuius cauſa in Galliam etiam profectus, Rhemis epiſcoporum Galliæ ſynodum habuit; et Vercellis quoque contra Berengarium hæreticum. Conſtantinopolim præterea, ut ab erroribus Græcos reuocaret, et in catholicæ religionis inſtitutis contineret, legatos tres miſit. Baſilicam, Hieroſolymæ magnificis ſumptibus religioſe extructam, quæ ſepulcri CHRISTI *Domini nomen accepit, a Sarracenis, Turcisq. dirutam, omni uigilantia ab Imperatore Conſtantinopolitano reſtituendam curauit. Fuit is in pauperes mirifica eleemoſynarum liberalitate; in ſanctorum cultu, de quibus multis cantus conſcripſit, egregia pietate; in dijudicandis cauſis eccleſiaſticis æquitate ſingulari, ſacrarumq. doctrinarum ſcientia præſtanti: quæ cum in ceteris plurimis ingenij ſui monimentis eluxit, tum in lucubrationibus contra Græcorum errata a ſe erudite confectis. Harum uirtutum, et miraculorum laude clarus pontifex, Eccleſia quinque annis pie adminiſtrata, plurimis ſancte factorum meritis cumulatus, in cælis æterno perfruitur præmio; et in terris conſecrata eius memoria, anniuerſario diuinorum officiorum cultu Rhemis celebratur. Corinthi, ſancti Timonis diaconi: qui fuit unus ex ſeptem, quos Apoſtoli inſtituerunt. Is Berrhoeæ, deinde alijs locis Euangelium diſſeminans, poſt Corinthum uenit: ubi a Iudæis, et Græcis in flammam iniectus, nihil incendio tamen læſus, in crucem poſtremo actus, martyrio coronatur. Mileti in Armenia, ſanctorum martyrum, Hermogenis, Caij, Expediti, Ariſtonici, Rufi, Galatæ, et Theodoſiæ, uirginum. Hi uno die, præclare dato fidei teſtimonio, coronantur. Caucoliberi in Hiſpania, ſancti*

Vincentij

Vincentij martyris. Cantuariæ in Anglia, ſancti Elphegi epiſcopi, et martyris. Is, non obſcuro loco natus, paterna neglecta hæreditate, primò in monaſterium, deinde, quo liberius in diuinis contemplationibus conquieſceret, in ſolitudinem ſe abdidit: quò, peruagata illius ſanctitatis fama, maximus ad eum factus eſt concurſus nobilium hominum, ſalutis conſilium expetentium. Mortuo autem Vintoniæ epiſcopo, in illius locum ſuffectus eſt diuino admonitu: indeq. ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem uocatus, occupata per Danos Anglia, ob pietatem uaria ab illis cruciamenta perpeſſus, demum, ſecuri capiti infixa, necatus, martyrij corona donatur.

Duodecimo calendas Maij. Luna. xii. E.

29 11 21 3 14 24 6 16 27 9 19 1 12 22 4 15 25 7 17
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum martyrum, Simplicij, et Seruiliani: qui, Flauiæ Domicillæ hortatu, miraculorumq. magnitudine ad fidem conuerſi, idolis cultum tribuere, cum præciſe, conſtanterq. negarent; Traiano Imperatore, Aniani, urbis præfecti, iuſſu ſecuri feriuntur. In Græcia, ſanctorum martyrum, Victoris, Zotici, Zenonis, Acindymi, Cæſarij, Serueriani, Chriſtophori, Theonæ, et Antonini. Ii, Diocletiano fidei aduerſario, pro CHRISTO *Domino dimicatione ſuſcepta, uarie torti, ac uarie item necati, admiranda conſtantia martyrium obierunt. Ebreduni in Gallia, ſancti Marcellini: qui primus illius urbis epiſcopus, ex Africa, Dei monitu, una cum ſocijs Vincentio, et Domnino proficiſcens, prædicatione, uitæ ſanctiſſimæ exemplis, ac miraculorum cæleſti uirtute, magnam alpium maritimarum partem ad* CHRI- 20.

R STI

sti fidem perduxit. Antiſiodori, ſanctorum, Martiani, et Mamertini, presbyterorum. Vticæ in Africa, ſancti Victoris epiſcopi, et confeſſoris.

i. F. Vndecimo calendas Maij. Luna.

1 12 22 4 15 25 7 17 28 10 20 2 13 23 5 16 26 8 18

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

21. *In Perſia, ſancti Simeonis epiſcopi, et aliorum martyrum centum. Is, Saporio Rege iubente, comprehenſus, ferroq. onuſtus, cum Solem uenerari nollet, ac libera uoce CHRISTVM Dominum teſtaretur, primum una cum alijs centum, partim presbyteris, partim diaconis, et clericis, in ergaſtulum concluſus, atque ibidem cruciatu pene confectus, tandem ſimul cum ijs omnibus ſecuri percuſſus eſt: cum eodemq. præterea religionis cauſa clariſſimi uiri contrucidati ſunt, Vſtazades, Abdella, Ananias, hi duo ſenes, et Puſitius, fabrum regis præfectus, huiusq. filia, uirgo ſacra. In Græcia, ſanctorum martyrum, Ianuarij epiſcopi, Proculi, et Fauſti, diaconorum, Deſiderij lectoris, et ſociorum: qui, Diocletiano Imperatore, ſupplicijs exquiſitiſſimis excruciati, ſuperata eorum ui, demum datis pro gloria Dei ceruicibus, coronantur. In Aſia, ſancti Maximini martyris. Hic, in perſecutione Deciana, primum multiplici tormentorum genere acerbiſſime afflictatus, demum lapidibus obrutus, palmam tulit. Alexandriæ, beatorum martyrum, Aratoris presbyteri, Fortunati, Siluij, Felicis, et Vitalis: qui pro fide in carcerem detruſi, ibi dormierunt in Domino. Cantuariæ in Anglia, ſancti Anſelmi epiſcopi, et confeſſoris. Brixiæ, ſancti Cypriani epiſcopi, et confeſſoris.*

Decimo

Decimo calendas Maii. Luna. G.

2 13 23 5 16 26 8 18 29 11 21 3 14 24 6 17 27 9 19
Ab c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Sotheri pontificis, et martyris. Hic Concordij filius, Fundis in Campania natus, uir pius, quæcumque egentibus ad corporis uſum opus eſſent, liberaliter admodum ſubminiſtrauit. In periculis maximis cum eſſet, numquam tamen animum a re diuina abduxit. Ad Campaniæ epiſcopos epiſtolam unam, quæ tota de fide eſt; alteram ad Italiæ epiſcopos ſcripſit: in qua, multis decretis editis, elucet maxime dignitas, et auctoritas Sedis Apoſtolicæ. Pie autem adminiſtrato nouem annis et amplius pontificatu, demum, Antonino Imperatore, martyrio coronatus, uia appia ſepelitur. Romæ item, ſancti Caij pontificis, et martyris. Is, e genere Diocletiani Cæſaris ortus, ubi pontificatum inijt, ad Eccleſiæ amplitudinem cum multa inſtituit, tum illud potiſsimum, ut horum ordinum, Oſtiarij, Lectoris, Exorciſtæ, Acoluthi, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri gradibus ad epiſcopatum aſcenderetur. Diaconis præterea regiones urbis partitus eſt. Cum autem Diocletiani tyrannicam in Chriſtianos crudelitatem fugeret, aliquandiu in ſpelunca delituit: tandem ab illius ſatellitibus comprehenſus, cum a fide deſciſcere conſtantiſsime recuſaſſet, datis pro CHRISTO *ceruicibus, martyrij poculum hauſit. Romæ præterea ſancti Agapiti pontificis. Is, ciuis Romanus, ubi primum ad Eccleſiæ gubernationem acceſsit, Conſtantinopolim profectus, Anthimium, illius urbis epiſcopum, hæreticum, ab Epiſcopali munere amouit, ſubrogato in illius locum Menna, catholico uiro: Iuſtinianum Imperatorem ab Eutyciana hæreſi reuocauit. Oecumenicam Synodum Conſtantinopolitanam, quæ* 22.

quinta numeratur, aduerſus Seuerum Antiochenum, et Acephalos indixit: aliaq. multa egit, præclaris et ſanctitatis, et uirtutis diuinæ ſignificationibus; in quibus illud eſt, quod mutum, et ſurdum mirabiliter ſanauit Corporis Domini adminiſtratione. Fide igitur, religione, et caſtiſſimæ pietatis officijs, totoq. pontificio munere illuſtris pontifex, re Chriſtiana bene et ſalutariter geſta, ad præmium commigrauit in cælum. Lugduni, ſancti Epipodij martyris: qui, Eccleſia Dei tyrannicis Antonini Cæſaris oppugnationibus exagitata, poſt exquiſitiſſima tormenta, quibus uarie affectus eſt, demum martyrij curſum, abſciſſo capite, confecit. Hoc ipſo die, ſancti Leonidis martyris. Hic Origenis pater, patientiſſima cruciatuum tolerantia inſignis, demum pro CHRISTI *gloria capite mulctatur. In Græcia, ſancti Nearchi martyris: qui in ignem poſitus, diuina uirtute roboratus, egregium fidei Chriſtianæ teſtimonium dedit. In Perſia, beatorum martyrum, Meliſij, et Acepſimi, epiſcoporum, Iacobi presbyteri; Mareæ, et Bicoris, epiſcoporum item; ac clericorum præterea, fere ducentorum, et quinquaginta; Monachorum etiam, et ſacrarum uirginum, atque aliorum plurimorum: qui, Saporij Regis iuſſo, cruciatibus uarijs eximie nobilitati, multiplici necis genere nobiliores, declarata in omni ſupplicio germana erga Deum pietate, pro illuſtri concertatione ad præmium euolarunt in cælum. Cordubæ, ſanctorum martyrum, Parmenij, Helimenæ, et Chryſoteli, presbyterorum; Lucæ, et Mutij diaconorum: quorum congreſſio pro fide præclare ſuſcepta, et egregie demum confecta, in monimentis extat martyrij beatiſſimi Laurentij. Hieroſolymæ, ſanctorum, Triginta mille martyrum: qui, Coſdroe Perſarum rege, contrucidati, coronantur. Apud Sennonas, ſancti Leonis epiſcopi, et cõfeſſoris. Hic in religioſæ uitæ officijs caſte, pieq. uerſatus, ob præ-*

clara

clara merita, in ſanctis a Leone pontifice adſcriptus eſt. Venetijs, Translatio ſancti Euſtathij, Patriarchæ Conſtantinopolitani. Eodem die, Inuentio ſanctorum martyrum, Dionyſij, Ruſtici, et Eleutherij. Mediolani, ſancti Maroli epiſcopi, et confeſſoris.

Nono calendas Maij. Luna. ix. A.

3 14 246 17 27 9 19 1 12 22 4 15 25 7 18 28 10 20
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Naboris martyris. Dioſpoli in Perſia, ſancti Georgij martyris: quem Græci patres ob præclaras Chriſtianæ uirtutis laudes, quibus illuſtris admodum ille fuit, magni martyris nomine eum appellant; ac multis præterea præconijs Latini eundẽ celebrant. Illius hiſtoria etſi in apocryphis cenſetur, eiuſdẽ tamen illuſtre martyrium Eccleſia ueneratur. Valentiæ in Gallia, beatorum martyrum, Felicis presbyteri; Fortunati et Achillei, diaconorum: qui ab ſancto Irenæo, Lugdunenſium epiſcopo, ad prædicationem Euangelij eo miſſi, cum ab impio cultu maximam illius ciuitatis partem ad fidem conuertiſſent; à Cornelio duce in carcerem contruſi, neruis diutiſſime cæſi, tum equuleo per diem, et noctem ſuſpenſi, caliginis fumo ſuppoſito; poſt uinctis a tergo manibus, cruribusq. confractis, orbitarum uinculis aſtricti; demum gladio percuſſi, egregie coronantur. In Græcia, beatorum martyrum, Valerij, Anatolij, Protoleonis, Athanaſij, et aliorum: qui, uarijs exantlatis concertacionum laboribus, fidei teſtimonium nece perhibuerunt. Pragæ in Bohemia, ſancti Adalberti epiſcopi, et martyris: cuius in uita religioſe excolenda exercitationes, et in Eccleſiæ bonis recte diſtribuendis prudentia, cum 23.

pieta-

pietate ſingulari coniuncta, et religionis cauſa ſuſceptæ peregrinationes, et pro gloria Christi *res ſumma epiſcopalis animi ui, ac magnitudine geſtæ, et in martyrio certamina, litteris conſignata, illius oſtendunt merita, ob quæ cæleſti præmio a* Christo *Domino donatus eſt. Tulli, ſancti Gerardi epiſcopi, et confeſſoris.*

A B. Octauo calendas Maij. Luna.

4	15	25	7	18	28	10	20	2	13	25	5	16	26	8	19	29	11	21
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

24. *Lugduni, ſancti Alexandri martyris: qui, Antonino Imperatore, in cuſtodias traditus, tortorum uerberibus primum ita horribilem in modum dilaniatur, ut laterum commiſſura diuulſa, uiſceribusq. patefactis fœde inteſtina apparerent: poſt cruci demum affixus, animam Deo reddidit. Cum eo præterea ſimul alij quattuor, et triginta, fidem* Christi *conſtanter profeſſi, crudeliſſime pro nefarij præfecti uoluntate diu cruciati, confecto martyrij curſu, in cælum migrarunt. In Græcia, ſancti Sabæ martyris, et aliorum ſeptuaginta. Is, Chriſtianæ fidei colens, illorum qui religionis cauſa in uinculis eſſent, curam gerebat. eo igitur nomine accuſatus, in iudicio* Christum *libere confeſſus, tum funalibus accenſis ſemiuſtulatus, tum in lebetem feruentem iniectus, inde diuinitus a periculo eripitur. Cuius rei admirabilitate peruulgata, uiri ſeptuaginta, fidem Chriſtianã amplexi, in illa tuenda conſtantiſſimi, præciſo capite, martyrium obierunt. Beatus autem Saba, inſtitutis iterum quæſtionibus, animo magis, atque magis ad confeſſionem* Christi *confirmato, in fluuium proiectus, coronatur. Hoc ipſo die, ſanctorum martyrum, Euſebij, Neonis, Leontij, Longini, et aliorum quattuor. Ii, coronato bea*

tiſſimo

tiſſimo Georgio martyre, cum ex funeſto Diocletiani edicto omnes ubique terrarum Christianos, illosq. præſertim, qui illius martyris cura C H R I S T O *adhæſiſſent, in carcerem conijci iuſſum eſſet, eo nomine comprehenſi, a fide ut deſciſcerent, per vim adacti, id conſtanti animo negarunt. quam ob cauſam primo uerberibus uſque adeo grauiter cæſi, ut diſſipatis uiſceratim membris, inteſtina diffluerent; demum, præciſis ceruicibus, martyrij curſum præclare confecerunt. In Britannia, ſancti Melliti epiſcopi, et confeſſoris: cuius res, diuine geſtæ, ad poſteritatem litteris proditæ ſunt. Heliberi, ſancti Gregorij epiſcopi, et confeſſoris. In Hibernia, ſancti Egberti monachi, et confeſſoris; admiranda humilitate, continentia, et uirtutibus in religioſa uita affluentis uiri. Rhemis, ſanctarum uirginum, Bonæ, et Dodæ. Hoc ipſo etiam die, ſanctæ Coronæ uirginis.*

Septimo calendas Maij. Luna. xvii. C.

5 16 26 8 19 29 11 21 3 14 24 6 17 27 9 20 1 12 22

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Marci Euangeliſtæ. Hic beati Petri, Apoſtolorum principis, interpres, et diſcipulus, ante, quam ſanctus Lucas, Euangelium ſcripſit: quod cum ipſe Petrus audiſſet, probauit; et Eccleſiæ legendum ſua auctoritate edidit. Is primus Alexandriæ in Aegypto epiſcopus, non Alexandrinos ſolum, ſed uniuerſam finitimam regionem Euangelij præceptis atque inſtitutis imbuit: loco, qui dicitur Bucolus, Nerone Imperatore, martyrium ſubijt. Hoc ipſo die Litaniæ maiores, a ſanctiſſimo Pontifice Gregorio magno inſtitutæ; populo in ſeptem ordines diſtincto, ſupplicationis cauſa ad beati Petri baſilicam procedente. Syracuſis, beato- 25.

rum

rum martyrũ, Euodij, Herinogenis, et Caliſti. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Aniani epiſcopi. Is ciuis Alexandrinus, e nobili familia natus, beati Marci diſcipulus, in illius locum epiſcopus factus, duobus et uiginti annis Eccleſiæ, ſibi cõmiſſæ, præfuit. quo epiſcopali munere diuine perfunctus, ſancte factorum gloria clarus, Domitiano Imperatore, quieuit in Domino. In Brittania, ſancti Auguſtini epiſcopi, et confeſſoris. Hic a beato Gregorio ad illam inſulam miſſus, ab impio cultu populum Britannicum ad fidem reuocauit.

vi.D. Sexto calendas Maij. Luna.

5	17	27	9	20	1	12	22	4	15	25	7	18	28	10	21	2	13	23
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

26. *Romæ, ſancti Cleti pontificis, et martyris. Is, a beato Petro ad fidem conuerſus, ab eodem presbyter factus, poſt epiſcopus conſecratus, illum, in Eccleſia Dei gerenda, uigilanter adiuuit. Deinde is aliquot poſt annis pontifex, ſumma fidelium conſenſione renunciatus, in eam curam totus incubuit, ut in urbe Roma, ampliſſimo omnium gentium domicilio, ſuperſtitionum conuulſo ſeminario, fidei cultum propagaret. Datis autem ad omnes gentes litteris, religioſum ad limina Apoſtolorum peregrinandi ſtudium commendauit, anathemate illius diſſuaſores execratus. In epiſtolis pontificijs primus uſus eſt illis uerbis,* SALVTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM. *Re denique Chriſtiana, ſanctiſſime adminiſtrata, martyrio in perſecutione Domitiniani coronatur. Romæ item, ſancti Marcellini pontificis, et martyris; ac trium præterea aliorum, Claudij, Cyrini, et Antonini. In maxima perſecutionis Diocletinianæ tempeſtate, tyrannicis ſupplicijs*

ille perterrefactus, per uim thus idolis adhibuit. cuius nefarij facinoris mox eum tantopere pænituit, ut Sinueſſam ad concilium uenerit, cilicio indutus: ubi lacrymis profuſis peccati admiſsi grauitatem publice palamq. confeſſus eſt. Quem tamen damnare auſus eſt nemo: ſed omnes, præclaro ſummæ pontificiæ poteſtatis teſtimonio dato, una uoce clamarunt; Tuo te ore, non noſtro, iudica. Deinde is Romam reuerſus, Imperatorem adit, grauiter illum accuſans, quòd ſe ad tantam impietatem impuliſſet. Quam ob cauſam una cum illis tribus ſecuri percuſſus, gaudenti animo martyrium obijt: bis menſe Decembri de more habitis ordinationibus, quibus epiſcopos quinque, presbyteros quattuor, et diaconos duos creauit. Quo tempore uſque adeo uehemens rei Chriſtianæ perturbatio extitit, ut uno menſe, ſeptem, et decem millia fidelium pro CHRISTI *gloria, cruciatus, cruces, inaudita tormenta, cædem, flammam, omneq. teterrimæ mortis genus pertulerint. Amaſeæ, ſancti Baſilei epiſcopi, et martyris. In monaſterio Centula, ſancti Richarij epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita, ſancte acta, ab Alcuino litteris mandata eſt. Viennæ, ſancti Clarentij epiſcopi, et confeſſoris. Bergomi, Translatio ſanctorum martyrum, Proiecti, et Iacobi.*

Quinto calendas Maij. Luna. E.

7	18	28	10	21	2	13	23	5	16	26	8	19	29	11	22	3	14	24
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſancti Anaſtaſij pontificis. Hic ciuis Romanus, 27.
patre Maximo natus, vir plane optimus, eaq. uitæ ſanctimonia prælucens, ut, quod de eo beatus Hieronymus teſtatum facit, Mundus dignus non fuerit, qui diuturna illius uita frueretur. Pon

tifex factus, in re eccleſiaſtica amplificanda, atque exornanda totus cum eſſet, editis pontificijs litteris iuſsit, dum Euangelium in eccleſia pronunciatur, ſacerdotes, ceterosq. omnes omnium ordinum homines aſſurgere, ac ſtare. Vetuit etiam, ne peregrini, et ij in primis, qui tranſmarini eſſent, ſacris ordinibus, eorumq. mu neri aſcriberentur; niſi allatis obſignatis litteris, quibus ab epiſcopis quinque ſubſcriptum eſſet. Interdixit præterea, vt nemo, qui mancus, et aliquo corporis membro captus eſſet, ſacris initietur. Baſilicam ſanctæ Creſcentiæ, Romæ uia Mamertina, exædificauit, et Cœmiterium quoque ad urſum pileatum. Ad concilij Carthaginenſis Patres epiſtolam dedit, pontificiæ ſollicitudinis, paternæq. charitatis plenam; qua illos contra Donatiſtarum inſidias mirifice animauit. Idem concilium confirmauit, et Africanum item. His, atque alijs inſigniter, pieq. geſtis, laborum pontificalium præconio, laudeq. ſanctæ uigilantiæ, et uirtutum omnium clarus, obdormiuit in Domino. Nicomediæ, ſancti Anthimi epiſcopi, et martyris: cui, Diocletiano Imperatore, barbara immanitate, crudeliſq. animi impotentia, Dei eccleſiam oppugnante, caput pro ſalutari Christi *nomine abſciſſum eſt. Huic ingens, et frequens martyrum multitudo adiuncta fuit. quorum, quaſi cumulo aceruatim facto, alij gladio contrucidati; alij ardore flammarum, corporibus circumiectarum, exuſti; alij tum uiri, tum mulieres etiam diuina, atque inexplicabili alacritate, ultro pro fidei teſtimonio ſe ſe in rogum inijcientes; multi uinculis colligati, et ſcaphis a lictoribus impoſiti, in uaſtos maris gurgites, et procellas, præcipites proiecti, pro diuina hac teſtatæ pietatis uictoria, coronis cæleſtibus donati ſunt. In Græcia, ſanctorum martyrum, Puplionis, et Lolionis: hic, in perſecutionum tempeſtate, fœde raptatus; ille gladio percuſſus, martyrio coronatur. In Pannonia*

nonia

nonia, ſancti Pollionis martyris: qui, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, in CHRISTI ſtadio luctatus, grauibus certaminibus præclare obeundis, egregium fidei teſtimonium, profuſo ſanguine, dedit. Tharſis in Cilicia, beatorum martyrum, Caſtoris, Stephani, Hermetis, et Victoris. Brixiæ, ſancti Teophili epiſcopi, et confeſſoris. Altini, ſancti Liberalis presbyteri, et confeſſoris: qui beati Heliodori diſcipulus, admiranda abſtinentia fuit, et erga pauperes, ægrosq. charitate uere Chriſtiana.

Quarto calendas Maij. Luna. xiiii. F.

8 19 29 11 22 3 14 24 6 17 27 9 20 1 12 23 4 15 25
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Rauennæ, ſancti Vitalis martyris. Hic beatorum martyrum, Geruaſij et Protaſij pater, cum Vrſicinum medicum, in tormentis, quæ ob CHRISTI confeſſionem patiebatur, paululum titubantem, magnopere animaſſet; eum Paulinus iudex, attentata illius conſtantia, primum equuleo torqueri; poſt in profundam foueam demerſum, lapidibus et terra obrui iuſſit. Mediolani hoc ipſo die, ſanctæ Valeriæ martyris: quæ, audito uiri Vitalis martyrio, Rauennam uenit, ut illius corpus Mediolanum aſportaret: in ſomnis uero diuinitus admonita, ab ſuſcepto conſilio deſtitit. Cum autem ad patriam rediret, in ruſticos homines incidit, Siluano ſacrificantes. a quibus quoniam adigi non potuit, ut idolo immolaret; ab eis in ſumma fidei conſtantia uerberibus pæne confecta, et uix ſemiuiua a ſeruis Mediolanum perducta, triduo poſt, tota in CHRISTI meditatione defixa, migrauit in cælum. Alexandriæ, ſanctæ Theodoræ uirginis. Hæc, ſpreto idolorū cultu, ob id in lupanar tradita, inde Didymi opera, iuuante 28.

Deo erepta, ſicq. ſeruata uirginali caſtitate, una cum eo percuſſa gladio, ad duplicatam uirginitatis, et martyrij cæleſtem palmam abijt. Pruſæ, ſancti Patricij epiſcopi: qui ob uirtutis et ſapientiæ præſtantiam, illius ciuitatis epiſcopus factus, fidei, et pietatis Chriſtianæ ardore flagrans, ob eam cauſam ab idolorum cultoribus comprehenſus, iudici ſiſtitur: apud quem falſorum Deorum inanem ſuperſtitionem libere reprehendit. quare uarijs cruciatus tormentis, demum ſupplicio capitis affectus, martyrij præmium accepit. In Græcia, ſancti Iaſonis martyris. Eodem die, ſanctorum, Aphrodiſij, Caralippi, Agapeti, et Euſebij, martyrum.

iii. G. Tertio calendas Maij. Luna.

9	20	1	12	23	4	15	25	7	18	28	10	21	2	13	24	5	16	26
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

29. *In Numidia, apud Cirtenſem coloniam, beatiſſimorum martyrum, Agapij, et Secundini, epiſcoporum: qui, Valeriano Eccleſiæ hoſte, ad eam urbem relegati, in qua potiſſimum gentes maximo tenebantur ſtudio reſtinguendæ Chriſtianæ religionis, illuſtre martyrium ſubierunt; unaq. cum ijs Aemylianus miles, et ſacræ uirgines duæ, Tertulla, Antonia, et mulier ſimul cum liberis duobus item. Arelati, ſancti Reguli epiſcopi. Is homo Græcus, in urbe Nicæa natus, beati Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, in Galliam cum ſancto Dionyſio Areopagita profectus, Trophimo illius urbis epiſcopo ſuccedens, eo munere religioſe perfunctus, pie factorum meritis cumulatus, obdormiuit in Domino. In Græcia, ſanctorum martyrum, Zenonis et Vitalis: qui fidem* Christi, *quam amplexi erant, teſtatam præclare fecerunt, flammis ambuſti. Alexandriæ, beatorum martyrum, Vitalis, Chriſtophori,*

ri, Germani, Proſdocij, et Vrbani. Brixiæ, ſancti Paulini epiſcopi, et confeſſoris. In monaſterio Cluniacenſi, ſancti Hugonis abbatis. Hic in Burgundia illuſtribus parentibus natus, fit monachus, deinde abbas: cuius habitus, forma religionis; uita fuit, bene ſancteq. uiuendi inſtitutio. Hoc ipſo die, ſancti Roberti abbatis: qui, Ciſtercienſis ordinis, diuina largiente gratia, auctor, in religioſa uita floruit cæleſti uirtute, et miraculorum magnitudine. Mediolani, ſancti Petri martyris. Hic ordinis Prædicatorum, in nonnullis Italiæ partibus, cum Dei uerbum contra hæreticos prædicaſſet, ab illis apud Mediolanum contrucidatus eſt. Eius res pie diuineq. geſtas, Innocentius Quartus, pontifex maximus, ijs litteris mandauit, quas ubique terrarum promulgari uoluit, cum illum in ſanctorum numerum retulit. Hoc etiam die, ſanctæ Catharinæ uirginis. Hæc Senis orta, ab adoleſcentia, ſuſcepto ſancti Dominici de pœnitentia habitu, in omni religioſæ diſciplinæ exercitatione caſte, integreq. uerſata, ſanctimoniæ, et miraculorum laude clara, a Pio Secundo, pontifice maximo, cognitis, et perſpectis illius rebus pie, cæleſtiq. uirtute geſtis, in ſanctarum uirginum numero adſcripta eſt.

Pridie calendas Maij. Luna. A.

10 21 2 13 24 5 16 26 8 19 29 11 22 3 14 25 6 17 27
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Quirini martyris: cuius dies natalis tertio calendas Aprilis eſt; et hodie item feſta celebritate colitur. Apud Sanctonas, ſancti Eutropij epiſcopi et martyris. Hic Perſa, parentum regum filius, beati Dionyſij Areopagitæ diſcipulus, et comes, a ſancto Clemente pontifice epiſcopus Sanctonenſium con- 30.

ſecratus,

ſecratus, ſeptem et uiginti annis eo munere functus, excitata infidelium perſecutione, colliſo capite, uictor coronatur. In Lambeſitana urbe, ſanctorum martyrum, Iacobi diaconi, et Mariani lectoris. Hic, iam pridem ſuperatis ſemel Decianæ perſecutionis periculis, iterum cum Iacobo ſocio comprehenſus eſt. Sicq. ambo grauiſſimis cruciatibus, primum affecti, demum una cum alijs multis, gladio percuſſi ſunt. In Aſia, ſancti Maximi martyris. Hic, tyrannicis Decij Cæſaris, contra Chriſtianos promulgatis edictis, ſe Chriſtianum eſſe, palam libereq. profeſſus, a prouinciæ proconſule nullis ſuaſionibus de gradu pietatis deiectus; primo fuſtibus cæſus, poſt equuleo tortus, poſtremo lapidibus obrutus, coronatur. In Hiſpania, beatorum martyrum, Amatoris presbyteri, Petri monachi, et Ludouici: qui prædicationis Euangelicæ uno fœdere iuncti, ob eam cauſam comprehenſi, in fidei confeſſione conſtantiſſimi, ab Arabibus necati ſunt. Mediolani, ſancti Miroclis epiſcopi: de quo infra pridie calendas Decembris. In finibus Tridentinorum, ſanctæ Maxentiæ uiduæ. Hæc, beati Vigilij epiſcopi mater, ſingulari pietate, et religione ita præluxit, ut miraculis compluribus eius ſanctitatis laudem Deus teſtatam fieri uoluerit. Nouariæ, ſancti Laurentij presbyteri. Londonij in Anglia, ſancti Erconualdi epiſcopi, et confeſſoris: qui ex Deo, toto animo, totaq. cogitatione pendens, dum in terris eſſet, cæleſtium rerum contemplationi magnopere deditus, populo ſibi commiſſo, ad ſempiternam patriam uerbis et exemplis iter commoſtrauit: multarumq. uirtutum ſplendore clarus, abijt ad Dominum.

Calendis Maij. Luna. xi.B.

11 22 3 14 25 6 17 27 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 28
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

SAnctorum Apoſtolorum, Philippi, et Iacobi. Die 1.
E quibus Philippus, Bethſaidæ natus, unus e duodecim Apoſtolis, accepto Spiritu ſancto, cum Scythia ad prædicandum Euangelium ei obtigiſſet, omni fere illa gente ad CHRISTI *fidem conuerſa, inde, peragratis Aſiæ urbibus, poſtremo in Phrygiam, Hierapolim profectus, ibi pro* CHRISTI *nomine cruci affixus, lapidibusq. obrutus, migrauit ad Dominum. Eius corpus, a Chriſtianis ſepultum, poſt, Romam delatum eſt ad baſilicam duodecim Apoſtolorum. Iacobus autem, frater Domini, Hieroſolymæ epiſcopus,* CHRISTVM, *Dei filium conſtantiſsime prædicans, lapidibus primo appetitur; mox in altiſsimum templum perductus, inde præceps deiectus eſt: confractisq. cruribus, iacens ſemiuiuus orabat: qua in oratione, capite fullonis fuſte percuſſo, animam Deo reddidit. Hoc ipſo die, Hieremiæ* PROPHETÆ. *In Gallia, apud Viuarienſes, ſancti Andeoli* DIACONI: *qui ab ſancto Polycarpo prædicationis cauſa eo miſſus, Seueri Cæſaris iuſſo, ſpinoſis fuſtibus uerberatus, tum in uincula contruſus, ligno in capite percuſſus, martyrij curſum confecit. Seduni, ſancti Sigiſmundi* REGIS, *et martyris. Hic, Francorum impetum fugiens, coma depoſita, religionis habitum ſuſcepit: orationi autem, ieiunijs ac uigilijs aſsidue deditus, ab illis captus, in puteum demergitur. Eius corpus, Dei admonitu,* ABBATI *ſancti Mauritij patefactum, ab eodemq. religioſe ſepultum, miraculorum ſplendore eluceſcens, illius ſanctitatem*

ita

ita mirificè, diuina uoluntate, declaratam, in populo fideli dilucide oſtendit. Antiſiodori, ſancti Amatoris epiſcopi, et confeſſoris: cuius res pie, mirabiliter diuinitusq. actæ, leguntur. Auſcij, ſancti Orientij epiſcopi: qui religione, cæleſtiq. uirtute imbutus, atque omni ſincera diuini cultus ſanctitate clarus, dormiuit in Domino. Rhemis, ſancti Theodulphi presbyteri, et confeſſoris. In Britannia, ſancti Vltani confeſſoris: cuius plurima in Eccleſia extant præclara ſanctitatis monimenta. Cantuariæ in Anglia, ſancti Saluatoris, et aliorum multorum martyrum: qui a fidei aduerſarijs pro CHRISTI *gloria necati ſunt. Ambiani, beatorum martyrum, Acij, et Acioli: qui religioſis ſplendeſcunt miraculis. In finibus Tungrenſium, ſancti Euermari martyris: cuius translationem, ab Heraclio epiſcopo Leodienſi celebratam, Deus compluribus poſt miraculis maxime illuſtrem eſſe uoluit. In Germania, ſanctæ Vuarburgiæ uirginis. Bergomi in Gallia Ciſalpina, Translatio ſanctæ Gratæ uirginis.*

C. Sexto nonas Maij. Luna.

12	23	4	15	26	7	18	28	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	29
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

2\. *Sancti Athanaſij epiſcopi, et confeſſoris. Is Catholicæ religionis propugnator acerrimus, ab Arianis infenſè oppugnatus, falſis criminibus accuſatus, et in exilium pulſus, e tot, ac tantis periculis, diuina ope, mirabiliter ereptus, Alexandriæ demum, magnis exantlatis pro fide laboribus, quieuit in Domino, Valente Imperatore. Eius et uita, et mors multis nobilitata miraculis, una Gregorij Nazianzeni laudatione egregie concelebratur. Romæ, ſanctorum martyrum, Saturnini, Neopoli, Germani, et*

Cæleſtini

Cæleſtini: qui pro CHRISTO *Domino in carcerem coniecti, ibi obdormierunt. In Græcia, ſanctorum martyrum, Eſperi, Zoæ, coniugis, ac liberorum eius, Cyriaci, et Theoduli. Ii, Adriano Imperatore, fortiſſimi uictores, coronantur. In Corſica, ſanctorum, Florentij, et Vindemialis, epiſcoporum: qui ex Africa ad eam inſulam cum tranſmiſerint, ibi miraculorum laude clari, quieuerunt in Domino; inde poſt Taruiſium a Titiano epiſcopo translati, in baſilica cathedrali pie coluntur. Eodem die, ſancti Vualberti abbatis: qui beati Columbani diſcipulus, illius diuinarum uirtutum imitatione nobilis, declarata miraculis eius ſanctitate, obijt in Domino. Apud Andegauenſes, ſancti Florentij presbyteri, et confeſſoris. Florentiæ, ſancti Antonini Archiepiſcopi, et confeſſoris. Hic uigilantia, ſollicitudine, prudentia, abſtinentia, manſuetudine, iuſtitia, religione, doctrina, omniq. epiſcopali uirtute, et paſtoralis officij exemplis prælucens, ſpectata etiam multis in rebus, quas mirabiliter diuineq. geſſit, ſanctimonia, ab Adriano Sexto, pontifice maximo, in ſanctos relatus eſt.*

Quinto nonas Maij. Luna. xix. D.

13	24	5	16	27	8	19	29	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

Inuentio ſacroſanctæ Crucis Domini. quæ ab Helena, Conſtantini matre, Hieroſolymæ reperta eſt, loco, ubi marmorea Veneris ſtatua a gentibus collocata erat, ad tollendam CHRISTI *Domini paſſionis memoriam. Huius inuentionis ſolemnis celebritas ab Euſebio, pontifice maximo, inſtituta eſt. Romæ, uia Numentana, ſancti Alexandri pontificis, Euentij presbyteri,* 3.

Theodori, et Iuuenalis, diaconorum, martyrum. Fuit Alexander, Alexandri filius, ciuis Romanus, de uico Capite Tauri, ætate, cum pontificatum iniјt, iuuenis; at moribus, et religione, ſacraq. eruditione grauis: qui magnam Senatus partem CHRISTO *Domino, et agendo, et docendo adiunxit. Hermem, urbis præfectum, coniugem, liberos, uniuerſamq. familiã eius baptizauit; Clerum a iudicio ſæculari liberum, atque immunem eſſe, pontificia ſanctione primus conſtituit; aquam aſperſionis cum ſale benedici decreuit; Miſſæ ſacrificio precationes aliquot adiunxit; alia præterea pro Dei gloria, eccleſiæq. amplitudine ſtatuit: ad quam omni ſacroſancta auctoritate attentus, in tantis impietatis tenebris, omni conatu ſtuduit Euangelij lucem diffundi. quam ob cauſam primum, Traiano Imperatore, comprehenſus, poſt uinculis et equuleo cruciatus, tum ferreis dilaniatus ungulis, demum crebris carnificum ictibus membratim, ac punctim cæſus, præclaris datis et* CHRISTO, *et Euangelio teſtimonijs, pro multiplici, egregioq. certamine coronatur. Illi item tres, Euentius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter, et Theodorus, ac Iuuenalis, diaconi, diu in carcere, et ſitu, pedoreq. et ignis cruciamento male affecti, denique gladio percuſſi, pietatis officijs, et confeſſionibus fidei in* CHRISTVM *nobiles, corona donantur. In Græcia, ſanctorum martyrum, Rhodopiani diaconi, et Diodori: qui, Diocletiano Imperatore, ob* CHRISTI *religionem, qua imbuti erant, a ciuibus ſuis graues, contumelioſosq. cruciatus perpeſſi, demum lapidibus obruti, ad præmium abeunt in cælum. Hoc ipſo die, ſanctorum martyrum, Antoninæ uirginis, et Alexandri militis. Narniæ, ſancti Iuuenalis epicopi, et confeſſoris: in cuius uita Chriſtianæ uirtutes, admirabili ſanctitatis ſplendore, eluxerunt.*

Quarto nonas Maij. Luna. viii. E.

14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sanctæ Monicæ. Hæc, beati Auguſtini epiſcopi mater, in orationibus, ieiunijs, uigilijs, lacrymis, uitæ rationem ſecuta, omniq. pietatis officio perfuncta, quo filium ad catholicæ religionis lucem reuocaret, denique, admiranda ſanctitate nobilis, cæleſtem in patriam abijt. Gazæ in Palæſtina, ſancti Siluani epiſcopi, et martyris. Hic a primo fere die perſecutionis, ad extremum uſque, per totum temporis ſpacium uarijs certaminibus, pro crebra fidei confeſſione decurſis, nobilitatus, ad illum temporis articulum reſeruatus eſt, ut omnia certamina fidelium, qui in Palæſtina martyrium obierunt, poſtremus, quaſi ſigillo cruoris obſignaret. Eodem die ſanctorum undequatraginta martyrum: qui multis uarijsq. ſuſceptis pro religione certaminibus, demum, nefarij Maximini mandato præciſis ceruicibus, pro uictoria diuinum præmium tulerunt. Sancti item Ioannis martyris. Is, et ſi oculis captus, ac pedibus ægre affectus, tamen propter egregiam in CHRISTI *nomine confitendo conſtantiam, qua mirifice excellebat, hoc ab immani tortorum barbarie paſſus eſt, ut tum illius oculi pupilla, quæ uidendi uim amiſerat, candēti ferro exureretur; tum pes ignitis cauterijs labefactaretur. Denique curſu certaminis confecto, palmam accepit. In Phenneſo, beatorum quadraginta martyrũ: qui, Diocletiano Imperatore, ad metalla eò amandati, cæleſte* CHRISTI *regnum in omni cruciatu palam profeſſi, demum gladio percuſſi, abeunt ad Dominum. Tarſi, ſanctæ Pelagiæ uirginis, et martyris. Hæc, fama religionis Chriſtianæ* 4.

peruulgata, illius colendæ deſiderio accenſa, a Clinone epiſcopo fidei initijs inſtituta, baptizatur. quare ab impia matre ad Diocletianum Cæſarem perducitur; cuius repudiatis nuptijs, ſpretoq. idolorum cultu, in fidei confeſſione diuinam Chriſtianæ uirtutis magnitudinem oſtendens, in taurum æreum, uehementi ſuppoſito igne, accenſum, includitur: quò in cruciatu, precibus attentiſſime ad Deum fuſis, ad duplicem et uirginitatis, et martyrij palmam commigrauit in cælum. Nicomediæ, ſanctæ Antoniæ martyris: quæ uarijs torta cruciamentis, deinde brachio uno tribus ipſis diebus ſuſpenſa, poſt biennio in tenebricoſo carcere incluſa, poſtremo in ſumma fidei confeſſione comburitur. In Norico, apud Lauriacum, ſancti Floriani martyris. Hic, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, cum fideles conquiri audiſſet, ad illud oppidum uenit, ſeq. Chriſtianum eſſe, ultro profeſſus, Aquilini prefecti iuſſo, ad falſorum Deorum cultum adigitur. a quo facinore ualde abhorrens, primo fuſtibus iterum atque iterum cæſus, a fidei propoſito dimoueri nullo modo poteſt. poſt in ſcapulis ferro acuto uſque adeo grauius uerberatus, ut uulneribus, et uibicibus totus cruore perfuſus eſſet, hoc tormentum animo gaudenti pertulit. itaque, demum, ſaxo ad collum appenſo, in fluuium Aneſum præceps deiectus, ſuperata aduerſarij nequitia, pro pietatis defenſione coronatur. Hieroſolymæ, ſancti Cyriaci epiſcopi, Annæ matris, et Ammonij, martyrum. Ille epiſcopus, ſceleſtiſſimi Iuliani Cæſaris mandato, ad immolationem impulſus, id admittere cum conſtantiſſime recuſaſſet; primum præciſa manu, deinde plumbo liquefacto in os infuſo, ſpectatores admirabili tolerantia obſtupefecit; poſt, in lecto ferreo, candentibus carbonibus ſtrato, collocatus, in faciem cubans, ſale et adipe aſperſus, a tergo uirgis cæſus, cum conſtantior eſſet, in carcerem truditur. quo

loco

loco quia illum ad martyrij curſum conficiendum Anna mater confirmarat, ignitis laminis, ad latera admotis, ſemiuſtulata, demum capillis ſuſpenſa, iugulatur. beatus uero Cyriacus in foueam altiſſimam, uenenatis ſerpentibus plenam, demerſus, inde, illis extinctis, diuinitus eripitur. cuius rei admirabilitate perſpecta, Ammonius ueneficus, CHRISTI fidem amplexus gladio percutitur. Martyr autem Cyriacus poſtremo in lebetem, feruenti oleo refertum, iniectus, traſuerberato pectore, animam Deo reddidit. Antiſiodori, beatorum martyrum, Curcodomi Diaconi, Antonij, Caleſtini, et aliorum. Coloniæ, ſancti Paulini martyris: cui malleo ferreo caput contuſum eſt. Mediolani, ſancti Venerij epiſcopi. Hic, nouem annis eccleſiæ, ſibi commiſſæ, cum bene præfuiſſet: ſanctitatis gloria illuſtris, abijt ad Dominum. Eius uirtutes, æterna gloria dignæ, beati Chryſoſtomi epiſtola græca celebratæ ſunt. In Germania, ſancti Gothardi epiſcopi, et confeſſoris. Hic pijs uitæ inſtitutis, et doctrina facile præſtantiſſimus, epiſcopus Hildeshemenſis factus, munus epiſcopale, quod inuitus ſuſcepit, magna cum laude quattuordecim annis religioſe geſſit. Morum autem caſtitate, ſapientia, ac multiplici uirtute clarus, ſacris ædibus, monaſterijs, et xenodochijs exedificatis, cenſuq. auctis, atque exornatis, tum alijs pie geſtis rebus, quieuit in Domino. Cuius ſanctitate diuinitus miraculis declarata, Innocentius Secundus, Pontifex Maximus, eum in Sanctorum numerum retulit.

Tertio nonas Maij. **Luna.** F.

15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Theſſalonicæ in Macedonia, beatorum martyrum, Irenæi, 5.

Pere-

Peregrini, et Hirenæ uirginis: qui, Diocletiano Imperatore, cæleſte CHRISTI *regnum primò uoce palam confeſſi, demum in ignem poſiti, præclaro certamine comprobarunt. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Euthymij* DIACONI. *Hic, in eadem Diocletiana perſecutione, pro* CHRISTO *in carcerem detruſus, ibi ſitu, inedia, et cuſtodiæ grauitate confectus, ad fidei confeſſionem uehementius confirmatus, animam Deo reddidit. Antiſiodori, ſancti Iouiani* LECTORIS, *et martyris: qui a beato Xyſto* PONTIFICE, *ad eam urbem unà cum ſancto Peregrino epiſcopo miſſus, uir eloquentia et rerum diuinarum ſcientia eximius, dum gentium, a fidei ſacris alienarum, ſuperſtitiones forti animo oppugnat, ab illis comprehenſus, in* CHRISTI *confeſſione conſtans, necatur. Epheſi, ſanctæ Hirenæ martyris: quæ Licinij* REGIS *filia,* CHRISTI *fidem mirabiliter amplexa, cæleſti præſidio, diuinoq. robore communita, inauditis ſupplicijs exhauſtis, et multis præ rerum, quæ in eius martyrio diuinitus extiterunt, admirabilitate ad* CHRISTI *religionem conuerſis, demum ad coronam abijt in cælum. Mediolani, Conuerſio ſancti Auguſtini, epiſcopi, et confeſſoris: quem, a fide catholica auerſum, beatus Ambroſius priuatis colloquijs fidei ueritatem docuit; aſſiduoq. illius hortatu, religionis ſtudio accenſum, frequentiſſimo populi cœtu, hoc ipſo die baptizauit. Mediolani item, ſancti Geruntij epiſcopi, et confeſſoris: qui, pie adminiſtrata ſex annis eccleſia Mediolanenſi, epiſcopalium uirtutum meritis ornatus, ſanctitatisq. laude florens, quieuit in Domino. Arelati in Gallia, ſancti Hilarij epiſcopi, et confeſſoris; laborum tolerantia, officio in pauperes, et doctrinarum ſacrarum ſcientia illuſtris.* 24 Augusti *Rothomagi, ſancti Audoeni epiſcopi, et confeſſoris. Hic excultus diuinis ornamentis, et meritis cumulatus, concilio Cabilonenſi cum interfuiſſet, obdormiuit in Domino. Viennæ ſan*

cti

cti Nicetij epiſcopi, admiranda religione uiri. In Sicilia, ad Leochatam oppidum, ſancti Angeli presbyteri, et martyris: qui e Carmelo monte prædicationis cauſa, diuino admonitu, eò profectus, multis ad uitæ, bene agendæ, ſtudium ab peccãdi conſuetudine reuocatis, ſpectata morum ſanctimonia, ab hæreticis contrucidatur. Eodem die, ſancti Maurontij abbatis, et confeſſoris: cuius ſanctitatem teſtatiſsimam Deus eſſe uoluit mirificis curationibus, quæ ad eius ſepulcrum diuinitus fiunt.

Pridie nonas Maij. Luna. xvi. G.

16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ ad portam Latinam, ſancti Ioannis Apoſtoli, et Euangeliſtæ. Fuit is et Apoſtolus, et Euangeliſta, et Propheta. Scripſit enim ad eccleſias, ut Apoſtolus; librum Euangelij condidit, a quo Euangeliſtæ nomen accepit; Propheta item, quia uidit in Pathmo inſula, quò fuerat a Domitiano in exilium pulſus, Apocalyſim, infinita futurorum myſteria continentem. Romæ autem miſſus in feruentis olei dolium, purior et uegetior inde exijt, quàm intrauit. Cyrenæ, ſancti Lucij epiſcopi, cuius in actis Apoſtolorum mentio eſt. is ab Apoſtolis Cyrenenſium epiſcopus creatus, prædicationis munere præclare perfunctus, doctrinæ, et ſanctitatis laude clarus, obdormiuit in Domino. Antiochiæ, ſancti Euodij epiſcopi, et martyris: qui a beato Petro Apoſtolorum Principe, illius urbis epiſcopus factus, cum rerum ſacrarum commentarios, tum epiſtolam, quæ a lumine nomen accepit, præclare conſcripſit: adminiſtrata autem uiginti et duobus annis eccleſia Antiochena, cæleſte CHRISTI *regnum cum palam uocibus,* 6.

bus, tum rebus diuine geſtis, ac martyrio prædicauit. In Africa, beatorum martyrum, Heliodori, Venuſti, et ſeptuaginta quinque aliorum. Antiſiodori in Gallia, ſanctorum, Felicis, et Valerij, martyrum. Lindisfarni in Anglia, ſancti Eadberti epiſcopi, et confeſſoris: qui diuinarum litterarum doctrina, pia eleemoſynarum liberalitate eximius, præceptorum Euangelicorũ curſu confecto, meritis cumulatus ad præmium abijt in cælum.

V. A. **Nonis Maij.** **Luna.**

17 28 9 20 1 12 13 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

7. *Romæ, Tranſlatio ſancti Stephani protomartyris: quæ eò ex urbe Conſtantinopoli ad ſepulcrum beati Laurentij martyris, Pelagio, pontifice maximo, facta eſt. Romæ item, ſancti Benedicti pontificis. Hic ciuis Romanus, Ioannis filius, ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter Cardinalis, religione, et doctrina florentiſſimus, in Leonis Secundi locum pontifex renunciatus, totus in eo fuit, ut baſilicas exædificaret, inſtauraret, et conſecraret. Fama diuinarum illius uirtutum peruulgata, hoc a Conſtantino Cæſare, qui eo nomine quartus fuit, impetrat, ut nullius expectato aſſenſu, quem clerus Romanus elegiſſet, is mox pontifex et eſſet, et haberetur. Pontificatu autem decem menſibus optime adminiſtrato, iam inde a pueritia præclaris perpetuæ ſanctimoniæ officijs nobilitatus, quieuit in Domino. Tarracinæ in Campania, ſanctæ Flauiæ Domicillæ martyris. Hæc, filia ſororis Flauij Clementis, a beato Clemente pontifice, in religionem Deo dicata, Domitiano Cæſare, fidei hoſte, una cum pleriſque alijs, ſupplicij cauſa in Pontiam inſulam extruſa, rerum, quas diuine geſſit,*

admirabi-

admirabilitate, et doctrina, permultos a falſorum deorum cultu ad ueram religionem perduxit. Quo factum eſt, ut ipſa cum duabus alijs uirginibus, Euphroſyna, et Theodora, in unum cubiculum incluſa, ex Luxorij iudicis decreto, combureretur, inflammato eo ipſo cubiculo, in quo concluſa erat. In Græcia, ſancti Cachij martyris: qui, in Cappadocia natus, Maximiano Imperatore, ad Firmum præfectum ductus, quæſtione religionis inſtituta, ſe Chriſtianum eſſe libere confeſſus; ab eo grauiter tortus, ad Viuianum alterum præſidem mittitur: a quo Bizantium cum alijs amandatus, ibi in cuſtodiam traditus, tum uarie acerbeq. cruciatus, demum Phylacilliani præfecti mandato, ſecuri percuſſus, coronatur. Eodem die, ſancti martyris, Maximi: qui, CHRISTI fidem palam prædicans, cum permultos ab commentitijs dijs ad ueram pietatem auocaſſet, uarijs affectus ſupplicijs, quæ conſtanti confeſſione ſuperauit, demum lapidibus obrutus, per martyrium abijt ad cælum. Nicomediæ, beati Codrati martyris. Hic, in perſecutione Deciana, Chriſtianæ religionis nomine cum alijs multis comprehenſus, ad urbis Prætorem ductus, uſque adeo duriter illius iuſſo bubulis neruis cæditur, humi ſtratus, ut cruoris ui, et copia terram perfuderit. Deinde Nicæam perductus, iterum cruciatu torquetur: demum, cum ad ſupplicium huc atque illuc traheretur, dato ubique et fidei, et uirtutis Chriſtianæ teſtimonio egregio, palmam, præciſo capite, tulit. Nicomediæ præterea, beatorum martyrum, Flauij, Auguſti, et Auguſtini, germanorum fratrum. Papiæ, ſancti Petri epiſcopi, et confeſſoris: qui ob pietatem in exilium extruſus, tum morum caſtitate, omniq. epiſcopali uirtute, tum uirginalis uitæ laude florens, obdormiuit in Domino. Cremonæ, ſancti Alberti confeſſoris; ad cuius ſepulcrum, magna illius ſanctitatis teſtificatione,

miracula fiunt diuinitus. Eboraci in Anglia, ſancti Ioannis epiſcopi, et confeſſoris; uitæ, pie actæ, et rerum mirabiliter, diuineq. geſtarum, gloria clari. Auguſtoduni, ſancti Placiti epiſcopi, et confeſſoris. Huij in Belgis, ſancti Domitiani epiſcopi, et confeſſoris: qui Aurelianenſi Synodo quintæ interfuit: atque ita in hac uita ſe geßit, ut permultis miraculis, ad eius ſepulcrum editis, ſempiternam gloriam, qua in cælis fruitur, teſtatam fieri Deus uoluerit. Mediolani, Translatio beati Vincentij martyris: quæ a Ioanne Archiepiſcopo ad ſancti Euſtorgij baſilicam facta eſt.

B. Octauo idus Maij. Luna.

18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

8. *Apparitio ſancti Michaelis Archangeli: quæ in Apulia ad radices Gargani montis facta eſt, Gelaſio Primo, pontifice maximo. Mediolani, ſancti Victoris martyris: qui genere Maurus, ab infantia Chriſtianus, Maximiani Cæſaris impulſu adduci numquam potuit, ut deorum ſimulacra coleret: ſed in fide* CHRISTI *Domini conſtans, uerberibus, et plumbo liquato uehementer cruciatus, poſtremo ſecuri percuſſus, palmam martyrij conſecutus eſt: qua audita re, Maternus, illius urbis epiſcopus, beati martyris corpus honorifice, et religioſe ſepeliuit. In Aegypto, beatorum martyrum, Stephani, Victoris, et Belladij. Viennæ ſancti Dionyſij epiſcopi, et confeſſoris: qui, beati Irenæi epiſcopi Lugdunenſis æqualis, in epiſcopali munere eluxit omni cæleſti uirtute. In finibus Biſuntinorum, ſancti Petri epiſcopi, et confeſſoris: cuius uitam morum integritate, ſpectataq. ſanctimonia inſignem, Lucij, pontificis maximi, iuſſu, Gaufridus ad poſteritatem*

tatem litterarum monimentis prodidit. In Scotia, ſancti Vuironis epiſcopi, et confeſſoris. Hic ab ineunte ætate pietatis ſtudijs imbutus, in omni uirtute mirifice progreſſus, numquam rebus aduerſis fractus, nec uero ſecundis elatus, uigilijs, abſtinentiæ, ieiunijs, et precibus deditus, propoſitis ſibi ſanctorum, Patritij in primis, et Cuthberti exemplis, cæleſtem in terris uitam imitatus eſt. Peregrinandi autem pietate accenſus, Romam uenit: ubi lacrymis profuſis ad altaria Apoſtolorum, et ad martyrum reliquias orabat. Epiſcopus uero factus, ita uixit, ut doctrinæ Euangelicæ prædicationi reſponderet morum religione, et ſanctitate: quæ poſt obitum eius eluxit in cæleſti miraculorum uirtute. Antiſiodori, ſancti Elladij epiſcopi, et confeſſoris. Conſtantinopoli, Translatio ſanctorum, Andreæ apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ, et Timothei, diſcipuli beati Pauli apoſtoli: quæ translatio, Conſtantino Imperatore, celebrata eſt. Taranti, ſancti Cataldi epiſcopi, et confeſſoris.

Septimo idus Maij. Luna. xiii. C.

19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſancti Hermetis: de quo beatus Paulus apoſtolus 9.
ſcribit ad Romanos. Nazianzi, ſancti Gregorij Theologi. Hic in Cappadocia natus, Athenis omni ſcientiæ genere una cum Baſilio egregie eruditus, ad ſacrarum litterarum cognitionem conuerſus, tredecim annos in theologiæ ſtudijs uerſatus, doctrina, et uitæ ſanctitate florens, ad munus prædicandæ Euangelicæ ueritatis uocatus, quàm plurimos Iesv Christo Domino adiunxit: Romæ item, beatorum martyrum, Quirilli, Zenonis, et Timothei.

rinecatus, regni CHRISTI *teſtis, coronatur. Sancti etiam Simplicij ſenatoris: qui itidem una cum uxore, filijs, et ſexaginta octo familiæ ſuæ hominibus, ſpectata in omni cruciatu Chriſtiana uirtute, et ſolida pietate, martyrium obijt. Sanctorum item, Felicis, et Blandæ coniugum: qui, præciſis pro* CHRISTO *ceruicibus, ad præmium euolarunt in cælum. Romæ itidem, uia Latina, ad centum aulas, beatorum, Quarti, et Quinti, martyrum. In Græcia, ſancti Chriſtophori martyris: de quo infra, ad ſextum calendas Auguſti. Panormi in Sicilia, ſanctæ Chriſtinæ uirginis, et martyris: cuius corpus in baſilica illius ciuitatis primaria pie reconditum, religioſe, magno fidelium concurſu, colitur. Illa, duodecim annos nata, confractis idolis, quæ Vrbanus pater colebat, primum illius iuſſu uerberibus grauiter cæſa, in carcerem detruſa; deinde ungulis excarnificata; tum currus orbitis, fumo ſubiecto, ex oleo ad eius nares aſcendente, impoſita, e patris impij cruciatu diuinitus liberata eſt. Poſt uero ad nefarij iudicis, qui in patris locum ſucceſſit, uoluntatem longe acerbioribus torta ſupplicijs, quæ cæleſti uirtute ſuperauit, demum lingua, et mammillis abſciſſis, corde telis tranſuerberato, diuinæ concertationis, quam ſtrenue pro* CHRISTO *ſuſtinuit, præmia inſigniter accepit. Apud Leontinos in Sicilia item, beatorum martyrum, Alphij, Philadelphi, et Cyrini, germanorum fratrum: qui, Licinio Imperatore, et Tertullo præſide, uarijs exantlatis tormentis, et profuſo denique pro religione ſanguine, coronantur. Mediolani, Translatio ſancti Nazarij martyris: cum eius corpus, recenti ſanguine conſperſum, tanquam ſi paulo ante ille martyrium obijſſet, Dei monitu extra portam Romanam a beato Ambroſio inuentum, in urbem ad Apoſtolorum baſilicam delatum eſt. In Græcia, Eſaiæ prophetæ: de quo pridie nonas Iulij. Hoc ipſo die, in Ter*

ra,

ra, Hus, Iob propheta, uiri admiranda patientia clariſſimi.

E. Quinto idus Maij. Luna.

21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

11. *Romæ, uia Salaria, beati martyris, Anthimi presbyteri: qui uirtutibus, et prædicatione clarus, in Tyberim deiectus, inde ab Angelo mirabiliter ereptus, et in oratorium ſuum reſtitutus, poſtremo ſecuri percuſſus, uictor migrauit in cælum. Hoc item die, ſancti Euellij martyris. Is, perſpecto beati Torpetis martyris ſupplicio, rebusq. admirabilibus animaduerſis, quas ille diuinitus geſſit, falſis relictis Dijs,* CHRISTO *Domino adhæſit, is ſcilicet, qui Neroni auctor fuit, ut Chriſtiani homines, cruciatibus, ſupplicijsq. afficerentur. Tergeſti, beatorum martyrum, Primi, Marci, Iaſonis, et Celiani. Ii, Adriano Imperatore, Artaſij præſidis iuſſu, uarie torti, nece obita, palmam conſecuti ſunt. Viennæ, ſancti Mammerti epiſcopi, et confeſſoris. Hic, imminente maximæ cladis, et peſtis periculo, ſolennes triduanas Litanias inſtituit: miraculis, et rebus alijs, ſancte actis, clarus, quieuit in Domino. Varennis, ſancti Gandulphi martyris. Apud Siluiniacum, ſancti Maioli Abbatis: cuius uita, in præceptorum diuinorum curſu confecta, in omni uirtute eluceſcit.*

x. F. Quarto idus Maij. Luna.

22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

12. *Romæ, in Cæmiterio Prætextati, beatiſſimorum martyrum,*

Nerei,

Nerei, et Archillei. Ii germani fratres, ab ſancto Apoſtolorum Principe, Petro baptizati, ad Pontiam inſulam una cum Flauia Domicilla, quam ad CHRISTVM *conuerterant, propter* CHRISTI *fidem in exilium pulſi, primò Aureliani, Domicillæ ſponſi, iuſſu acerbiſsime uerberati, poſt in cuſtodiam Moninio Ruffo conſulari traditi, cum præciſe fidenterq. negarent, ſe adduci poſſe, aut cogi, ut dæmonum ſacra uenerarentur, equuleo torti, et candentibus laminis cruciati, ſecuri percuſsi ſunt. Romæ item, uia Aurelia, ſancti Pancratij martyris: qui quattuordecim annos natus, uirili uirtute, præſtantiq. Chriſtiana fide, de Diocletiani tyranni, et dæmonum immanitate, datis fortiter ceruicibus, triumphauit. Cuius ſacrum corpus Octauilla, primaria fœmina, noctu clam ſublatum, religioſe ſepeliendum curauit. Argyræ in Sicilia, ſancti Philippi presbyteri. Is ab Apoſtolorum Principe, beato Petro Euangelij cauſa ad eam inſulam miſſus, Deo iuuante, perfecit, ut magna illius pars, abiecta impietate,* CHRISTI *Domini fidem amplecteretur. Denique ex hoc ſæculo migrauit Argyræ: ubi templum eius nomine conſtructum eſt, miraculorum frequentia, atque hominum concurſu celeberrimum. In Græcia, ſancti Parmenæ: de quo ſupra decimo calendas Februarij. Cyreneæ in Cypro, ſancti Theodori epiſcopi, et confeſſoris. Hic, Licinio Rege, fidei hoſte, comprehenſus, bubulis neruis cæditur; poſt lorica ignita indutus, in cuſtodiam traditur; unde, ſedata perſecutionum tempeſtate, ex Conſtantini, pij Cæſaris, decreto liberatus, duobus poſt annis obdormiuit in Domino. Salaminæ in Cypro, ſancti Epiphanij epiſcopi: qui exigua humiliq. tunica, plebeio pane, et potu aquæ contentus, ut carnis uim reprimeret, religioſe uixit. multiplici autem eruditione, et ſacrarum in primis litterarum ſcientia excellens, Hæbraice præ-*

terea,

terea, Chaldaiceq. ualde doctus, et rerum eccleſiaſticarum antiquitatis uſu litterate peritus, contra hæreſes libros plurimos conſcripſit. qua doctrinæ laude, et ſanctimonia, quæ in rerum, diuine geſtarum, admirabilitate, eluxit, clarus, pro catholica fide multis exantlatis laboribus, ad præmium abijt in cælum. Treueris, ſancti Modoaldi epiſcopi, et confeſſoris: cuius et uita ſanctiſſime acta, et diuinæ res, atque admirandæ leguntur.

G. Tertio idus Maij. Luna.

23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

13. *Romæ, Dedicatio ſanctæ Mariæ ad martyres. cum pantheon, templum Cybeli, deorum matri, a gentibus dicatum, Bonifacius Quartus, pontifex maximus, ad* CHRISTI *Redemptoris cultum tranſtulit. Bizantij, beati martyris, Mutij presbyteri: qui Amphipoli primum pro fide multis cruciatus ſupplicijs, poſt Conſtantinopolim ductus, martyrium egregie obijt, capitis damnatus. Traiecti, ſancti Seruatij epiſcopi. Is ab urbe Hieroſolyma, Angelo duce, Tungrim profectus, illius ciuitatis epiſcopus mirabiliter, ac diuinitus declaratus eſt. Euphratem Arianum, dignitate epiſcopali mulctatum, publica etiam pœnitentia affecit: ac multa præterea pie, mirificeq. egit, magna diuinæ uirtutis ſignificatione. In Græcia, ſancti Alexandri martyris: qui, Maximiano Imperatore, cum tot tamq. grauia ſupplicia exhauſiſſet, præclarus uictor, et teſtis pietatis, demum, præciſo capite, palmam accepit. In Monte Sina, Inuentio corporis beatæ Catharinæ uirginis, et martyris: quod, diu occultum, ſanctiſſimæ Dei genitricis* MARIAE *admonitu monachis, eius montis incolis, diuine patefactum*

factum eſt. Rauennæ, ſancti Hilarij monachi: qui pene a pueritia ad uicum Galigatam Rauennatis diœceſis in præcelſum atque editum montem ſe abdidit: ubi die noctuq. in Dei laudibus, et in contemplatione rerũ diuinarum uitam egit: qua ſanctiſſime acta, multisq. eius exemplo, atque hortatu ad religionem conuerſis, ijsq. uiris nobilibus, ac plurimis editis miraculis, clariſſimus, annos natus octuaginta duos, abijt in cælum. Mediolani, ſancti Natalis epiſcopi, et confeſſoris. Duaci apud Sueſſiones, ſancti Oneſimi epiſcopi, et confeſſoris: ad cuius ſepulcrum ob illius merita elucescit in miraculis quàm plurimis uis diuina. Nouocomi, Translatio ſanctorum martyrum, Proti, et Hiacynthi. Antiſiodori, ſancti Marcelliani epiſcopi, et confeſſoris.

Pridie idus Maij. Luna. xviii. A.

24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, uia Latina, ſancti Bonifacij martyris: qui, intemperantiæ pœnitens, quam cum Agle, nobili muliere, admiſerat, ſe ad conquirenda, et ſepelienda martyrum corpora contulit. quo in officio pietatis, cum permultos ad martyrium Tharſis animaret, eo nomine comprehenſus, ferreis ungulis primum excarnificatus, tum alijs grauiſſimis pœnis affectus, mox in ollam feruentis picis, capite demiſſo, coniectus; inde inuiolatus, diuina ope, cum exiſſet, tandem gladio percuſſus, ad martyrij palmam commigrauit in cælum. Romæ item, beatorum martyrum, Victoris, Quarti, et Iſidori. In Syria, ſanctorum martyrum, Victoris, et Coronæ. Ille, Antonino Imperatore, Sebaſtiani præſidis iuſſu in caminum ignis iniectus, in quo tribus ipſis diebus fuit, non læſus tamen; ue- 14.

neno epoto, non necatus; tum oleo feruenti in pudendis cruciatus; facibus præterea accenſis, utrique lateri admotis, alijsq. inauditis ſupplicijs diuexatus; poſtremo, oculis erutis, gladio percuſſus, CHRISTI martyr effectus eſt. quem Corona, cuiuſdam militis uxor, cum beatum prædicaret; duas coronas uidit e cælo delapſas: quarum unam Victori, alteram ſibi miſſam eſſe affirmabat. idq. cunctis audientibus cum palàm diceret; eiuſdem præſidis iuſſo, in duas partes ſciſſa, perennis uictoriæ triumphum ipſa quoque conſecuta eſt. In Gallia, ſancti Pontij epiſcopi, et martyris. Hic, a beato Pontiano, pontifice, Romæ baptizatus, Marcum patrem, idola colentem, tum Philippos duos, Cæſares, patrem, et filium, ad CHRISTI fidem perduxit. Deinde in Galliam Euangelij cauſa profectus, Claudij præſidis iuſſu in carcerem truditur, Valeriano, et Galieno, Imperatoribus, nominis Chriſtiani hoſtibus. cum autem in tuenda religione ſe conſtantem præberet; equuleo torquetur; poſt urſis exponitur; tum igne circumiecto, ut cremaretur, pars ſumma amphitheatri comburitur. e flammis igitur, e ferarumq. facibus mirabiliter ereptus, demum, capite præciſo, martyrij præclari curſum confecit. In inſula Chio, ſancti Iſidori martyris: qui in perſecutione Deciana, Numerio tribuno iubente, pro fidei confeſſione, a qua abduci nullo modo potuit, capite plectitur. Hoc ipſo die, ſancti Maximi martyris. Is cum libere palamq. CHRISTI ſalutare nomen, cæleſteq. regnum prædicaſſet; et permultos a ſuperſtitione ad ueram religionem reuocaſſet; uarijs tortus cruciamentis, denique lapidibus cæſus, coronatur. In Thracia, ſancti Barbari martyris: qui, multiplici, uarioq. martyrij certamine nobilitatus, Iuliano Imperatore, acerbiſſimo nominis Chriſtiani aduerſario, coronatur. Mediolani, Translatio ſancti Victoris martyris: quæ a beato Ma-

terno, illius ciuitatis epiſcopo, ſex poſt illius necem diebus, ab Imperatoris hortis, ad Eccleſiam, eius nomine dicatam, facta eſt. Aquileiæ, beatorum martyrum, Felicis, et Fortunati: de quibus tertio idus Iunij. In Aegypto, ſancti Pachomij abbatis: qui in ea prouincia cœnobia inſtituit; monachalis uitæ regulas diuinitus ſcripſit; Apoſtoliceq. factorum laude illuſtris, et dignus admiratione, obijt in Domino. Ferentini, ſancti Bonifacij epiſcopi: cuius iam inde ab ineunte ætate ſanctimonia ſplendeſcebat, rebus a ſe pie mirabiliterq. geſtis: quas multas beatus Gregorius, pontifex, ad poſteritatem litteris prodidit.

Idibus Maij. Luna. vii. B.

25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

In Hiſpania, ſanctorum confeſſorum, Cæcilij, Indalentij, Euphraſij, Secundi, Torquati, Heſychij, Cteſiphontis, Athanaſij, et Theodori. E quibus Cæcilius, beati Iacobi Apoſtoli diſcipulus, ab Apoſtolorum Principe, Petro, epiſcopus conſecratus, Eliberitanæ eccleſiæ præfuit. Reliqui item, ubi ex urbe Hieroſolyma in Hiſpaniam eiuſdem ſancti Iacobi, quem Herodes Agrippa necarat, corpus aſportarunt, inde Romam profecti, epiſcopiq. ab eodem facti, ad Hiſpaniam, gentium ſuperſtitionibus implicitam, mittuntur: ubi Indalentius Vergitanæ, Torquatus Accitanæ, Heſychius Cartheſianæ, Secundus Abylanæ, Cteſiphon Almerianæ, Euphraſius Eliturgenſis ciuitatis epiſcopatui præfectus, e tenebris ingentem multitudinem, pro ſua quiſque regione, ad aſpiciendam Euangelij lucem reuocauit. Ab illis item duobus, Athanaſio, et Theodoro, qui ex Hiſpania nunquam di- 15.

ſceſerant, in multas illius prouinciæ partes Chriſtianæ religionis diſciplina propagata eſt. Lampſaci, beatorum martyrum, Petri, Andreæ, Pauli, et Dionyſiæ. qui, Decio Imperatore, ardenti fide incenſi, in omni cruciatu CHRISTI Domini religionem non timide, non titubanter, ſed libere aſſeueranterq. teſtificati una animorum conſenſione, pro teſtimonio, quod perhibuerunt, martyrij corona donantur. Aruernis, ſanctorum martyrum, Caſſij, Victorini, Maximi, et ſociorum: quorum res pie, fortiterq. geſtas, ac præclaras pro religione concertationes, beatus Præiectus epiſcopus litterarum monimentis conſignauit. Ghelæ in Barbantia, ſanctæ Dympnæ uirginis, et martyris. Hæc, filia Regis Hyberniæ, a Chriſtianæ fidei diſciplina prorſus alieni, et pro fide, et pro uirginitate, quam CHRISTO ſponſo dicatam, integram conſeruare contendit, a patre necata, duplici corona donatur. Patauij, Translatio ſancti Danielis Diaconi, et martyris.

c. Decimo ſeptimo calen. Iunij. Luna.

26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

16. Antiſiodori, ſancti Peregrini epiſcopi, et martyris. Hic ciuis Romanus, a beato Xyſto Pontifice, Euangelij cauſa in Galliam miſſus, Antiſiodorenſium epiſcopus conſecratus, eccleſia ſibi commiſſa, duodecim annis ſancte adminiſtrata, pro fide, cuius ardens ſtudium et aſſiduo hortatu, et exemplo excitauit; Traiano Imperatore necatus, coronatur. Sanctorum item martyrum, Marſonis Presbyteri, Concordij Diaconi, Iouiniani ſubdiaconi, Ianuarij Lectoris: qui una cum beato Peregrino epiſcopo, ſuperatis CHRISTI confeſſione aduerſarijs, diuinæ uictoriæ

Loriano.

præ-

præmium tulerunt. In Iſauria, beatorum martyrum, Aquilini, Victorini, Heraclij, et Paulini: quorum dimicationes pro gloria CHRISTI *ſuſceptæ, et res diuinitus fortiterq. geſtæ, leguntur. Carnuti in Gallia, ſancti Emanij martyris. Hic, ciuis Carnutenſis, pro fide catholica ab Arianis contrucidatus eſt: ad cuius ſepulcrum pro pietatis ſuæ, quam profuſo ſanguine teſtificatus eſt, meritis magnus elucet miraculorum ſplendor. Eugubij in Italia, ſancti Vbaldi epiſcopi, et confeſſoris; admiranda patientia uiri, eximiaq. ſanctimonia, et miraculorum gloria clariſſimi. Sirmij, ſancti Timothei, et ſanctarum uirginum ſeptem. In Sardinia, ſanctorum, Simplicij, presbyteri, Diocletiani, Florentij, et Roſulæ item. Trecis, ſancti Fidoli epiſcopi, et confeſſoris. In Scotia, ſancti Brandani abbatis. Hic, egregia uir pietate, et innocentia, in religioſa uita uſque adeo cæleſtibus uirtutibus floruit, ut res eius admirandæ, et ui diuina confectæ, magna cum ſanctitatis ſuæ ſignificatione, narrentur. Apud Cenomanos, ſancti Domnioli epiſcopi, et confeſſoris. Is, peregrinationis cauſa, Romam ad limina Apoſtolorum profectus, inde rediens, mortuo illius ciuitatis epiſcopo Innocentio, ad epiſcopatum uocatus, cæleſti diſciplinæ ſe totum addixit. qua, omni epiſcopali munere perfunctus, et miraculis etiam clarus, ad cælum abijt: cuius, dum in terris eſſet, ſe cupidiſſimum caſtiſſima religione, ſummaq. ſanctarum uirtutum exercitatione præbuit. In Pago Foroiulienſi, ſanctæ Maximæ uirginis: quæ multis florens uirtutibus, quieuit in Domino. Ambiani in Gallia, ſancti Honorati epiſcopi: doctrinæ, et ſummarum uirtutum, cæleſtiumq. gloria celebris.*

xv. D. Decimoſexto calendas Iunij. Luna.

27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

17. *Piſis in Thuſcia, ſanEti Torpetis: cuius dies natalis tertio calendas Maij; hoc autem die Translatio, quæ in Hiſpaniam admirabiliter eo ipſo anno, quo martyrium obijt, facta eſt, celebratur. Niueduni, beatorum martyrum, Heradij, Pauli, Aquilini, Victoris, Primi, Liberij, et Peregrini. Alexandriæ, ſanctorum, Adrionis, Victoris, et Baſillæ. In Hiſpania, ſanctæ Celerinæ: quæ, illius prouinciæ regina, ſtudio inflammata Chriſtianæ religionis, cum alia pie egit, tum regijs opibus templum, mirifico opere exædificatum, beati Torpetis martyris nomine* DEO *dicatum, perpetuum ſuæ pietatis monimentum, reliquit. Papiæ, Translatio ſancti Syri epiſcopi: in cuius celebritate, diuina uis eluxit, quàm plurimis editis miraculis. Herbipoli, ſancti Brunonis epiſcopi, et confeſſoris. Hic, in familia clariſsima natus, diuinis excultus muneribus, illius ciuitatis epiſcopus factus, omne patrimonium in eccleſiarum uſum, atque ornatum contulit: ſancti Chiliani eccleſiam magnificentiſsima ædificatione conſtruxit, atque illuſtrauit: et amplo item prædio auxit. In omni denique genere uirtutis uigilans, uitaque et moribus cum* CHRISTI *diſciplina congruens, tum ſtudio, tum exemplo, Herbipolenſium ciuium mentes ad hæreditatem patriæ cæleſtis accendit. Aquilæ in Aprutio, Translatio ſancti Bernardini confeſſoris: quæ ſolenni cærimonia, frequentiſsima fidelium multitudine, religioſe celebrata eſt.*

Decimo

Decimoquinto calendas Iunij. Luna. iiii. E.

28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

In Pannonia, ſancti Andronici epiſcopi. Hic unus e ſeptuaginta diſcipulis Domini noſtri, IESV CHRISTI, cuius in ea, quæ ad Romanos ſcripta eſt, epiſtola beatus Apoſtolus, Paulus meminit, Pannoniæ primus epiſcopus, cæleſtis magiſtri præceptis conformatus, epiſcopalis uigilantiæ laboribus in Euangelij propagatione, in aliorumq. ſalute procuranda perfunctus, dormiuit in Domino. Camerini, ſancti Venantij epiſcopi, et martyris: qui, graui per Decium Cæſarem conflata perſecutione, cum cæleſte CHRISTI regnum tum agendo, tum docendo prædicaret, eo nomine comprehenſus; poſt uerberibus, uinculis, igne cruciatus; tum leonibus obiectus, nec uero ab ijs quicquam læſus; tandem, abſciſſo capite, ſpiritum Deo reddidit. In Græcia, beatorum martyrum, Agapij, Timolai, Romuli, Pleſij, et ſociorum quattuor: Fuit Agapius, ciuis Gazenſis, Timolaus Ponticus, Pleſius Aegyptius, et Romulus ſubdiaconus eccleſiæ Dioſpolitanæ; reliqui quattuor, duo Alexandri nomine, uiri Aegyptij, alij duo Dionyſij, Phœnicij, municipes Tripolitani. Ii omnes, in acerbiſſima illa Diocletiani perſecutione, pietatem Chriſtianam libere profeſſi, ad Vrbanum, Cæſareæ præfectum perducuntur: qui, cognita martyrum conſtantia, capite eos plecti iuſſit. In Aegypto, ſancti Dioſcori lectoris. Is, in eadem Diocletiniana perſecutione, Præſidis iuſſu uarijs primum tormentis, ijſq. teterrimis affectus, tandem laminis candentibus aduſtus, cæleſti conſtantia, martyrij curſum confecit. Spoleti, ſancti Felicis epiſcopi, et martyris. 18.

Non fuit episcopus

24 Aprilis

Hic

Hic, Maximiano Imperatore, CHRISTI diſciplina imbutus, cui ſe totum dederat, epiſcopali uirtute dum in eam curam incumbit, ut fidei Chriſtianæ myſteria populo commiſſo explicaret, eundemq. ab impura ſuperſtitione deduceret; Tarquinij præfecti mandato, in carcerem detruſus; ubi diuinis uocibus ad martyrium mirabiliter confirmatus eſt; admirabili tolerantia ſuperatis cruciamentis, animoq. gaudenti datis ceruicibus, ob teſtimonium, quod uerbo Dei perhibuit, egregie coronatur. Alexandriæ, beatorum martyrum, Potamionis, Hortaſij, et ſociorum. Vſpali in Suetia, ſancti Henrici regis, et martyris.

F. Decimo quarto calendas Iunij. Luna:

29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

19. *Romæ, ſanctæ Potentianæ uirginis. Hæc uirgo Romana, parentibus orbata, admiranda pietate Chriſtianam religionem colens, una cum Praxede ſorore, eos, qui in egeſtate uerſabantur, plena manu ſubleuauit, data in eleemoſynam pecunia, quam, patrimonio uendito, exegerat; ſeq. CHRISTI diſciplinæ penitus dedidit. Eius opera ſex, et nonaginta homines familiæ ſuæ a Pio pontifice baptizati ſunt. In multis denique Chriſtianæ et pietatis, et liberalitatis officijs exercitata uirgo, migrauit ad Dominum. Romæ item ſancti Pudentis, earum uirginum Praxedis, et Potentianæ patris; Chriſtianæ fidei ſacris a beato Paulo apoſtolo imbuti. Romæ præterea, ſanctorum martyrum, Calocerij, et Parthemij: quorum alter, cubiculo Decij Cæſaris præfectus, alter notariorum primicerius, ab idolorum deteſtabili cultu uterque ualde omnino abhorrens, ab eodem necatus eſt. Pruſæ, ſancti Patricij*

tricij epiſcopi, et martyris, ac ſociorum. Alexandriæ, in Aegypto, ſancti Ioannis martyris: qui, Maximiano Imperatore, acerbis exhauſtis cruciamentis, preclaro pietatis teſtimonio, coronam tulit. Carnuti, ſancti Deſiderij epiſcopi et martyris: qui, in perſecutione Vandalica, poſt præclaras fidei catholicæ confeſſiones, coronatur. Hoc ipſo die, ſancti Petri Cæleſtini, confeſſoris. Hic pontificatu ſe abdicauit, ut in ſolitudine religioſe uiueret: cuius ſanctimonia cognita, multis etiam miraculis diuinitus teſtificata, Clemens Quintus, pontifex maximus, illum in ſanctos retulit. In Britannia minori, ſancti Iuonis presbyteri, et confeſſoris: qui, inflammatus ſtudio charitatis erga CHRISTVM Dominum, ferre opem miſeris, præbere perfugium afflictis, patrocinio, ac beneficijs iuuare egentes non deſtitit. Cuius uita, ſanctiſſime acta, ac rebus pie, diuineq. geſtis, peruulgatis, et cognitis, Clemens Sextus, pontifex maximus, illum in ſanctorum numero adſcripſit. Treueris, ſancti Cyrilli epiſcopi, et confeſſoris. Cantuariæ in Anglia, ſancti Dunſtani epiſcopi, et confeſſoris, magna religione, pietate, et miraculorum gloria clari.

Decimo tertio calendas Iunij. Luna. xii. G.

30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, uia Salaria, ſanctæ Baſillæ uirginis, et martyris. 20.
Hæc, regio genere nata, nobiliſſimo adoleſcenti deſponſa, ab eodem Chriſtianæ religionis accuſata, Galieni Cæſaris iuſſu ad id compellitur, ut uel ſponſum acciperet, uel gladio interiret. at uero fidenter cum affirmaret, ſe ſponſum habere IESVM CHRISTVM, ac nolle ſe alij nuptum dare, gladio tranſuerberata eſt. Carnuti

in Gallia, beatorum martyrum, Donatiani, et Rogatiani: qui, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, in Christi *ſtadio luctati, ut fortiſſimi Dei milites, ſtrenue, uiriliterq. pugna confecta, coronantur. In Græcia, ſancti Thallalæi martyris. Hic, Numeriano Cæſare, Theodori præſidis iuſſu, horrenda cruciamenta perpeſſus, cum a fidei propoſito deduci non poſſet, demum ſecuri percuſſus eſt. Nemauſi in Gallia, ſancti Baudelij martyris: qui ſacra dijs cum facere nollet; ab idolorum cultoribus comprehenſus, uerberibus, et ſupplicijs uarie affectus, in* Christi *religione perpetuo conſtans, martyrij palmam præclara morte aſſecutus eſt. Brixiæ, ſancti Anaſtasij epiſcopi, et confeſſoris. Is ſumma uir religione, incenſus ſtudio propagandi Euangelij, cum ciues ſuos* Christi *diſciplinam erudiuit; tum, peragrata Africa, uerbum ſalutis et ſermonibus, et rebus diuine geſtis, ubique diſſeminauit. Apud Bituricas, ſancti Auſtregeſilli epiſcopi: cuius et uita, cum Euangelij præceptis congruens, et diuinitus facta, publicis eccleſiæ Carnutenſis monimentis conſignata, leguntur. Papiæ, ſancti Theodori epiſcopi, et confeſſoris: qui doctrina præſtanti, egregia pietate, diuinaq. et admiranda uirtute cum eccleſiam Papienſem quindecim annis geſſiſſet, uitæ, ſanctiſſime actæ, et mirabiliter factorum gloria clarus, cæleſtem in patriam abijt. Eius ſacrum corpus, Leone Tertio, pontifice maximo, præſente, honorifice, ac religioſe ſepultum eſt in eccleſia, ſuo nomine dicata. Apud Treueros, ſancti Maximini epiſcopi, et confeſſoris. Hic, magna eruditione, et eximia religione uir, eccleſias, iam inde ab Apoſtolorum fere temporibus, in Treuerenſium finibus exædificatas, gentium barbararum incurſionibus diſturbatas, pie, magnificeq. inſtaurauit; Arianorum ſemen, quod in Germania ſerperat, reſcidit; Synodo Agrippinenſi interfuit;*

fuit;

ſuit; in qua egregiam tum doctrinam, tum uirtutem oſtendit. ſanctiſsimi igitur epiſcopi muneribus omnibus perfunctus, quieuit in Domino. Hoc ipſo die, ſancti Bernardini confeſſoris: qui, et prædicatione, et uitæ religioſæ ſplendore omnem Italiam illuſtrauit; huius prouinciæ factiones magna ex parte diuine extinxit; hominibus pie uiuendi uiam oſtendit. Cuius ſanctitate, omniq. uitæ actione religioſa cognita, Nicolaus Quintus, pontifex maximus, illum in ſanctorum numerum retulit.

Duodecimo calendas Iunij. Luna. i. A.

1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

In Mauritania Cæſarienſi, beatorum martyrum, Timothei, Pollij, et Eutychij diaconi: qui, dum ea in regione cæleſte Euangelij ſemen diſſeminare contendunt, martyrio coronantur, Diocletiano Cæſare, rem Chriſtianam infenſe oppugnante. Cordubæ, ſancti Secundini: qui, per uarias certaminum uices, ſuperata aduerſarij nequitia, demum palmam tulit. Cæſareæ in Cappadocia, ſanctorum martyrum, Polyeucti, Victorij, et Donati. In Corſica, ſanctæ Iuliæ martyris. Hæc pro CHRISTI *nomine in crucem acta, præclaris pietatis officijs, egregioq. certamine nobilis, corona cæleſti donatur. Sancti item Valentis epiſcopi, et martyris, ac trium puerorum. Hoc ipſo die, ſanctorum, Geneſij, et Theopontij: qui diuina uirtute roborati, in oppugnatione Diocletiniana pro* CHRISTO *fortiter dimicantes, profligatis aduerſarijs, ad coronam abeunt in cælum. Nicea in Gallia, ſancti Hoſpitij confeſſoris. Hic,* CHRISTI *diſciplinæ omnino deditus, cum alijs uirtutibus, tum incredibili abſtinentia, prophetiæq. ſpi-* 21.

Y 2 ritu

ritu florens, res magnas mirifice egit; quibus Deus eius ſanctitatem teſtatiſsimam eſſe uoluit. Areæ in Belgis, ſanctæ Itisbergæ uirginis, cæleſtium uirtutum laude clariſsimæ. Bergomi, Tranſlatio ſanctorum martyrum, Firmi, et Ruſtici, ac ſancti item Proculi epiſcopi, et confeſſoris. Venetijs, Translatio ſancti Pauli martyris: cum eius ſacrum corpus Conſtantinopoli illuc delatum eſt ad eccleſiam ſancti Georgij. Veronæ, Translatio ſancti Zenonis epiſcopi.

B. Vndecimo calendas Iunij. Luna.

2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20
Ab c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

22. Romæ, beatiſsimorum martyrum, Fauſtini, Timothei, et Venuſti. In Africa, ſanctorum, Caſti, et Aemylij, martyrum: qui, et ſi primo congreſſu uicti, at altera pugna fortiores, beatiq. Auguſtini ſermone celebrati, ſuperatis cæleſti uirtute flammis, in quas poſiti ſunt, uictores coronantur. In Luſitania, ſancti Mancij martyris. Hic ciuis Romanus, Maximiano Imperatore, pro fide tyrannicis ſupplicijs uarie affectus, demum neci obiectus, libenti animo martyrium ſubijt. In Græcia, ſancti Baſiliſci martyris: qui multiplici, egregiaq. concertatione nobilis, quam, in eadem Maximiniana perſecutione, fortiter ſuſtinuit; denique, datis pro Christo Domino ceruicibus, ad præmium euolat in cælum. Rauennæ, ſancti Martiani epiſcopi. Is natus ſublimi loco, uir in primis pie, iuſte, ac temperanter uitam degens, a Deo, demiſſa columba, epiſcopus eligitur. Tanto autem ardore animi in Christi prædicatione exarſit, ut in Rauennatum animis incredibile ſtudium excitarit omnium uirtutum; multiq. nul

lis

lis rerum aduerſarum ictibus frangi, neque oppugnationibus nefariorum de gradu pietatis deijci potuerint; ſed cruciatus omnes, tandemq. necem pro CHRISTO libenter pertulerint. Is uero cum et ſancte, et admirabiliter factorum gloria clariſſimus eſſet, migrauit ad Dominum. Antiſiodori, ſanctæ Helenæ uirginis, uirtutum meritis, et rerum, diuine mirificeq. geſtarum, ſplendore illuſtris. Hoc ipſo die, Translatio ſanctæ Helenæ uiduæ, Conſtantini, pij Cæſaris, matris. Veronæ, ſancti Lupicini epiſcopi.

Decimo calendas Iunij. Luna. ix. C.

3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

In Germania, ſancti Victorini epiſcopi. Hic Emiternenſis epiſcopus, ab impietatis, impuræq. ſuperſtitionis cultoribus, pro CHRISTI nomine contrucidatus eſt. Bergomi, ſancti Proiectitij diaconi: qui, Diocletiani, et Maximiani Imperatorum iuſſo, iniurioſius a fidei aduerſarijs tractatus, demum in exilium extruditur. In Africa, beatorum martyrum, Quintij, Lucij, et Iuliani. Ii, in perſecutione Vandalica, pro pietate Catholica ſuſceptis fortiter concertationibus, ut fortiſſimi Dei milites coronis pro uictoria donantur. Apud Lingones, ſancti Deſiderij epiſcopi: qui, ob gregem, ſibi commiſſum, ceruices libenter præbuit. cum enim a Vandalorum copijs populum ſuum diripi, ac uexari cerneret; pro eo ſupplicatum uenit; ſtatimq. Imperatoris mandato, ſecuri percuſſus, abijt ad Dominum. Alij multi cum eo in cruciatum dati, martyrium pro pietate, animis gaudentibus, obierunt. In Hiſpania, ſanctorum, Epitacij epiſcopi, et Baſilei. Viennæ, ſancti item Deſiderij epiſcopi, et martyris: qui, 23.

Theo-

Theodorico rege iubente, lapidibus obrutus, coronatur. Veronæ, ſancti Ammonij epiſcopi, et confeſſoris. Gemblaci in Belgis, ſancti Guiberti confeſſoris: cuius ſanctitatis præclaras ſignificationes Deus miraculis multis dari uoluit.

D. **Nono calendas Iunij.** Luna.

4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

24. *Romæ, ſancti Anolini martyris. Hic, cuſtodiæ præfectus, a beato Vrbano pontifice, ad fidē conuerſus, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, Almachij iuſſu comprehenſus, cum in fidei propoſito perſiſteret, capite plectitur. In portu Romano, ſancti Vincētij martyris. Brixiæ, ſanctæ Afræ martyris: quæ, Adriano Imperatore, et tormenta, et necem inſignem egregijs fidei confeſſionibus ſuſtinuit. Tergeſti, ſancti Seruuli martyris. Hic nobili genere natus, a primis annis* Christi *diſciplinæ deditus, annū duodecimum agens, heremiticæ uitæ genus amplexus, ſanctimonia, et miraculis floruit. Cuius fama peruagata, Iunilij præſidis iuſſu, Numeriano Imperatore, in uincula coniectus, ad idolorū ſuperſtitionem adigitur: a quo prorſus alienus, primò neruis cæſus, poſt equuleo tortus, tū ungulis excarnificatus, deinde oleo feruenti delibutus, demum iugulatus, in omni cruciatu, atque in nece germanā perpetuæ ſuæ erga Deum pietatis probationem, diuinā, cæleſtiq. uirtute declarauit. Nannete in Gallia, beatorum martyrum, Donatiani, et Rogatiani. Ii germani fratres, pro conſtanti, egregioq. fidei teſtimonio, in carcerē detruſi, poſt in cataſta equulei ſuſpenſi, et haſta a milite tranſuerberati, demum gladio percuſſi, inſigniter coronantur. Mediolani, ſancti Robuſtiani martyris.*

Apud

Apud Hiſtriam, beatorum martyrum, Zoelli, Seruilij, Felicis, Siluani, et Dioclis. Bononiæ, Translatio ſancti Dominici confeſſoris: quæ Gregorij Noni, pontificis maximi, iuſſu ab Archiepiſcopo Rauennate, religioſe celebrata eſt.

Octauo calendas Iunij. Luna. xvii. E.

5 16	27	8	19	30 11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23		
A b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſancti Vrbani pontificis, et martyris. Hic ciuis Romanus, Pontiani filius, doctrina, uitæq. ſanctitate prælucens, pontifex renunciatus, multos ad CHRISTI *fidem perduxit; in quibus Valerianum, beatæ Cæciliæ martyris ſponſum, et Tyburtium, Valeriani fratrem: qui ambo poſt conſtanti fortiq. animo martyrium obierunt. Is uaſa ſacra, ex argento, auroue confici, adhiberiq. ad Dei cultum uoluit: prædia, a fidelibus eccleſiæ oblata, recipi; eorumq. cenſum clericis omnibus uiritim diſtribui ſanciuit; epiſcopum fieri uetuit, niſi primum ſacerdotio initiatus eſſet. Notarijs præterea, quos ad res geſtas martyrum conquirendas, et ad eas conſcribendas ſanctus Clemens primum inſtituit, mercedē ex eccleſiæ patrimonio decreuit. Is, atque adeo alijs ad eccleſiæ amplitudinē ſancte conſtitutis, et ordinationibus quinquies menſe Decembri de more habitis, pontificatus dignitatem omni uirtutum ſtudio cum ornaret, ſæpe, Aurelio Antonino Imperatore, ex urbe pulſus, rurſus clam a fidelibus reuocatus, dum totus eccleſiæ propagationi incumberet, cōprehenſus, in carcerem truditur: ubi ſitu, et ſquallore pene confectus, tandem datis pro* CHRISTI *gloria ceruicibus, coronatur. Romæ item, ſancti Bonifacij pontificis: qui templum Pantheon, a Marco Agrippa exædificatum,* 25. Alexandro

beatæ

beatæ MARIAE *uirginis, et martyrum omnium nomine, Deo conſecrauit; ibiq. ſolennitatem calendis Nouembris agi instituit: ædes ſuas, extructo monaſterio, ad diuini cultus uſum tranſtulit. Pontificatu autem optime, ſanctiſſimeq. adminiſtrato, quieuit in Domino. Apud Myſiam, in urbe Doroſtoro, ſanctorum martyrum, Paſicratis, Valentionis, et ſociorum duorum. Mediolani, ſancti Dionyſij epiſcopi, et confeſſoris. Hic, excitata hæreſis Arianæ furoribus perſecutione, ut heros inuictus, nunquam deſtitit pro* CHRISTI *gloria, proq. gregis commiſſi ſalute dimicare: cumq. in perpetua catholici ſtudij constantia permaneret; animo mirandum in modum confirmato, in Cappadociam prouinciam relegatus, exilium, omnemq. uitæ cruciatum pertulit ſummo Chriſtianæ pietatis robore. ſicq. ibi titulo martyribus propiore ſpiritum Deo reddidit. Cuius ſacrum corpus beatus Baſilius epiſcopus Mediolanum mitti curauit: illudq. ſanctus Ambroſius ſacro, et inſigni loco recondidit. Florentiæ, ſancti Zenobij epiſcopi, et confeſſoris. Hic ciuis Florentinus, claro genere natus, clara etiam uirtute ſacerdos, uerbi Dei diſſeminator uigilantiſſimus, idemq. hæreſis acerrimus opugnator, quo tempore Arianæ factionis epiſcopi conuentum Ariminenſem habuerunt, cum omnis pæne Italia uehementer laboraret, nihil non egit tum ſermonibus, tum rebus, ut populi Florentini pietatem, et religionem catholicam tueretur. Peruulgata eius uirtutum fama, beatus Ambroſius, Mediolani epiſcopus, illius ſalutandi cauſa Florentiam uenit: et ſanctiſſimus pontifex Damaſus eundem Romam acciuit, indeq. Constantinopolim ad hæreſim, in Orientis partibus excitatam, restinguendam legatum miſit. Qua legatione optime perfunctus, ubi primum reuerſus eſt, ab eodem pontifice, epiſcopus Florentiæ conſecratus, multis uigilijs, aſſiduis orationibus, priua-*

tis

tis lectionibus, confeſsionibus, conſilijs, prædicationibus, ac publicis contra hæreticos diſputationibus deditus, epiſcopalis officij partes omni ſanctitate expleuit : multis item miraculis clarus, quieuit in Domino. In finibus Trecaſsinorum, ſancti Leonis confeſſoris. Venetijs, Translatio ſancti Stephani martyris: cum illius reliquiæ e Conſtantinopoli ad eam urbem aſportatæ ſunt in eccleſiam ſancti Georgij. Aſiſij, Translatio ſancti Franciſci: quæ magna illius ciuitatis celebritate, religioſe et pie acta eſt.

Septimo calendas Iunij. Luna. vi. F.

6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24
Ab c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Eleutherij pontificis. Is, municeps Nicopoli- 26.
tanus, Aniceti pontificis diaconus, pontifex creatus, Britanniam
inſulam, Lucij regis rogatu, per Fugatium, et Damianum lega
tos, fidei ſacris inſtituit: religionem Chriſtianam latius in omnes
partes propagandam, curauit; Romæ præſertim permultos uiros
nobiles ab impuris ſuperſtitionibus ad caſtiſsimum Dei cultum
perduxit: Chriſtianam diſciplinam, ab Apoſtolis traditam, ſuis
etiam decretis cõmuniuit: multa tum de eccleſiarum priuilegijs,
tum de clericis, ac de iudicijs item ſtatuit, epiſtola decretali ad
Galliæ epiſcopos exarata. Sancte igitur, atque utiliter eccleſia
Dei, quindecim annis et amplius adminiſtrata, beatus pontifex
ad præmium migrauit in cælum. Romæ item, beatorum mar-
tyrum, Simitrij presbyteri, et ſociorum uiginti duo: quos, Anto-
nini Cæſaris iuſſu, pro CHRISTI fide iugulatos, beata Praxedes
uirgo in ſepulturam tradidit. Athenis, ſancti Quadrati, apo-
ſtolorum diſcipuli. Hic, maximis per Hadrianum Cæſarem con

citatis perſecutionum procellis,illum compellat ; et quam pro Chriſtianæ religionis defenſione apologiã propterea contexuerat,quòd nonnulli nequam,et perditi homines fidelibus moleſtiam faceſſere conarentur , ei offert , plenam illam quidem fidei luminibus , Apoſtolicaq. doctrina dignam . Eò autem Euangelij cauſa miſſus, multis annis prædicationis munere functus, ſancte quieuit in Domino . Conſtantinopoli, ſancti Carpi : de quo ad tertium idus Octobris . In finibus Antiſiodorenſium, ſancti Priſci, et ſociorum plurimorum martyrum : qui, Aureliano Imperatore, coronati ſunt . In Africa ſancti item Quadrati martyris : cuius res fortiter, diuineq. geſtæ, ac ſuſceptæ pro gloria CHRISTI *concertationes, beati Auguſtini epiſcopi concionibus, hoc illius die natali, in maxima populi frequentia, concelebratæ ſunt . Tuderti, beatorum martyrum, Feliciſsimi, Heraclij,et Paulini . Viennæ , ſancti Zachariæ , qui ſecundus extitit illius urbis epiſcopus . In Britannia, ſancti Auguſtini epiſcopi . Hic, ab ſancto Gregorio pontifice ad eam inſulam miſſus, Euangelium ibi propagauit : miraculis autem plurimis, in quibus admodum eius ſanctitas eluxit, præclarus, obdormiuit in Domino .*

G. Sexto calendas Iunij. Luna.

7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

27. *Romæ, ſancti Ioannis pontificis . Is in Thuſcia natus, a Gelaſio pontifice Cardinalis factus , Hormiſda mortuo , pontifex creatur . quod munus annis duobus,et menſibus octo,ſummo pontificalium uirtutum ſplendore geſsit : beatorum martyrum Nerei, et Archilei cœmiterium, olim inchoatum, abſoluit : illud Priſcil*

læ

læ pene dirutum, reſtituit: uaſa multa, auro, argento confecta, baſilicis Apoſtolorum dono dedit: ſancti Pauli ſacellum gemmis ornauit: Conſtantinopolim, ubi populus omnis obuiam ei ab urbe procul cum ſacra pompa proceſſit, Iuſtinusq. Cæſar ad illius pedes ſe abiecit, fidei cauſa profectus, cum eo multa ſalutariter egit, tum illud in primis, ut, Arianis expulſis, templa ſanctæ pietatis cultoribus redderentur. Quam rem impotenti iniquoq. animo ferens, Theodoricus Italiæ rex, Arianæ impietatis ſtudioſus, dolo ad ſe accerſitum pontificem, in carcerem incluſit: ubi ſquallore, inediaq. confectus, migrauit ad Dominum, miraculis, uitæq. ſanctiſſimæ exemplis clarus. Romæ præterea beatorum martyrum, Aquilini, Eliæ, Quinti, et Reſtituti. Ad urbem Doroſtorum in Myſia, ſancti Iulij martyris. Hic in Alexandri Imperatoris perſecutione cum miles ueteranus eſſet, ab Maximi præſidis miniſtris comprehenſus, eo præſente, idolorum cultum deteſtans, in CHRISTI fide conſtantiſſimus, capitis damnatus, una cum Eſicio milite item, martyrium fortiter ſubijt. In Græcia, ſancti Elladij martyris: cuius illuſtre certamen extitit multis cruciatibus, quos præclaris fidei confeſſionibus conſtanter ſubijt. Arauſicæ in Gallia, ſancti Eutropij epiſcopi: cuius uitam, inſtitutionis Euangelicæ præceptis mirifice excultam, et uirtutum rerumq. admirabilium laude inſignem, Verus, illius urbis epiſcopus, diſerte conſcripſit. In finibus Atrebatenſium, ſancti Ranulphi martyris. Anconæ, ſancti Limberti confeſſoris.

Quinto calendas Iunij. Luna. xiiii. A.

8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Carnoti in Gallia, ſancti Carauni martyris: qui Domitiano 28.

Imperatore, datis pro CHRISTO *ceruicibus, coronatur. In Sardinia, ſanctorum, Aemylij, Felicis, Priami, et Luciani, martyrum. Mediolani, ſancti Senatoris epiſcopi: cuius uita in omni epiſcopali uirtute admodum eluxit. Melitinæ, ſancti Eutychij epiſcopi, et martyris: qui, Gordiano Imperatore, religionis cauſa ſupplicijs uarijs tortus, demum ſecuri percuſſus, cæleſtem coronam accepit. Pariſijs, ſancti Germani epiſcopi: cuius diuina uiuendi ratio, per uniuerſum fere orbem claritate quadam enitens, in rebusq. admirandis ſpectata, litterarum monimentis a beato Fortunato epiſcopo conſignata, multiplex cæleſtium uirtutum exemplum præbet.*

iii.B. Quarto calendas Iunij. Luna.

9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

29. *Romæ, uia Aurelia, ſancti Reſtituti martyris: uia item Tyburtina, ſanctorum germanorum fratrum ſeptem. Iconij in Iſauria, beatorum martyrum, Cononis, et filij: qui candenti ferro primum aduſti; deinde ſubiecto igne in craticulam poſiti; oleo præterea feruenti delibuti; alijsq. tormentis grauiſſime affecti; demum, manibus malleo ligneo confractis, ſpiritum Deo reddiderunt. In Tridentinorum finibus, ſanctorum, Siſinij, Martyrij, et Alexandri: qui Mediolani primum ab ſancto Ambroſio, inde a Tridenti epiſcopo benigne excepti, ad prædicandumq. miſſi, in perſecutione per gentes, a fide alienas, concitata, martyrio coronati ſunt. Cæſareæ, ſanctæ Theodoſiæ uirginis, et martyris. Treueris, ſancti Maximini epiſcopi: de quo ſupra. Veronæ, ſancti Maximi epiſcopi, et confeſſoris.*

Tertio

Tertio calendas Iunij. Luna. c.

10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Felicis Primi, pontificis, et martyris. Is ciuis Romanus, patre Conſtantino natus, Aureliano Imperatore, pontificatum geſſit. Vir fuit iuſtus, et omni uirtutis laude inſignis. Hæc ſtatuit, ut Miſſa ſupra memorias, et ſepulcra martyrum celebraretur: ut loco ſacro, neque præterea alibi, niſi neceſſitatis ratio poſtularet, ſacrum fieret: ut Eccleſiam iterum conſecrari liceret; ſi modò nulla alia ratione conſtaret, illam iam conſecratam eſſe. In cuius pontificatu, Manes hæreticus, homo Perſa, et alij, a Catholica fide diſſidentes, introductis opinionum erroribus, cum graue damnum importare conarentur eccleſiæ Dei, is pietatis ſtudio uehementer accenſus, omni alia ratione prouidit, ne quid res eccleſiaſtica detrimenti pateretur; tum epiſtola edita, grauiſſimis rationum monimentis, et ſacrarum in primis litterarum auctoritate, coarguit nefarias illorum opiniones. Alteram præterea epiſtolam ad Galliæ epiſcopos ſcripſit, quæ ſane diſciplinæ ſanctæ præceptis, atque inſtitutis plena eſt. Cum uero is, menſe Decembri, de more habuiſſet ordinationes duas, et creaſſet epiſcopos quinque, presbyteros nouem, diaconos quinque, multis pro fide, et doctrina Chriſtiana ſuſceptis dimicationibus, tandem martyrio coronatus, ad præmium abit in cælum. Turribus Sardiniæ, ſanctorum martyrum, Gabini, et Criſpoli. Antiochiæ, ſanctorum martyrum Syci, et Palatini: qui multiplici tormentorum genere cruciati, pro CHRISTI *ſalutari nomine, demum neci obiecti, ardenti fidei ſtudio martyrium obierunt. Apud Tungrenſes, ſan-* 30.

cti

cti Hucberti epiſcopi , et confeſſoris: de quo ad tertium nonas Nouembris.

xi. D. **Pridie calendas Iunij.** Luna.

11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 14 15 26 7 18 29
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

31. *Romæ, ſanctæ Petronillæ uirginis, beati Petri Apoſtoli filiæ: cuius nuptias cum Flaccus Comes uehementer expeteret; ea, ſumpto ſibi trium dierum ſpatio ad deliberandum, in oratione, et ieiunijs triduum illud conſumpſit. Tertio autem die, ubi Euchariſtiam ſumpſiſſet, uirgini, amore diuino flagranti, opem tulit Deus, qui illam ad cæleſtes nuptias euocauit. In Græcia, ſancti Hermæi martyris: qui, Antonino Imperatore, fidei incredibili ardore accenſus, nullis uel exquiſitiſſimis ſupplicijs, quæ martyri inuri Sebaſtianus præſes iuſſerat, perterrefactus, demum, capite ſuſpenſo, ſpiritum Deo reddidit. Aquileiæ, beatorum martyrum, Cantij, Cantiani, et Cantianillæ. Ii germani fratres, in Anitia familia nati, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, ob Chriſtianam fidem cruciamentis uarijs affecti, cùm in propoſito conſtanter perſiſterent, una cum Proto Pædagogo, capitis damnati, inſignem acceperunt martyrij palmam. Turribus Sardiniæ, ſancti Creſcentiani martyris.*

Calendis Iunij. Luna. E.

12234 15 26718 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Dies I.

ROMAE, ſančti Iuuentij martyris. Romæ item, beatorum martyrum, Iuſtini, Charitonis, Chariti, Euelpiſti, et ſociorum: qui, multis exantlatis ſupplicijs, denique Ruſtici præfecti iuſſu, ſecuri feriuntur. Cæſareæ in Paleſtina, ſancti Pamphili presbyteri, et martyris. Hic, illis temporibus, propter pietatis admirabilitatem cum ſummæ laudis primas tulerit: tum, toto uitæ curſu, uſque adeo ardenti diuini eloquij, ſacrarumq. litterarum ſtudio, et omni uirtutum genere præſtitit, ut eius plæclara officia, et recte facta, quoniam longiori explicatione opus haberent, tribus libris græco ſermone diſerte conſcripta ſint. Pro multis autem, et illis quidem egregijs fidei confeßionibus, dum exardeſcebat perſecutio, tormenta uaria, et horrenda cum pertulerit, demum martyrio inſigniter coronatur. In Græcia, ſancti Theſpesij martyris. Is Cappadox, Alexandro Imperatore, Simplicij præſidis mandato, religionis Chriſtianæ nomine comprehenſus, ad idolorum templum perductus, illis immolare, præciſe negauit: quo in propoſito ita conſtanter permanſit, ut martyrij nobile certamen ſumma fidei teſtificatione confecerit. In Græcia item, ſancti Firmi martyris: qui, in Maximiani perſecutione, ob fidem captus, nullis uel acerbißimis plagis, quas ei Magnus præfectus infligi iuſſerat, potuit e gradu pietatis amoueri. quare poſtremò lapidibus percuſſus, non modo tormenti huius ui ſuperatus eſt: ſed uictor, datis demum pro CHRISTO Redemptore ceruicibus, egregia corona donatur.

natur. Hoc ipſo die, ſanctorum martyrum, Valentis, Pauli, Seleuci, Porphyrij, Theoduli, Iuliani, et aliorum quinque ſociorum: quorum, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, concertatio, pro CHRISTI gloria fortiter ſuſcepta, multis nominibus nobilis extitit: ut res tota pluribus a Græcis auctoribus pie, et a nobis alio loco narratur. Peruſiæ, ſanctorum, Filini, et Gratiniani martyrum. Ii, milites, perſpecta Chriſtianorum hominum admirabili, ac plane diuina in omni cruciatu perferendo conſtantia, Florentium, illius ciuitatis epiſcopum adeunt, a quo fidei ſacris initientur. Suſcepto igitur baptiſmo, fidem, quam antea infenſe gladiatorio quodam animo oppugnarant, conſtanter religioſeq. tueri cæperunt. qua cognita re, Valerianus præfectus, ex Decij Cæſaris edicto, eos in carcerem tenebricoſum detrudi iuſſit: qui ſtatim cæleſti lumine circumfuſus eſt. Poſtridie inde educti, fœde palam excarnificati, pelle exuſta, in prunis et cinere ipſi uolutati, mox diuinitus ſanati ſunt. Ea re, quæ ſummam admirabilitatem fecit, perſpecta, multi ad CHRISTI fidẽ ſe contulerunt. itaque corde ira cumulato, præfectus fortiſſimos Dei milites, capite plecti iuſſit. Auguſtoduni, beatorum martyrum, Reueriani epiſcopi, Pauli presbyteri, et aliorum decem: qui, Aureliano Imperatore, coronati ſunt. Bononiæ, ſancti Proculi martyris: qui Marini, prætorij præfecti iuſſo, ob Catholicam fidem uarie excruciatus, demum ſecuri percuſſus, coronatur. Antiochiæ, ſancti Zoſimi. Aruernis, ſancti Medulphi confeſſoris, admiranda ſanctitate uiri. In monaſterio Lirinenſi, ſancti Caprasij abbatis. Pictauis, ſancti Iouini abbatis. Apud Aſtenſes, ſancti Landulphi epiſcopi. Viennæ, ſancti Claudij, qui undecimus fuit illius ciuitatis epiſcopus. Treueris, ſancti Simeonis monachi: cuius ſanctitas ita cæleſtibus, uereq. religioſis uirtutibus,

atque

atque rebus, mirifice geſtis eluxit: ut Popponis Archiepiſcopi rogatu a Bonifacio Nono, pontifice maximo, adſcriptus ſit in numerum ſanctorum. In Hiſpania, Translatio ſancti Eulogij martyris. Apud Sueſſiones, Translatio ſanctorum epiſcoporum, Principij, et Lupi, confeſſorum; beati martyris Gandini, et ſancti confeſſoris Agricolæ presbyteri.

Quarto nonas Iunij. Luna. E.

13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, beatiſſimorum martyrum, Marcellini presbyteri, et 2.
Petri exorciſtæ: quorum uni, et item alteri cum ex tormentorum ui maior et fidei, et ſpiritus acceſſio fieret; ambo, uarijs cruciatibus nobiles, denique ſecuri percuſſi, Diocletiano Imperatore, illuſtre teſtimonium Iesv Christo Redemptori perhibuerunt. Lugduni, ſanctorum martyrum, Photini epiſcopi, Zachariæ presbyteri, Sancti diaconi, Epagathi, Maturi, Attali, Albinæ, Gratæ, et aliorum quadraginta ſociorum. Fuit Photinus, cui primo Lugdunenſis epiſcopatus miniſterium erat concreditum, uir, et doctrina, et uirtute clarus. Cum autem nonageſimum annum expleſſet, et corporis imbecillitate langueſceret, ut uix poſſet præ uiriũ infirmitate, qua diſtinebatur, libere ſpirare; ſpiritus tamen alacritate ob ardentem, qua flagrabat, martyrij cupiditatem plurimum recreatus, uarias plagas pro Christi gloria, Antonino Imperatore fortiter excepit. Denique, uix iam ſpiritum ducens, in carcerem iterum coniectus, præclaro fidei teſtimonio dato, animã Deo reddidit. Maturus autem, Sanctus, Attalus, et ceteri, omne pene tormentorum genus magna Chriſtiani animi uirtute,

perſpeſsi, ut inuicti heroes, coronantur. Sanctæ item Blandinæ
19. Ianuarij martyris: de qua aliàs a nobis ſcriptum eſt. In Campania, ſancti Eraſmi epiſcopi, et martyris. Hic, acerbiſsimis Diocletinianæ perſecutionis temporibus, pro CHRISTO Domino, plumbatis, et fuſtibus cæſus, reſina item, et ſulphure, plumbo liquefacto, ferуenti pice, cera, oleoq. perfuſus; inde tamen ope cæleſti ab omni plaga integer euaſit. qua admiranda re diuulgata, permulti in Chriſtianam religionem ſe dediderunt. Verum poſt, Maximiano Imperatore, in cuſtodiam iterum traditus, uinculisq. grauiſſimis aſtrictus, unde etiam ab Angelo ereptus mirabiliter eſt, tandem uarijs excruciatus ſupplicijs, inſignem martyrij palmam accepit. Hoc ipſo die, ſancti Zachariæ monachi: cuius illuſtria uirtutum exempla, ad religioſe uiuendum accommodata, ſancteq. facta, ſempiterna gloria digna, leguntur.

viii. G. Tertio nonas Iunij. Luna.

14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

3. Romæ, ſancti Eugenij Primi, pontificis. Hic Romæ, in regione Auentina natus, admirabili pietate, et caſtiſsima religione, ſummaq. hnmilitate et manſuetudine ſingulari, atque diuinis plane uirtutibus excultus, pontifex creatus, cum magnum pecuniæ numerum CHRISTI pauperibus in eleemoſynam perpetuò contulit; tum aduerſus clerum egregia liberalitate, uereq. pontificia uſus eſt. Petri Conſtantinopolitani epiſtolam Synodicam, qua fidem ſuam pontifici expoſuerat, hæreſis labe aſperſam, de cleri Romani conſilio reiecit. Eccleſiæ cauſa cum multa ſanciuit, tum hæc in primis; ut ad coercenda clericorum malefacta, epiſcopi carcerem

carcerem habeant: prope Eccleſias domicilia Sacerdotes conſtituant: ac ne e monaſterij ſeptis, niſi Abbatis permiſſu, monachi exeant. Concilium præterea Romæ celebrauit. Cum autem biennio et menſibus nouem pontificatum ad Dei uoluntatem adminiſtraſſet, Ordinationibus ſemel, atque iterum habitis, ſanctitatis laude clarus, abijt ad Dominum. Aretij in Hetruria, beatorum martyrum, Pergentini, et Laurentini. Ii, ciues Aretini, nobili loco nati, uterini fratres, ætate pueri, at animi magnitudine plane uiri, pro CHRISTI *fide, Decio Imperatore, teterrimis affecti cruciamentis, ijsq. diuine ſuperatis, et miraculis editis, poſtremo ſecuri percuſſi, coronantur. In Africa, ſanctorum martyrum, Quirini, Abdiani, Totici, Iulij, Saturnini, et Iulianæ uirginis. Nicomediæ, ſanctorum, Lucilliani, Paulæ uirginis, et ſociorum martyrum: qui, Aureliano Imperatore, certamine pro* CHRISTI *eccleſia ſuſcepto, uictores corona redimiti ſunt. Cordubæ in Hiſpania, ſancti Iſaaci monachi, et martyris. Is, ineunte adoleſcentia, religionis ſtudio incenſus, in Tabanenſi cænobio, ubi Hieremiam patruelem habebat, monachus factus, triennio poſt, pro fide* CHRISTI *nobile martyrium ſubijt. Hoc ipſo die, ſanctorum Trecentorum, et triginta martyrum: qui, a beato Eraſmo martyre, ad fidem conuerſi;* CHRISTI *uirtute communiti, ſumma conſtantia cruciatus et necem ſubierunt. In finibus Aurelianenſium, ſancti Liphardi presbyteri, et confeſſoris. Hic a forenſi iudicio ad clericalem uitam primum ſe tranſtulit: deinde monachus factus in ſolitudinem ſe abdidit: ubi in tuguriolo, ex uiminibus contexto, uitam egit ſanctiſſime. Humi cubabat; ſacco et cilicio, perpetuo induebatur: panis hordeacei, quem manibus ſuis conficiebat, uncia ſemel in die corpus ſubſtentabat: aquæ potu, tertio quoque die, parciſſime utebatur: animo autem, ac*

mente totus erat in cæleſtis patriæ aſsidua meditatione. Eius ſanctimoniam, quæ uno omnium ſermone in omnes partes peruagata erat, rebus plurimis admirandis, quas ille cæleſti uirtute confecit, teſtatam, ac notam eſſe Deus uoluit. Lutetiæ in Gallia, ſanctæ Crotildis reginæ: quæ multis ad eius ſepulchrum diuinitus factis miraculis, in ſanctis adſcripta eſt.

xvi. A. Pridie nonas Iunij. Luna.

15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 1 11 22 3
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

4. *Romæ, beatorum martyrum, Arecij, Daciani, Camarij, et aliorum. Mediolani, ſancti Clatei epiſcopi, et martyris. Hic Brixiæ epiſcopus ſecundus, Anolini iudicis mandato, ab idolorum cultoribus, Nerone Imperatore, fuſtibus percuſſus, demum neci obiectus, coronatur. Iconij, ſanctorum quatraginta, et quattuor martyrum: qui, Alexandro Imperatore, pro* CHRISTI *confeſsione, datis fortiter ceruicibus, palmam tulerunt. Sciſiæ, in Illyrico, ſancti Quirini epiſcopi, et martyris. Is, quo tempore Galerius, in Diocletiani locum ſuffectus, Aſiam, et Illyricum prouinciam obtinebat, tabulis æreis de Chriſtianorum interitu edicta proponebat, multa, uariaq. tormenta exhauſit. demum, molari lapide ad eius collum alligato, præceps in Sabarim fluuium deiectus, illuſtrata præclaris teſtimonijs eius Chriſtiana fide, ad præmium euolauit in cælum. Iconij, ſanctorum Quatraginta martyrum: qui a beatis, Quirico, et Iulita, conuerſi ad fidem, Alexandro Imperatore, egregie coronantur. Veronæ, ſancti Alexandri epiſcopi, et confeſſoris.*

De ijsdem infra hoc ipso die

Nonis

Nonis Iunij. Luna. v. B.

16 27 8 19 1 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, Tranſlatio ſancti Bonifacij martyris: cuius dies natalis celebratur pridie idus Maij. In Aegypto, beatorum martyrum, Martiani, Nicandri, et Apollonij: quorum res pro CHRISTI *fide diuinitus, fortiterq. in Maximiani perſecutione, geſtæ, leguntur. Tyri, ſancti Dorothei epiſcopi, et martyris: qui Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, pro religione Chriſtiana ſæpe multipliciter excruciatus, demum, ingraueſcente ætate, martyrio coronatur. Moguntiæ, ſancti Bonifacij epiſcopi, et martyris. Hic, in Anglia natus, Bedæ diſcipulus, omnibus diſciplinis, et ſacrarum in primis litterarum ſcientia eruditus, caſtiſsimis moribus, uitæq. innocentia uſque adeo præluxit, ut, cum Vunifridus uocaretur, a perpetuo bene agendi ſtudio Bonifacij nomen inuenerit. Propagandi Euangelij zelo flagrans, primo in Galliam, deinde Romam uenit: ubi maiores in eccleſiaſticarum rerum uſu progreſsiones haberet. Quo tempore a Gregorio Secundo, Pontifice, benigne exceptus, peruagata ſanctitatis, et eruditionis eius fama, legatus in Germaniam mittitur; ut illius prouinciæ homines, magna ex parte adhuc ſuperſtitionis erroribus obcæcatos, ad aſpiciendam Euangelij lucem auocaret. Quod munus et prædicatione, et doctrina, et uitæ præclaris exemplis executus, gentes plurimas* CHRISTI *religioni adiunxit. Eoq. ardentius in omnes diſſeminandæ fidei partes ſe excitauit, ſæpe inflammatus ſummorum Pontificum, Gregorij Secundi, Stephani, Zachariæ, et Gregorij Tertij Apoſtolicis cohortationibus. Poſt, ob* 5.

uirtu-

uirtutum merita ab Zacharia pontifice, Archiepiſcopus Moguntiæ creatus, ab hæreticis, contra quos librum ſcripſit, mirandum in modum exagitatus, ut Germanos in catholica Romana fide, pietatisq. erga ipſam matrē Eccleſiam officijs perpetuo contineret, Synodum quotannis eius rei cauſa haberi ſtatuit. quam ipſe Maguntiæ, ſemel et Auguſtæ iterum celebrauit; palam in utraque Synodo cum ceteris illius prouinciæ epiſcopis profeſſus, ſe beati Petri apoſtoli, eiusq. ſucceſſorum cathedræ in perpetuum adhærere. Rebus in Germania religioſe conſtitutis, is præ ſtudio amplificandæ religionis in Friſiam ſe contulit: ubi multis ad fidem conuerſis, et alijs rebus ſanctè geſtis, demum ab impijs necatus, martyrij palmam una cum Eobano epiſcopo, alijsq. ſeruis Dei accepit. Cordubæ in Hiſpania, beati Sancij martyris: qui in Gallia comata natus, laicus, adoleſcens, ſancti Eulogij diſcipulus, inter militares Regis pueros liber præſcriptus, regijsq. annonis nutritus, pro fidei Chriſtianæ confeſſione, in Arabica perſecutione, martyrio coronatur.

C. Octauo idus Iunij. Luna.

17	28	9	20	2	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	3	13	24	5
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

6\. *Romæ, beatorum martyrum, Artemij, Candidæ coniugis, et Paulinæ filiæ: hæ ambæ, Diocletiano Imperatore, lapidibus obrutæ ſunt: ille ſecuri percuſſus eſt. Cæſareæ in Paleſtina, ſancti Philippi diaconi. Is unus illorum, qui cum beato Stephano ad diaconatus functionem ab Apoſtolis electi ſunt, in Samariam uenit: atque diuina plenus uirtute, ijs, qui in ea regione habitabant, uerbum Dei diuulgauit. Tantopere etiam diuina gratia in*

illo

illo uim ſuam exercuit, tantumq. opis ei attulit, ut Simeonem magum cum infinita fere hominum multitudine ad fidem perduceret. Candacis præterea Reginæ Eunuchum baptizauit: mortuum ad uitam reuocauit; aliaq. admirabiliter ſancteq. egit; quibus clarus, abijt ad Dominum. Tharſi in Cilicia, ſanctorum Viginti martyrum: quorum in Africa celeberrima eſt memoria. Ii, Diocletiano Imperatore, Simplicij iudicis mandato, pro Christi *gloria, plagis, ac tormentis, neceq. nobilitati, ad martyrij palmam perueniunt. Horum autem corpora, inde ad urbem Hipponem tranſlata, crebris elucent miraculis. Niueduni, ſanctorum martyrum, Amantij, et Alexandri. Meuiæ, ſancti Vincentij epiſcopi: qui, ſuperatis cruciatibus, et feris, quibus obiectatus eſt, manſuefactis, ad præmium pro pietatis uictoria migrat in cælum. Mediolani, ſancti Euſtorgij epiſcopi, et confeſſoris.* 18. septemb. *Hic claro genere in Græcia natus, clara etiam uirtute epiſcopus, nomineq. ſapientiæ, ac religionis excellens, diuinis certe monimentis eccleſiam Mediolanenſem inſtruxit, atque ornauit; eius cura ſacris ad urbem Mediolanum ſanctorum Magorum corporibus, Conſtantinopoli tranſlatis; atque ob eam cauſam templo religioſiſſimo extructo. Apud Senones, ſancti Aldrici epiſcopi, et confeſſoris: hic monachus, deinde abbas, poſt epiſcopus, uitæ et inſtitutionis Euangelicæ rationem mirifice excoluit. Gandaui, in Belgio, ſancti Guduuali epiſcopi, et confeſſoris, pijs uitæ inſtitutis præſtantiſſimi, ſpectataq. ſanctitate, et miraculorum magnitudine clariſſimi. Magdeburgi, ſancti Norberti epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita, ſanctiſſime acta, cæleſtiumq. uirtutum ſplendore illuſtris, legitur. Mantuæ, Inuentio ſancti Cæleſtini martyris. Veronæ, ſancti Ioannis epiſcopi, et confeſſoris.*

Septi-

xiii. D. Septimo idus Iunij. Luna.

1829 1021 3 13 245 16378 19 1 11 224 14 256

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

7. *Conſtantinopoli, ſancti Pauli epiſcopi, et martyris: qui, ob catholicam fidem ad oppidum Cappadociæ Cucuſam relegatus, Arianorum inſidijs comprehenſus, et crudeliter ſtrangulatus, martyrio coronatur. Ancyræ, ſancti Theodoti martyris. Hic pietatis Chriſtianæ nomine in iudicium ductus, apud Theodotum præfectum fidem libere profeſſus, primo uerberibus, poſt alijs ſupplicijs excruciatus, demum, præciſo capite, palmam martyrij accepit. Alexandriæ, beatorum martyrum, Andreæ, Donati, et Peregrini. Biſuntina in urbe, ſancti Claudij epiſcopi et confeſſoris. In Anglia, ſancti Roberti Abbatis. Traiecti, Tranſlatio, ſancti Seruatij epiſcopi: de quo ſupra, tertio idus Maij.*

xi. E. Sexto idus Iunij. Luna.

191 11 224 1425 6 17289 202 1223 5 15 267

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Die 7. celebrantur. 8. *Cordubæ in Hiſpania, ſanctorum martyrum, Petri presbyteri Aſtigitani, Vualabonſi diaconi Ilipulenſis, Sabiniani, Vuiſtremundi Aſtigitani, Habentij Cordubenſis, Hieremiæ item Cordubenſis, monachorum. Hi ſex, fortiſsimi Dei milites, in Arabica perſecutione, biduo poſt beati Sancij martyrium, accenſi ardore pietatis, ad expugnandum fidei hoſtem deſcendunt: CHRISTVMQ. Deum libere confeßi, exploſa Mahometici dogmatis impietate, deplorataq. eorum cæcitate, qui ex Mahometis legibus*

gibus uiueret; forti animo pro fidei Chriſtianæ ſtudio ceruices dederunt. Eorum corpora ſexto poſt die concremata ſunt. Apud Sueßiones, in Gallia, ſancti Medardi epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita cum in omni uirtute eluxerit; eius ſanctitas multis alijs ſignificationibus diuinitus declarata eſt, tum eo, quod in illius obitu cælis apertis, luminibus cæleſtibus, eiuſdem cubiculum colluxit. Eius corpus, Lothario rege, ad Sueßionum urbem translatum eſt, illius nomine exædificata religioſiſſima baſilica. Rothomagi, ſancti Gildardi epiſcopi, et confeſſoris. Is, Medardi frater uterinus, ſicut eodem die, quo ille, non modo natus, ſed epiſcopus conſecratus eſt, hic Rothomagenſium, ille Nouionenſium; ita incredibili inter ſe in religione pietateq. colenda ſtudij coniunctione, uterque Synodo Aurelianenſi, quæ eo loci primum habita eſt, interfuit: epiſcopaliumq. uirtutum munera executus, ad hæreditatem uitæ æternæ eodem etiam die uocatus, commigrauit in cælum. Apud Senones, ſancti Heraclij epiſcopi, et confeſſoris. Metis, ſancti Glodulphi epiſcopi, et confeſſoris. In Sardinia, ſancti Saluſtiani confeſſoris.

Quinto idus Iunij. Luna. F.

20 2 12 23 5 15 26 7 18 29 10 21 3 13 24 6 16 27 8
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, in monte Cælio, ſanctorum martyrum, Primi, et Feliciani. Hi fratres, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, Chriſtianæ religionis accuſati, in qua diu ſancte uixerant; modò ambo ſimul eadem, modò ſeparatim ſinguli diuerſa, eaq. horrenda, atque inaudita ſuſtinentes cruciamenta, tandem præclaræ pugnæ curſum, gladio percuſſi, egregia uirtutis, et confeſ- 9.

 ſionis

ſionis Chriſtianæ laude confecerunt. Agenni, in Gallia, ſancti Vincentij leuitæ, et martyris: cuius res pie, ac mirifice actæ, et dimicationes pro CHRISTI *nomine diuina uirtute in eorundem Cæſarum perſecutione confectæ, magna cum teſtificatione Chriſtianæ pietatis, litterarum monimentis diligenter traditæ, ab Agennenſibus ciuibus pie aſſeruantur. Niceæ in Bythinia, beatorum martyrum, Diomedis, Amaranthi, Montiani, et Ianuarij. Antiochiæ, ſanctæ Pelagiæ uirginis, et martyris; ſempiternis laudibus a beato Ambroſio epiſcopo celebratæ. Bergomi, ſancti Lupi confeſſoris: Hic, Crotacij, Bergomenſium principis filius, beati Alexandri martyris miraculis commotus, ad* CHRISTI *fidem cum coniuge et liberis ſe contulit: in cuius ſtudio uſque adeo ſe pie geſſit, ut in eius uita magno cum ſplendore eluxerint Chriſtianæ uirtutes: quarum exemplo, et miraculorum, quæ uiderat, prædicatione ceteros ad Dei cultum ab impietate auocaret. In Scotia, ſancti Columbi presbyteri, et confeſſoris; admirandis uirtutum Chriſtianarum exemplis, et diuina uiuendi ratione præclari. Syracuſis, ſancti Maximiani epiſcopi; rerum diuine, ſancteq. geſtarum laude, Gregorio Primo pontifice, clariſſimi.*

x. G. **Quarto idus Iunij.** Luna.

21 3 13 24 5 16 27 8 19 1. 11 22 3 14 25 7 17 28 9
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

10. *Romæ, uia Salaria, ſanctorum martyrum, Getulij, Cerealis, Amantij, et Primitiaci: qui, Adriano Cæſare, Eccleſiæ* CHRISTI *hoſte, primùm cæſi uehementer, deinde in carcerem incluſi, poſt in ignem coniecti, nec uerò flammis quicquam læſi, poſtremò fuſtibus in capite percuſſi, pro egregia pugna coronantur.*

Romæ

Romæ præterea, uia Aurelia, ſanctorum, Baſilidis, Tropi, Mandali, et ſociorum uiginti. Ii, Aureliano Imperatore, et Platone urbis præfecto, diuinitus fidem amplexi, in grauiſſima perſecutione, mirabiliter ſpiritum Deo reddiderunt. In urbe Aquenſi, ſancti Maximini epiſcopi. Hic unus e ſeptuaginta diſcipulis a beato Petro, Apoſtolorum principe, illius ciuitatis primò conſecratus epiſcopus, prædicationis Euangelicæ munus perpetuo ſtudio executus, miraculorum laude illuſtris, quieuit in Domino. Mediolani, ſancti Pantaleonis martyris: de quo ad ſextum calendas Auguſti. Nicomediæ, ſancti Zachariæ martyris. Antiſiodori, ſancti Cenſurij epiſcopi, et confeſſoris: qui, eccleſia, ſibi commiſſa, octo, et triginta annos pie ſancteq. geſta, uirtutum meritis nobilis, migrauit in cælum. Coloniæ, ſancti Maurini abbatis, et martyris. Pariſijs, ſancti Landerici epiſcopi, et confeſſoris.

Tertio idus Iunij. Luna. A.

22 4 14 25 7 17 28 9 20 2 12 23 5 15 26 8 18 29 10

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

11. *Sancti Barnabæ Apoſtoli. Is Cyprius, cum beato Paulo in Apoſtolorum numerum adſcriptus, primum Antiochiæ* IESV CHRISTI *fidem diſſeminauit: deinde Tharſi, Chriſtianæ fidei præcepta illius urbis ciuibus tradidit: poſt multis peragratis prouincijs, Euangelium prædicans ſumma cum audientium utilitate, aliquot poſt annis, quàm* CHRISTVS *Dominus in cælos aſcendit, Mediolanum uenit. Qua in urbe ſeptem annis commoratus, cum populum ab idolorum cultu ad* CHRISTI *fidem perduxiſſet; Anathalone diſcipulo, in locum ſuum ſuffecto, inde in Cyprum redijt: ubi tandem, pro* CHRISTI *gloria cruciatibus mul-*

tis affectus, martyrio coronatur. Conſtantinopoli, ſancti Bartholomæi Apoſtoli: de quo infra, octauo calendas Septembris. Aquileiæ, beatorum martyrum, Fortunati, et Felicis. Ii germani fratres, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, equuleo torti, facibus accenſis ſemiuſtulati, tum feruenti oleo perfuſi, demum in conſtantiſſima CHRISTI Domini confeſſione, ſecuri feriuntur. In Aegypto, ſancti Onufrij monachi, et confeſſoris: qui, uita in uaſta ſolitudine ſexaginta annis religioſe acta, præclaris pietatis Chriſtianæ exercitationibus, ſanctitatiſq; meritis nobilitatus, ad præmium euolauit in cælum. Brennæ, ſancti Romberti epiſcopi, et confeſſoris: de quo pridie nonas Februarij.

xviii. B. **Pridie idus Iunij.** Luna.

23 5 15 26 8 18 29 10 21 3 13 24 6 16 27 9 19 1 11

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

12. Romæ, uia Aurelia, ſanctorum martyrum, Baſilidis, Cyrini, Naboris, et Nazarij. Ii Romani milites, ut genere, ſic uirtute Chriſtiana nobiles, in Diocletiani perſecutione, contempto idolorum cultu, pro fide fortiſſimi propugnatores, ſuperata et tormẽtorum ui, et impij præfecti Aurelij nequitia, uictores egregie coronantur. Niceæ, in Bithynia, ſanctæ Antoninæ martyris. Hæc, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, ad Driſcillianum præſidem perducta, ob fidei confeſſionem uerberibus cæditur: poſt in cuſtodiam tradita, iterum horribilem in modum cruciatur. quibus inauditis ſupplicijs nullo modo perterrefacta, immouero illa per patientiam, CHRISTI uirtute roboratam, uirili animo ſuſtinens, tandem irati præſidis mandato lapidibus percuſſa, atque abſciſſis ceruicibus, ad coronam migrat cæleſtem in patriam.

Tra-

Traiecti, ſancti Odulphi presbyteri, et confeſſoris. Conſtantinopoli, Translatio ſancti Antonij Abbatis.

Idibus Iunij. Luna. vii.C.

24 6 16 27 9 19 1 1 22 4 14 25 7 17 28 10 20 2 12

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, uia Ardeatina, ſanctæ Feliculæ uirginis, et martyris: quæ cum neque nubere, neque idolis cultum tribuere ullo pacto uellet; tenebricoſo carcere incluſa, et fame pene enecta, tum equuleo ſuſpenſa, demum in cloacam præceps deiecta, perpetuo in fidei confeſſione conſtans, ad uirginale præmium martyrij etiam palmam ſibi adiunxit. In Palæſtina, ſanctæ Aquilinæ martyris. Hæc, Atalmi, clariſſimi uiri filia, ab Athalio epiſcopo baptizata, quintum, et decimum annum agens, hortatu ſuo permultos ab impia ſuperſtitione ad IESV CHRISTI *religionem perduxit. quamobrem, Diocletinianæ perſecutionis flamma, contra chriſtianos accenſa, a Nicodemo accuſata, in iudicium trahitur ad Voluſianum proconſulem; cuius iuſſu ob egregiam fidei confeſſionem primo uerberibus afficitur; poſt ſubulis candentibus uſque adeo in auribus cruciatur, ut ſanguis e naribus proflueret, totumq. caput intus igneſceret; demum ſecuri percuſſa, coronatur. Cordubæ in Hiſpania, ſancti Fandilæ presbyteri, et martyris: qui in perſecutione Arabica, pro* CHRISTO, *quem unice, et ardenter coluit, præciſo capite, pie et fortiter martyrium ſubijt. In Africa, beatorum martyrum Luciani, et Fortunati. In Pelignis, ſancti Peregrini epiſcopi, et martyris: qui a Langobardis, excitato Arianæ hæreſis incendio, pro catholica fide iniurioſius tractatus, tandem in Aternum fluuium demergitur.* 13.

Apud

Apud Sennones, ſancti Agricij epiſcopi, et confeſſoris. Patauij, ſancti Antonij confeſſoris: qui Vlyſſonæ in Luſitania natus, uitæ ſanctitate, miraculis, et doctrina clarus, a Gregorio Nono, pontifice maximo, in ſanctorum numerum relatus eſt. Nouocomi, Translatio ſancti Fidelis martyris: de quo ad quintum calendas Nouembris.

D. Decimo octauo calendas Iulij. Luna.

15 7 17 28 10 20 2 12 23 5 15 26 8 18 29 11 21 3 13
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

14\. *Cæſareæ, in Cappadocia, ſancti Baſilij epiſcopi, et confeſſoris: qui doctrina, et morum caſtitate ita præluxit, ut inde magni nomen inuenerit: Pontum prouinciam, a Chriſtianis inſtitutis aberrantem, ad uiam ſalutis reuocauit: ſuſcepta contra Arianos contentione, filium patri conſubſtantialem eſſe in primis defendit: Valentem Imperatorem, ſibi iratum, miraculis conciliauit: primus duriorem illam, antiquorum monachorum diſciplinam ad meliorem formam redegit: uirginitatem perpetuo coluit: in ieiunio ſeruando fuit diligentiſſimus, in oratione aſſiduus; continentia præterea, atque abſtinentia admiranda: multa ſcripſit pie, ac docte; ſacræ ſcripturæ libros uere et copioſe interpretatus. Syracuſis, ſancti Martiani epiſcopi. Is, beati Petri, Apoſtolorum principis, diſcipulus, urbis Syracuſanorum epiſcopus ab eo conſecratus, ab impura ſuperſtitione ad caſtiſſimum Dei cultum, magnam hominum multitudinem conuertit. Apud Sueſſiones, ſanctorum martyrum, Rufini, et Valerij: qui, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, multiplici affecti cruciatu, præclare teſtificati, quam profeſſi ſunt, fidem, demum Rictiouari præ-*

ſidis

ſidis mandato, ſecuri feriuntur. Mediolani, beatorum martyrum, Cantij, Cantiani, et Cantianillæ: de quibus pridie calendas huius menſis. Cordubæ in Hiſpania, ſanctorum martyrum, Anaſtaſij presbyteri, Felicis monachi, et Dignæ uirginis: quorum egregia pietas, ac fides, tormentis, et ſanguine profuſo, in Arabicæ perſecutionis impetu declarata, litteris ad poſteritatem a beato Eulogio martyre prodita eſt. Viennæ, ſancti Aetherij epiſcopi, et confeſſoris, ad diuinam uirtutem eruditi, epiſcopaliumq. uirtutum gloria clari. Apud Rutenenſes, ſancti Quintiani epiſcopi, et confeſſoris. Aureliæ, Translatio ſancti Aniani epiſcopi. Hoc ipſo die, Heliſæi prophetæ: qui, ut ſanctus Hieronymus ſcribit, apud Samariam Paleſtinæ poſitus eſt, ubi Abdias item propheta quieſcit.

Decimoſeptimo calendas Iulij. Luna. XV. E.

26	8	18	29	11	21	3	13	24	6	16	27	9	19	1	12	22	4	14
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

In Sicilia, ſanctorum martyrum, Viti, Modeſti, et Creſcentiæ: qui, Diocletiani Imperatoris iuſſu, cuius filiam a dæmone uexatam, beatus Vitus liberarat, in carcerem detruſi, poſt acerbiſſimos, ac uarios cruciatus, quos, CHRISTI deſiderio uehementer incenſi, egregie pertulerunt, cæleſtis regni teſtes præclari, inſigniter coronantur. 15. Doroſtori in Mæſia, ſancti Heſychij martyris. Hic miles, Alexandro Imperatore, una cum beato Iulio comprehenſus, Maximi præſidis iuſſo, ob CHRISTI Domini religionem excruciatus, demum martyrium ſtrenue obijt. Cordubæ in Hiſpania, ſanctæ Benildis matronæ, martyris. In Cilicia, ſancti Dulæ martyris. Is, fidei Chriſtianæ accuſatus, ad Maximum,

mum, illius prouinciæ præfectum perducitur: apud quem non titubanter, ſed libere conſtanterq. Christi religionem profeſſus, nullis præſidis pollicitationibus a pietate dimouetur. Poſt in carcerem coniectus, uirgis in humeris, tum in uentre cæditur: deinde craticulæ ignitæ impoſitus, ſemiuſtulatur; in capite autem oleo perfuſo, carbonibus candentibus aduritur. Quibus cruciamentis nobili fidei confeſſione ſuperatis, nouacula a tergo dilaniatus, aceto perfuſus, in acutis teſtis uolutatur: inauditis præterea alijs ſupplicijs acerbiſſime affectus, ueræ, et diuinæ pietatis athleta, coronatur. Apud Sagienſes, ſancti Annoberti epiſcopi, et confeſſoris. Aruernis ſancti Abrahæ confeſſoris, admiranda religioſæ uitæ diſciplina, ſanctitate, miraculorum magnitudine illuſtris. In Pago Criſpinio, ſancti Landelini abbatis. Hic a pueritia, beati Autberti epiſcopi ſtudio ad omnem uirtutem eruditus, malorum hominum ſuaſu a recta uiuendi conſuetudine deflexit: poſt, Angeli admonitu, in uiam rediens, anteactæ uitæ maleq. factorum uehementer atque intime pœnitens, totum ſe lacrymis, precibus, ieiunijs, inediæ, uigilijſq. addixit. Cuius ſanctitate perſpecta, Autbertus epiſcopus eum diaconum, ac paulo poſt ſacerdotem facit. Ut autem ad altiorem ſacri ordinis gradum aſcendit, ſic in ſanctarum uirtutum uia proceſſit. Religionis cauſa Romam ter peregrinatus, a Martino pontifice prædicationis munus ſuſcepit, quod ſedulo executus eſt magna cum teſtificatione cæleſtium uirtutum ſuarum. Monaſteria autem multa conſtruxit; diuine ac mirabiliter res multas egit; quarum laude clarus, et meritis cumulatus, abijt ad Dominum. In urbe Vuentana, ſanctæ Eadburgæ. Nouariæ, in ſancti Laurentij martyris monaſterio, ſancti Bernardi: qui in canonicorum regularium ordinem adſcriptus, diuinis præluxit uirtutibus.

Decimo

Decimoſexto calendas Iulij. Luna. iiii. F.

27	9	19	1	12	22	4	14	25	7	17	28	10	20	2	13	23	5	15
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Veſontione, in Gallia, beatorum martyrum, Ferreoli presbyteri, et Ferrutionis diaconi: qui, ab ſancto Irenæo epiſcopo ad uerbum Dei diſſeminandum miſſi, Claudij iudicis mandato comprehenſi, ob magnificam, et egregiam in fide prædicanda operam, conſtantemq. confeſſionem, pœnis uarijs cruciati, demum ſecuri feriuntur. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Cyrici, et Iulittæ matris. Ii primum uerberibus acerbiſſime cæſi, poſt, ſupplicijs grauibus horribilem in modum excruciati, eximio fidei teſtimonio nobiles, demum, datis libenter ceruicibus, martyrij curſum confecerunt. Hoc ipſo die, ſanctorum Quadrigentorum, et quatuor martyrum: qui una cum ijs ambobus, eandem fidei confeſſionem libere exprimentes, uaria ſupplicia magno animi robore perpeſſi, coronantur. Moguntiæ, ſanctorum martyrum, Auræi, et Iuſtinæ ſororis: qui ab Hunnis, Germaniam diripientibus, in eccleſia dum precarentur, necati ſunt. Lugduni, ſancti Aureliani epiſcopi, et confeſſoris. Hic Epiſcopus Arelatenſis, diuinis muneribus ornatus, in omniq. epiſcopalis uirtutis genere uigilans, uita ſanctiſſime acta, et epiſcopatu pie adminiſtrato, quieuit in Domino. Nannete, ſancti Similiani epiſcopi, et confeſſoris. In Conſtantienſi diœceſi, Translatio ſanctarum uirginum, Cunegundis, Mechtundis, et Chriſtianæ. Bergis, Translatio, ſanctæ Leuinnæ uirginis, et martyris. 16.

G. Decimoquinto calendas Iulij. Luna.

28 10 20 2 13 25 5 15 26 8 18 29 11 21 3 14 24 6 16
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

17. *Romæ, ſanctorum martyrum, Ducentorum, et ſexaginta duorum: qui, in Diocletinianæ perſecutionis impetu, pro fide necati, uia Salaria ueteri ad cliuum Cucumeris ſepulti ſunt. In Græcia, beatorum martyrum, Manuelis, Sabelis, et Iſmaelis. Ii, in Perſide nati, Chriſtianæ fidei ſacris a uiro religioſo imbuti, ac baptizati, et ad pietatis cultum eruditi, pacis cauſa ad Iulianum Imperatorem mittuntur: cuius mandato ad idolorum ſuperſtitionem aliquando compulſi, id committere, conſtanti animo recuſarunt. Qua perſpecta re, ille, nominis Chriſtiani iniquiſsimus hoſtis, in carcerem eos conijci iubet; qui poſtridie in iudicium producti, nullis Imperatoris blandis ſuaſionibus, nec uero terroribus e gradu pietatis dimouentur: immo uero fidei confeſsionem liberius exprimēdo, primum loris uerberantur; deinde admotis ad latera facibus acerbius excruciantur: quibus, et alijs exquiſitiſsimis tormentis diuexati, non modo non fracti, neque debilitati ſunt; ſed uehementius cæleſti præſidio ad omne ſupplicium roborati, tandē, poſt multas eximiasq. religionis noſtræ confeſsiones, gladio percuſsi, martyrij corona donantur. Viennæ in Gallia, ſancti Auiti epiſcopi, et confeſſoris; rerum pie, ac diuinitus geſtarum, tum doctrinæ gloria nobilis. Eodem die, ſancti Vulmari confeſſoris, admirabili religione, et ſanctitate uiri. Aureliani, ſancti Auiti item presbyteri, et confeſſoris: qui præter cetera, quæ pie mirificeq. diuina uirtute egit, monachum mortuum precibus atque oratione ad uitam reuocauit. Viennæ item, ſancti Domnoli epiſcopi, pietatis admirabili-*

mirabilitate, Gregorio Primo, pontifice, clari. In Pago Biturico, ſancti Gundolphi epiſcopi, et confeſſoris: cuius pietas cum in ceteris religionis officijs, tum in captiuis redimendis, mirifice eluxit. Cremonæ, ſancti Himerij epiſcopi, et confeſſoris.

Decimo quarto calendas Iulij. Luna. xii. A.

29	11	21	3	14	24	6	16	27	9	19	1	12	22	4	15	25	7	17
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, uia Ardeatina, beatiſſimorum martyrum, Marci, et Marcelliani: qui germani fratres, Chriſtianæ religionis cauſa a Fabio iudice, in perſecutione Diocletniana comprehenſi, ad ſtipitem alligati, pedibus clauis confixis, in cruciatu die noctuq. cum diuinas laudes canerent; denique, telis transuerberati, ad martyrij gloriam peruenerunt. Tripoli, ſanctorum martyrum, Leontij, et ſociorum. Pro CHRISTI *gloria, fortiſſimus martyr, Leontius, et diu et crudeliter, Veſpaſiano Cæſare, Adriani præſidis iuſſo uſque adeo cæſus uerberibus eſt, ut in eo cruciatu ſpiritum Deo reddiderit. Eius nobilis martyrij commentarium Cyrus quidam confecit, quem ad eius ſepulcrum depoſuit; ut præclaræ illius uirtutis ac pietatis monimentum perpetuo ad poſteritatem litteris proditum eſſet. Malacæ in Hiſpania, ſanctorum martyrum, Cyriaci, et Paulæ uirginis: qui, multis exhauſtis cruciatibus, ſibi illatis, demum, lapidibus obruti, palmam tulerunt.* 18.

Decimo tertio calendas Iulij. Luna. i. B.

1	12	22	4	15	25	7	17	28	10	20	2	13	23	5	16	26	8	18
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Mediolani, ſanctorum martyrum Geruaſij, et Protaſij. Ii, germani fratres, poſt Vitalis, et Valeriæ parentum marty- 19.

rium, diſtributo in pauperes patrimonio, ſeruos libertate donarunt. A Chriſtiana fide in perſecutione Neroniana eos Anaſtaſius comes uerbis cum dimouere nullo pacto poſſet; iubet Geruaſium tamdiu plumbatis cædi, quoad in cruciatu animam efflaret; Protaſium, fuſtibus contuſum, ſecuri percuti. Rauennæ, ſancti Vrſicini martyris. Is Ligur, medicus egregius, beati Apollinaris ſtudio Chriſtianam religionem amplexus, ad Suetonium Paulinum, Neronis Imperatoris uicarium, quod Christi *fidem coleret, delatus, cum inter pœnas et tormenta Chriſtianum nomen integrum conſeruaſſet; capitis tandem damnatus, dum ad ſupplicium ducebatur, animum demittere uiſus eſt. Cuius metum Vitalis Mediolanenſis, Chriſtianæ religionis cultor, conſpicatus, ſalutari grauiq. oratione hortari cœpit: qua ille magis animatus, magna conſtantia et alacritate martyrium ſubiens, loco, qui palma uocatur, obtruncatus, euolauit in cælum. Apolloniæ, ſancti Zoſimi martyris. Is, Traiano Imperatore, Domitiani præſidis iuſſu, quia Chriſtianus eſſet, comprehenſus, poſt acerbos cruciatus, quos patientiſſima tolerantia ſuſtinuit,* Christi *Domini uirtute roboratus, tandem, præciſo capite, ad martyrij palmam, cuius deſiderio exarſit, diuino munere peruenit. Rauennæ item, ſancti Romualdi confeſſoris. Is, ciuis Rauennas, illuſtri loco natus, Dei munere ad rerum omnium humanarum deſpicientiam inſtructus, repudiata hominum fallacium familiaritate, in cœnobium Claſſenſe ſe contulit; indeq. aliò ad omne pietatis officium progreſſus, inedia, lachrymis, ſolitudine, cuius perpetuo amantiſſimus fuit, religioſum uitæ genus ſecutus, totusq. rerum diuinarum contemplationibus deditus, tres et nonaginta annos natus, multis extructis cœnobijs, et Camaldulenſi inprimis, rebusq. plurimis, mirabiliter, ac diuine geſtis, Petri Damiani*

præclaro

præclaro ſermone concelebratis, ſanctitatis laude clarus, obdor-
miuit in Domino. In Bruxellarum finibus, ſanctæ Alenæ uirgi-
nis, et martyris: quæ, Leuoldi regis filia ſingularis, patris iuſſu,
quoniam dementem illius ſuperſtitionem ſectari nollet, ſæpe cru-
ciata, libenti, gaudentiq. animo pro CHRISTO ſponſo, quem ar-
denter colebat, martyrium obijt. Cuius pater poſt, a cæcitatis tene-
bris ad Euangelij lucem diuino beneficio reuocatus, in Chriſtia- D
nam religionem, abiecto nefario cultu, ſe contulit. Hoc ipſo die,
ſancti Bonifacij martyris. Hic beati Romualdi diſcipulus, pie-
tatis Chriſtianæ propagandæ incenſus ardore, in Ruſiam, facul-
tate impetrata, eo nomine profectus, quàm plurimis ad fidem 12
conuerſis, mirifice profecit: poſtremò, multis exantlatis laboribus,
et exhauſtis cruciatibus, præciſis denique ceruicibus, martyrij aſ-
ſecutus eſt coronam. In Cenomannis, ſancti Innocentij epiſco-
pi, et confeſſoris.

Duodecimo calendas Iulij. Luna. C

2 13 23 5 16 26 8 18 29 11 21 3 14 24 6 17 27 9 19
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Siluerij pontificis, et martyris. Cuius tum do- 20.
ctrina, ſanctitasq. eluxit in exagitandis atque inſectandis hæ-
reticis; tùm conſtantis, uereq. pontificij animi magnitudo perſpe-
cta eſt in tuendo Agapiti iudicio. quare Auguſtæ iuſſu a Beliſa-
rio in exilium pulſus ad inſulam Pontiam, multis incommodis,
breui affectus, quieuit in Domino. Romæ præterea, ſancti No-
uati presbyteri: qui fratrem habuit, Timotheum, etiam presby-
terum, Apoſtolorum, a quibus ipſe quoque fidei doctrina eruditus
eſt, diſcipulum; et ſorores, Pudentianam, et Praxedem, ſacras

Christi uirgines. Tomis, ſanctorum martyrum, Pauli, Cyriaci, Felicis, et Felicianæ. Apud Sagienſes, ſancti Latuini epiſcopi, et confeſſoris: qui, ſecundus illius ciuitatis epiſcopus; illuſtribus uirtutis epiſcopalis exemplis, ad pie agendum ciuium animos excitauit. Eodem die, ſanctæ Florentiæ uirginis.

viii. D. Vndecimo calendas Iulij. Luna.

3 14 24 6 17 27 9 19 1 12 22 4 15 25 7 18 28 10 20

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

21. *Romæ, ſanctæ Demetriæ uirginis: quæ ad Iulianum, acerbiſsimum eccleſiæ Christi hoſtem, perducta, ut de fide reſponderet, in hac conſtanti, egregiaq. confeſsione ſpiritum Deo reddidit. Moguntiæ, ſancti Albani martyris. Is, Diocletiano Imperatore, de inſula Nanſia Mediolanum profectus, inde in Galliam uenit: ubi totus in Dei cultu cum eſſet, martyrium pro Christi gloria, egregie fortiterq. ſubijt. In Cilicia, ſancti Iuliani martyris. Hic a matre, Chriſtiana fœmina, ad Christi cultum eruditus, in diuinisq. ſacrarum litterarũ ſtudijs uerſatus, octauum et decimum annum agens, in iudicium trahitur ad Martianum præſidem, fidei aduerſarium: a quo idolis immolare iuſſus, libera uoce recuſauit. itaque toto corpore primum uarie cæſus, poſt in carcerem truditur. Matrisq. conſilio uſus, cum in fide conſtantiſsime perſiſteret; ſacco, arenarum pleno, cum uenenatis ſerpentibus inſutus, in mare abijcitur. Sicq. præclare coronatus, luculenta beati Chryſoſtomi concione, religioſe celebratur. Eodem die, ſancti Aphrodyſij martyris. Is Cilix, Chriſtianæ religionis colens, capitur: indeq. ad Dionyſium præfectum, a fide auerſum, perductus, Christum uerum Deum eſ-*

Arimini, ubi corpus requiescit celebratur 22. Iunii

ſe, libere profitetur. quam ob rem candentibus laminis aduſtus, poſt in ollam liquato plumbo feruentem conijcitur: tum a feræ teterrimæ obijcitur: a quibus periculis diuina ope ereptus eſt. Itaque, rei admirabilitate perſpecta, multi ſe CHRISTI fidei adiunxerunt: quam libere conſtanterq. datis etiam ceruicibus, profeſſi ſunt. Qua animaduerſa re, præfectus animo ad iracundiam effuſo, ſaxum medium ſecari iubet, quo exciſo martyr, illius mandato, incluſus, ſatellitum ui tandiu arctus, et aſtrictus eſt, quoad animam Deo reddidit. Iconij, ſancti Terentij epiſcopi, et martyris. Apolloniæ, ſancti Marci epiſcopi, et martyris. Syracuſis, beatorũ martyrum, Ruffini, et Martiæ. Papiæ, ſancti Vrciſceni epiſcopi, et confeſſoris: qui pietate, clementia, et miſericordia in epiſcopali munere prælucens, uita ſancte acta, et epiſcopatu ad Dei uoluntatem pie adminiſtrato, quieuit in Domino. Apud Tungrenſes, ſancti Martini epiſcopi, et confeſſoris; in epiſcopali uita ſanctitatis, et miraculorum laude affluentis. Veronæ, ſancti Blaſij epiſcopi, et confeſſoris.

Decimo calendas Iulij. Luna. E.

4	15	25	7	18	28	10	20	2	13	23	5	16	26	8	19	29	11	21	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

Sancti Paulini epiſcopi, et confeſſoris. Hic Nolæ epiſcopus humanis, et diuinis litteris eruditus, multa ſcripſit eleganter, et uerſibus, et ſoluta oratione. Tantæ charitatis ſtudio exarſit, ut, conſumptis rebus omnibus in officio pietatis, ſeipſum in ſeruitutem tradiderit pro redimendo uiduæ filio, quem Vandali captum, in Africam abduxerunt. Romæ, ſanctarum Iulianæ, et Demetriæ uirginum, et martyrum: quæ, ab impijs Arianis pro fide 22.

CHRI-

Christi excruciatæ, dato præclaro catholicæ pietatis teſtimonio, coronantur. Alexandriæ, ſanctorum, Acatij, et decem millium martyrum. Ii, Adriano Imperatore, grauem pro fide pugnam ſuſtinendo, ſumma cum pietatis ac uirtutis Chriſtianæ teſtificatione, palmam acceperunt. In Britannia, ſancti Albani martyris: cui, in Christi fide, quam in multiplici cruciatu palàm profeſſus erat, ualde admodum conſtanti, caput abſciſſum eſt, Diocletiano Imperatore. In Romatiana ciuitate, ſancti Niceæ epiſcopi, et confeſſoris: qui, multis libris conſcriptis, ac uita religioſe acta, ſanctimoniæ, et doctrinæ laude florens, abijt ad Dominum. In monaſterio Cluniacenſi, ſanctæ Conſortiæ uirginis. In Belgio, ſanctæ Ortrudis uirginis.

xvii. F. Nono calendas Iulij. Luna.

5	16	26	8	19	29	11	21	3	14	24	6	17	27	9	20	1	12	22
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

23. *Vigilia ſancti Io. Baptiſtæ. Romæ, ſancti Ioannis presbyteri: cui Iulianus apoſtata ante Solis ſimulacrum, quem colere recuſarat, caput uia Salaria præcidi iuſſit. Eius corpus loco, quem concilia martyrum uocant, a Concordio presbytero ſepultum eſt. In Hetruria, ſancti Felicis presbyteri: cuius os, ac uultum, Turcius præfectus, Valeriano Imperatore, tandiu contundi uoluit, quoad animam exhalaret. In Britannia, ſanctæ Edildridæ uirginis: quæ e patre Rege, uiro admodum religioſo nata, Edmundo Regi nupta, uirginitatem perpetuo coluit, conſentiente uiro. itaque in monaſterium ſeceſſit: ubi uirginum, Deo ſacrarum multitudini cum præeſſet, cæleſtis uitæ, quam imitabatur, exemplis, et diuinis monitis plurimum profuit. Sanctitatis autem laude,*

de, florens uirgo ad meritorum præmium euolauit in cælum. Cuius corpus, pie ſepultum, aliquot poſt annis inuentum eſt incorruptum: quod argumento fuit illius integræ uirginitatis.

Octauo calendas Iulij. Lun. vi. G.

6	17	27	9	20	1	12	22	4	15	25	7	18	28	10	21	2	13	23
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Natiuitas ſancti Io. Baptiſtæ: Cuius et plurimæ, et maximæ laudes, uirtutesq. Euangelicis litteris celebratæ ſunt. Romæ, ſanctæ Luceiæ uirginis, Aceiæ Regis, et uiginti duo martyrum. Apud Pariſienſes, in uico Criſtolio, ſanctorum martyrum, Agoadi, et Agliberti, aliorumq. innumerabilium: qui tum mares, tum fœminæ, una animorum conſenſione, ſupplicia pro CHRISTI gloria tolleranter ſuſtinentes, coronantur. Auguſtoduni, ſancti Simplicij epiſcopi, et confeſſoris. Mechliniæ, ſancti Rumoldi epiſcopi, et martyris: de quo calendis Iulij. 24.

Septimo calendas Iulij. Luna. A.

7	18	28	10	21	2	13	23	5	16	26	8	19	29	11	22	3	14	24
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Beroeæ, ſancti Soſipatris epiſcopi. Is, cum beato Paulo apoſtolo, et fidei uinculo, et generis cognatione coniunctus, unus e ſeptuaginta diſcipulis, Theſſalonicæ epiſcopus conſecratus, prædicationis munus religioſe, uigilanterq. executus, quieuit in Domino. In Meſopotamia, ſanctæ Februniæ uirginis, et martyris: quæ, Diocletiano Imperatore, Sileni præſidis iuſſu, primum fuſtibus uerberata, tum equuleo torta, poſt lateribus aduſtis, lingua abſciſſa, 25.

ſciſſa, conuulſis dentibus, et mammillis, pedibus, manibusq. præciſis, ſecuri poſtremo percuſſa, inſigniter duplici, et uirginitatis, et martirij corona donatur. Alexandriæ, ſancti Galliani martyris: qui beatorum, Ioannis, et Pauli hortatu adductus ad Christi fidem, totus Chriſtianæ pietatis officijs deditus, et peregrinis hoſpitalitatem, et ægris operam ſuam præſtitit: ceteraq. geſſit pie, ac ſancte: cum uero idolis immolare recuſaret, ab Iuliano apoſtata impulſus, ſecuri illius mandato percuſſus, in fidei confeſſione martyr Christi efficitur. Taurini, ſancti Maximi epiſcopi, et confeſſoris: qui diuinarum litterarum accenſus ſtudio, Euangelicisq. uitæ præceptis conformatus, in eo diligẽtiſſimus fuit, ut et uerbo, et exemplo aſſidue populum, ſibi commiſſum, paſceret. Biſuntij, ſancti Antidij epiſcopi, et martyris: qui pro fidei tuendæ ſtudio ab Vandalorum rege necatus eſt. In urbe Regio Lepidi, ſancti Proſperi epiſcopi, et confeſſoris. Hic, genere Aquitanus, beati Leonis Primi, pontificis, notarius, uir admiranda pietate, et ingenio præſtanti, cum uitæ ſanctitate rerum diuinarum ſcientiam coniungens, multas res diuine egit: quarum gloria clarus, ad cæleſte præmium abijt. In diœceſi Mediolanenſi, ſancti Adeodati presbyteri, et confeſſoris.

xiiii. B: Sexto calendas Iulij. Luna.

8	19	29	11	22	3	14	24	6	17	27	9	20	1	12	23	4	15	25
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

26: Romæ, in Cælio monte, ſanctorum martyrum, Ioannis, et Pauli: qui, repudiato Iouis cultu, pro Christo, cui adhæſerant, libenti, gaudentiq. animo in Iuliani perſecutione ceruices dederunt. Tridenti, ſancti Vigilij epiſcopi, et martyris: de quo pridie

pridie calendas Februarij. In Pago Pictauienſi, ſancti Maxentij presbyteri, et confeſſoris: qui miraculis claruit. Cordubæ, ſancti Pelagij martyris. Hic annos tredecim natus, in carcerem, Abdarameni regis iuſſu incluſus, pro Christi confeſſione martyrio, in omnibus Hiſpaniæ eccleſijs admodum celebri, coronatur. Eodem die, ſanctæ Perſeuerandæ uirginis. Pictauij, Translatio ſancti Hilarij epiſcopi.

Quinto calendas Iulij. Luna. iii.C.

9	10	1	12	23	4	15	25	7	18	28	10	21	2	13	24	5	16	26
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

In Gallia, ſancti Creſcentis epiſcopi, et martyris: qui beati Pauli apoſtoli diſcipulus, in Galliam profectus, multos ad fidem perduxit: inde ad urbem Galatiæ, cui epiſcopus præerat, rediens, Christi nomine paſſus, euolauit in cælum. Cordubæ in Hiſpania, ſancti Zoili martyris, et ſociorum decem, et nouem: qui, Diocletiano Imperatore, præclaris pro pietate dimicationibus, inſigniter nobilitati, coronantur. Beati autem Zoili corpus, diu occultum, tandem uiro religioſo, Agapio illius urbis epiſcopo, diuinitus patefactum eſt. Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Anecti martyris. Hic, iam accenſis eiuſdem perſecutionis Diocletinianæ facibus, cæleſti fonte aquæ uitalis, quæ e Christi uentre profluit, tamquam rore aſperſus, ac roboratus, ubi in certamen uenit, nullis, ne exquiſitiſſimis quidem, ſupplicijs de uirtutis Chriſtianæ gradu dimotus, magno animo atque forti martyrium, ad illuſtrandam Christi Domini gloriam inſigne, ſubijt. Apud Varadienſes in Hungaria, ſancti Ladislai regis, confeſſoris: cuius omnibus in rebus ſpectata ſanctitas, uſque in ho- 27.

diernum diem miraculorum claritate elucet. Criſpinij, in diœceſi Cameracenſi, ſancti Adelini confeſſoris: qui beati Landelini diſcipulus, pietatis ſtudijs imbutus, tertiò una cum eo religionis cauſa Romam peregrinatus, cum in prædicationis munere, tum in alijs pie agendi officijs eiuſdem ſocius, atque adiutor, ſanctitatis laude illuſtris, obdormiuit in Domino.

D. Quarto calendas Iulij. Luna.

10	21	2	13	24	5	16	26	8	19	29	11	22	3	14	25	6	17	27
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

28. *Vigilia ſanctorum Apoſtolorum, Petri et Pauli. Romæ, ſancti Leonis pontificis, et confeſſoris. Hic Leo Secundus, pontifex maximus, humanis, et diuinis litteris, latine, græceq. eruditus, ſacros hymnos, et pſalmos in Eccleſia ad meliorem concentum reſtituit: acta ſextæ Synodi, in qua Cyrus, Sergius, et Pirrhus, Monothelitæ hæretici damnati ſunt, comprobauit: Antiſtitum Rauennatum, Sedi apoſtolicæ non obtemperantium, ſuperbiam fregit: egentium, uiduarum, et pupillorum inopiam, ac ſolitudinem non pecunia ſolum, ſed opera, labore, conſilijs, et conſolando ſubleuauit: ſingulos denique non magis hortatu, ac monitis, quàm religioſis uitæ exemplis ad pie, ſancteq. agendum inflammans, menſe ſui pontificatus decimo, quieuit in Domino. Lugduni in Gallia, ſancti Irenæi epiſcopi, et martyris. Is, beati Polycarpi martyris a pueritia diſcipulus, præclaris illius de CHRISTO ſermonibus imbutus, iam ſenex eos memoria tenebat. Lugdunum ab illo miſſus, admirabili uirtute ac diuina omnem ferè ciuitatem ab ſuperſtitionum tenebris ad Euangelij lucem adduxit. Presbyter eccleſiæ Lugdunenſis cum eſſet, Romam ad Eleutherum*

rum

rum pontificem uenit; per litteras a fratribus Galliarum ei plurimum commendatus, egregia cum teſtificatione ſuarum uirtutum. Photino autem epiſcopo, ob CHRISTI fidem coronato, in epiſcopatu Lugdunenſi ſucceſſit: quem ſanctitate, et doctrina præclare geſſit. Libros multos, præter epiſtolas, ſcripſit, unum contra gentiles, qui de ſcientia inſcribitur; alterum de uariarum rerum diſquiſitione; tertium, quo prædicationis apoſtolicæ rationem, et modum exponit; quartum contra Florinum hæreticum; de Paſcha item ad Victorem pontificem; commentarios præterea in aliquot ſacrarum litterarum uolumina. Perſecutionis uero flamma contra chriſtianos per Seuerum Cæſarem accenſa, cum omni fere Lugdunenſi populo, cuius curam epiſcopus gerebat, egregio martyrio coronatus eſt. Alexandriæ in Aegypto, beatorum martyrum, Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Heronicis, Sereni item alterius, Potamiænæ, Marcellæ, et aliarum trium. In ijs Potamiænæ uirginis animi magnitudo eluxit: quæ primum pro uirginali caſtitate tuenda cum grauia certamina, eaq. innumerabilia ſuſtinuiſſet, ac fortiter ſuperaſſet; tum pro CHRISTI fide inauditis cruciata tormentis, demum in ignem poſita, et uirgo, et martyr migrat ad Dominum. In Græcia, ſancti Pappij martyris: qui, Diocletiano, et Miximiano, Imperatoribus, pro CHRISTO, poſt multa, quæ inuicti animi robore ſuſtinuit, ſupplicia, eaq. dictu horrenda, demum datis ceruicibus, coronatur. Cordubæ, ſancti Argymiri monachi, et martyris. Hic, nobili genere natus, ætate iam ingraueſcente, e Cenſoris munere motus, cum monachalem uitam ageret, ad iudicem Arabicum delatus, quòd Mahometem maledictis afficeret, in ergaſtulum incluſus, cum non potuiſſet ullis uerborum blandicijs per eum a CHRISTI fide ad Mahometis inſanias auocari, equuleo ſuſpenſus, gladio

dio tranſuerberatur. Alexandriæ item, Translatio ſanctorum martyrum, Ioannis, et Cyri. Traiecti, ſancti Benigni martyris.

E. Tertio calendas Iulij. Luna.

11	22	3	14	25	6	17	27	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	28
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

29. *Romæ, ſanctorum Apoſtolorum Petri, et Pauli. Ambo Romæ, Nerone Imperatore, eodemq. die martyrium ſubierunt; unus uia Triumphali, inuerſo capite, in crucem actus; alter uia Oſtienſi ſecuri percuſſus eſt. In oppido Argentomaco, ſancti Marcelli martyris: cui pro* CHRISTI *fide, una cum Anaſtaſio, uiro militari, caput abſciſſum eſt. In diœceſi Sennonenſi, ſanctæ Benedictæ uirginis. Narniæ, ſancti Caſsij epiſcopi: cui mos erat, quotidianas hoſtias offerre Deo, ita ut pene nullus dies uitæ eius abſcederet, quo non omnipotenti Deo hoſtiam placationis immolaret. Cui cum ſacrificio ualde etiam concordat uita. nam cuncta, quæ habebat, in eleemoſynis tribuens, cum ad horam offerendi ſacrificij ueniſſet, uelut totus in lacrymis defluens, ſemetipſum cum magna cordis contritione mactabat.*

F. Pridie calendas Iulij. Luna.

12	23	4	15	26	7	18	28	19	21	2	13	24	5	16	27	8	19	29
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

30. *Commemoratio ſancti Pauli Apoſtoli. Romæ, ſanctæ Lucinæ, martyris: quæ matrona Romana nobilis, a beatis Apoſtolis, Petro, et Paulo fidei religione imbuta, ſuſcepto baptiſmo, eos., qui ob fidei confeſsionem in uinculis eſſent, facultatibus ſuis ſuble-*

ſubleuare; eorumdemq. ubi martyrium ſubierunt, corpora in ſepulturam tradere ſtuduit. Quo pietatis officio ſæpe perfuncta, tandem martyrio coronatur, eo loco ſepulta: quem ipſa pro martyrum corporibus ſepeliendis extruxerat. Romæ item, ſanctorum martyrum Corſici presbyteri, et Leonis diaconi. Conſtantinopoli, ſanctorum duodecim Apoſtolorum. Apud Lemouicenſes, ſancti Martialis epiſcopi. Hic unus e ſeptuaginta diſcipulis, a beato Petro, Apoſtolorum Principe, illius ciuitatis epiſcopus conſecratus, prædicationis officium, et litteris, et ſermonibus religioſe ſancteq. executus, quieuit in Domino. Hoc ipſo die, eadem in urbe, ſanctorum, Alpiniani, et Auſtrochiniani, confeſſorum: qui presbyteri, beati Martialis diſcipuli, cæleſti diſciplina imbuti, exempla præbuerunt admirandæ ſanctitatis; quæ diuinitus declarata eſt, multiplici rerum mirabilium ſignificatione. In finibus Viuarienſium, ſancti Oſtiani presbyteri, et confeſſoris. In diœceſi Namurcenſi, ſanctæ Adiliæ uirginis.

IVLIVS.

Calendis Iulij. Lnua. xix. G.

13	24	5	16	27	8	19	29	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

Die I.

OCTAVA ſancti Io. Baptiſtæ. In monte Hor, Aaronis Sacerdotis: cuius acta in diuinis ſacrorum Bibliorum libris leguntur. Viennæ, ſancti Marini epiſcopi, Apoſtolorum diſcipuli: qui, beato Zachariæ martyri in epiſcopatu ſuccedens, cæleſti doctrina, et præcla-

præclara fidei confeſſione eluxit. In legione Auguſta, ſanctorum Iulij, et Aaronis: qui rerum, quas Albanus martyr diuine fortiterq. geſſit, admirabilitate obſtupefacti, falſis dijs repudiatis, Chriſtianæ fidei adhæſerunt: in cuius confeſſione, uirtute admirabili conſtantes, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, martyrium ſtrenue ſubierunt. In Aegypto, ſancti Pambonis monachi, et confeſſoris, uitæ, diuinitus in ſolitudine actæ, laude clari. In diæceſi Lugdunenſi, ſancti Domitiani abbatis; pietate, religione, et ſanctimonia, multis miraculis declarata, eximij. In Gallia, ſancti Theobaldi confeſſoris. Hic, nobili loco natus, ad rerum humanarum deſpicientiam mirifice inſtructus, Vincentiæ, quò ſeceſſerat, in ſolitudine diuinam uiuendi rationem ſecutus, quàm Deo gratus extiterit, miraculorum oſtendit magnitudo. Eius reliquiæ, ad eam prouinciam translatæ, pie reconditæ, religioſe coluntur. In diæceſi Rhemenſi, ſancti Theodorici abbatis, et confeſſoris. Is, beati Remigij diſcipulus, mente animoq. toto, ad res cæleſtes attentus, angelicam in terris uitam expreſſit Euangelicarum uirtutum exemplis. Clodouei Regis filiam mortuam ad uitam precibus reuocauit: eiuſdem oculum ſacro oleo, et ſigno crucis mirabiliter curauit: alia uero multa ſane egit, ob quorum merita ſempiterno perfruitur præmio. Auernis, ſancti Galli epiſcopi, et confeſſoris, uiri admiranda charitate, ſummaq. humilitate, et patientia maxima. Quibus uirtutibus, et ſancte, mirificeq. factis clarus, eccleſia, ſibi concredita, ſeptem et uiginti annis ad Dei uoluntatem adminiſtrata, abijt in cælum. Machliniæ, ſancti Rumoldi epiſcopi, et martyris. Is regio genere natus, regijs ſpretis opibus, religionis cauſa Romam peregrinatus, inde Angeli admonitu Machliniam uenit; quam ad fidei Chriſtianæ diſciplinam inſtituit, et martyrio

rio ſuo conſecrauit octauo calendas Iulij. Quo die cum per beati Io. Baptiſtæ diem natalem, eius martyrium celebrari non poſſit; ex Alexandri Quarti, pontificis maximi, inſtituto, hoc ipſo die illius celebritas anniuerſario diuinarum precum officio, feſtoq. cultu agitur. Aninſulæ, ſancti Carilephi presbyteri, et monachi: cuius res, litteris conſignatæ, indicant expreſſam imaginem ſanctitatis: qua is prælucens, celeſtem in patriam migrauit. Ingoliſmæ, ſancti Eparchij abbatis, et confeſſoris; in oratione aſſidui; erga pauperes mirum in modum benigni; in redimendis captiuis ſumme liberalis; uitæ ſanctiſſimæ et miraculorum gloria clari.

Sexto nonas Iulij. Luna. viii. A.

14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	29	7	18	29	10	21	2
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Viſitatio beatiſſimæ Mariæ uirginis, ad Eliſabeth. Romæ uia Aurelia, ſanctorum Proceſſi, et Martiniani, martyrum: qui a beato Petro, Apoſtolorum Principe, baptizati, in Neroniana perſecutione, equuleo torti, neruis, et fuſtibus cæſi, flammis ſemiuſtulati, tum alijs excruciati ſupplicijs, demum ſecuri feriuntur. Romæ præterea, ſanctorum trium militum, Longini, Megiſti, et Aceſti: qui unà cum beato Paulo Apoſtolo martyrium ſubierunt. Romæ item, ſancti Donati martyris. Apud Turonenſes, ſanctæ Monegundæ: quæ in cellam incluſa, pane hordeaceo contenta, a uino abſtinens, præterquam diebus feſtis, quibus paulum, aqua omnino dilutum, guſtabat; in lectulo, iuncis intexto, ſomnum capiens, tota ſe ab humanis ad cæleſtia cogitatione abducens, ſancte perpetuo uixit, miraculis clara. Vuintoniæ, ſancti Suuithuni epiſcopi, et confeſſoris: cuius ſanctitas, uoluntate 2.

Dei, poſt obitum multis declarata eſt miraculis. totus enim CHRISTI *diſciplinæ deditus, humilitatem et manſuetudinem accurate complexus eſt: ad menſam egentes, ac pauperes adhibuit, non locupletes; pſalmis, et canticis perpetuo intentus, ſæpe pernoctauit: cibo tenui uſus eſt: ſacras ædes, quas multas partim exædificare, partim inſtaurare, magnopere ſtuduit, conſecraturus, non equo uectus, ſed pedibus nudis eò inceſſit. Babembergæ, ſancti Ottonis epiſcopi. Hic, nobili ſtirpe natus, a parentibus ad ueram pietatem eruditus, peruagata illius ſanctitatis in omnes partes fama, Babembergæ epiſcopus creatus eſt: quo in munere ſe religioſe perpetuo geſſit. Ob diuinas eius uirtutes in Pomeraniam accerſitus, ab impuris ſuperſtitionibus ad Euangelium Pomeranos perduxit; tres illius regionis principes baptizauit: idola euertit, aliaq. diuine geſſit, quorum meritis cumulatus, æterna perfruitur gloria.*

B. Quinto nonas Iulij Luna.

15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

3. *Edeſſæ in Meſopotamia, Tranſlatio ſancti Thomæ Apoſtoli: cum ſacrum illius corpus ex India eò delatum eſt. Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Hyacinthi martyris: qui, Traiano Imperatore, Chriſtianæ religionis accuſatus, toto corpore plagis uarie excruciatus, in carcerem conijcitur: ubi aliquot dies ieiunus, ſpiritum Deo reddidit. Cluſij in Hetruria, ſanctorum martyrum, Irenæi diaconi, et Muſtiolæ uirginis. Hæc, Chriſtianæ pietatis inflammata ſtudio, quoniam, qui pro* CHRISTO *in uinculis eſſent, eis cibum ſubminiſtraret, uirgis plumbeis, Aurelia-*

no

no Imperatore, acriter tamdiu cæſa eſt, quoad animam Deo reddidit: ille, quia Felicis presbyteri martyris corpus ſepeliſſet, ungulis ferreis excarnificatus, tum facibus uſtulatus, ardenti fidei confeſſione, migrauit ad cælum. Alexandriæ in Aegypto, beatorum martyrum, Tryphonis, Seuerini, Iuliani, Euphemiæ uirginis, et aliorum duodecim: qui in ea ipſa perſecutione, non tormentorum ui, neque tortorum barbara immanitate a Christi coniunctione diuulſi, ueræ diuinæq. pietatis teſtes, coronantur. In Bituricis, ſancti Lauriani: qui pro Christi nomine in Maximiani perſecutione ſecuri percuſſus, martyrij palmam tulit. Cuius caput, Hiſpalim, ad Hiſpaniam delatum, pia ueneratione colitur. Conſtantinopoli, ſanctorum, Eulogij, Demetrij, martyrum. Ii, Valente Imperatore, Arianæ impietatis propugnatore, ſummis corporis cruciatibus, et nece, præclarum fidei catholicæ teſtimonium dederunt. Altini, ſancti Heliodori epiſcopi, diuinæ ſapientiæ, eloquentiæ admirandæ, et magnæ ſanctitatis laude illuſtris.

Quarto nonas Iulij. Luna. xvi. C.

16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Oſeæ, et Aggæi prophetarum. In Africa, ſancti Iocundiani martyris, in mare deiecti. Sirmij, beatorum martyrum, Innocentij, Sebaſtiæ, et aliorum triginta. Apud Turonenſes, Translatio ſancti Martini epiſcopi, et confeſſoris: quæ a Perpetuo, eorum epiſcopo, mirabiliter celebrata eſt, dedicata etiam cæleſti admonitu illius nomine baſilica hoc ipſo die, quo is aliquot ante annis creatus fuerat epiſcopus. Auguſtæ in Rhetia, ſancti 4.

Vldarici epiſcopi, et confeſſoris. Is a pueritia pie inſtitutus, in omni uita Chriſtianis uirtutibus præluxit. Ubi uero epiſcopale munus ſuſcepit, totus in id incubuit, ut, quem beatus Paulus epiſcopum expreſſit, illum ſanctiſſimis moribus, caſtiſſimaq. religione imitaretur. Hoc habuit proprium, ut perpetuo uerſaretur aut in oratione, aut in diuinarum rerum ſtudio, ſacrorumq. librorum lectione. Abſtinentia magna fuit, et admirabili: carnibus non ueſcebatur: humi cubabat, ſago ſtrato: in menſa pauperes conuiuas adhibuit; quorum multitudinem et pauit, et ueſtiuit: quotidie Miſſæ ſacrum fecit: crebro diæceſim ſuam obiuit, quam ad omne pietatis officium erudiuit: peregrinatus ſemel atque iterum Romam, inde ſacras reliquias pie detulit. His atque alijs, religioſe, et ſanctè factis, miraculisq. multis clarus, tertium, et octuageſimnm annum agens, quieuit in Domino.

v. D. Tertio nonas Iulij. Luna.

17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

5. *Romæ, ſanctæ Zoæ martyris: quæ ad ſancti Petri confeſſionē orans, in Diocletianianæ perſecutionis impetu, ab Chriſtianæ fidei hoſtibus capta, ad Naumachiæ præfectum trahitur: cuius mandato in tenebricoſum carcerem detruſa; poſt, inde educta, in arbore quadam capillis ſuſpenſa, ſubiecto tetro fumo, animam Deo reddidit. In Syria, ſancti Domitij martyris: qui uirtutibus ſuis multa incolis præſtat beneficia. In Sicilia, ſanctorum martyrū, Agathonis, et Triphinæ. Thomis in Ponto, ſanctorum Marini, Theodoti, et Sodephæ, martyrū. Cantuariæ in Anglia, ſancti Anſelmi epiſcopi, et confeſſoris, doctrinæ laude celebris, Pa-*

ſchali

ſchali Secundo pontifice. Cluniaci, ſancti Vgonis abbatis, et confeſſoris; qui, Leone nono pontifice, Remenſi concilio interfuit.

Pridie nonas Iulij. Luna. E.

18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Octaua Apoſtolorum Petri, et Pauli. Hieroſolymæ, Eſaiæ 6.
prophetæ: qui ciuis Hieroſolymitanus, in tribu Iuda, ex patre Amoz, nobili uiro natus, prophetiarum librum, diuino ſpiritu afflatus, ſcripſit, et pronunciauit: quo libro de CHRISTI Domini aduentu, incarnatione, miraculis, prædicatione, uita, paſſione, morte, reſurrectione, in cælos aſcenſu, et gloria, tot teſtimonia, eaq. ita præclara, atque adeo illuſtria protulit, ut ſanctorum patrum, Hieronymi, et Auguſtini ſententia non de rebus futuris uaticinari, ſed rerum iam geſtarum hiſtoricam contexere, Euangeliſtaq. potius, quam prophetæ partes explere, uideatur. Dum in hac uita fuit, corpus multis ſæpe incommodis, laboribusq. afflictauit: tres annos pedibus nudis inceſſit. Demum Manaſſis, Regis impij, iuſſu, ad piſcinam Siloe, ſerra lignea diſſectus, obijt ſub quercu, quam Rogel dicunt. Romæ, ſancti Tranquillini martyris. Hic, beati Sebaſtiani martyris hortatu, fidem ample-
xus, et ab ſancto Polycarpo presbytero baptizatus, dum ad beati 7.
Pauli Apoſtoli confeſſionem octauo martyrij die oraret, ab inimicis fidei comprehenſus, lapidibus obrutus, cæleſtem palmam adipiſcitur. Feſulis in Hetruria, ſancti Romuli epiſcopi, et martyris. Is, beati Petri, Apoſtolorum principis, diſcipulus, Feſularum primus, Bergomi tertius epiſcopus, Feſulanos CHRISTI ſacris imbuit; deinde, Brixiæ, alijsq. locis diſſeminato Euangelio,

et

et diuine, mirificeq. geſtis rebus, cùm magnam multitudinem hominum ad fidem conuertiſſet, Angeli admonitu Feſulas rediјt: ubi pro Christi *gloria, Domitiano Imperatore, martyrio coronatus eſt. In Campania, ſanctæ Dominicæ uirginis, et martyris: quæ, Diocletiano Imperatore, præ fidei ſtudio falſorum* DEorum *ſimulacra cum effregiſſet; ob eam cauſam comprehenſa, flammis cruciatur, tum beſtijs obijcitur. E quibus periculis magna cum admiratione ſpectantium, diuino auxilio liberata, demum ſumma diuinæ religionis conſtantia, datis ceruicibus, ex hac uita migrauit ad Dominum. Eius corpus, Tropeæ in Calabria, pia ueneratione aſſeruatur. In Pago Treuerenſi, ſancti Goaris presbyteri, et confeſſoris: qui in prouincia Aquitania ortus, uſque a puero religioſe uerum Deum coluit. deinde presbyter factus, parentibus relictis, in Treuerorum diœceſim profectus, reliquam omnem ætatem in caſtiſſimo Dei cultu ſancte, pieq. con ſumpſit. In Britannia, ſanctæ Sexburgæ uiduæ. In Græcia, ſancti Athanaſij monachi.*

xiii. F. **Nonis Iulij.** **Luna.**

19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	q	q	r	ſ	t

7. *Romæ, beatorum martyrum, Nicoſtrati, Claudij, Caſtorij, Victorini, et Symphoriani. Quos, a ſancto Sebaſtiano in fide inſtructos, beatus Polycarpus presbyter baptizauit. Eoſdem, in conquirendis martyrum corporibus occupatos, Fabianus iudex comprendi iubet: cumq. nec uerborum blanditijs, neque uero uerberibus a fide abducere poſſet, illos tertiò torqueri, ac in mare præcipites deijci imperauit. Dyrachij, ſanctorum martyrum, Peregrini,*

regrini, Luciani, Pompeij, Heſychij, Papij, Saturnini, et Germani: qui Itali homines, ob grauiſsimam, quam Traianus Cæſar excitarat, perſecutionem, ad eam urbem profecti, cum epiſcopum pro fide CHRISTI cruciatum, et ſuſpenſum cernerent, eumq. beatum prædicarent; à præſidis apparitoribus comprehenſi, ſéq. Chriſtianos eſſe palam liberaq. uoce profeſsi, ad illum perducuntur: cuius mandato in mare Adriaticum deiecti, martyrio coronantur. Alexandriæ, ſancti Panteni, beati Marci Euangeliſtæ diſcipuli. Is, Stoicorum diſciplina, omniq. politiori doctrina excellens, ardenti in primis ſacræ ſcripturæ accenſus ſtudio, tantum diligentiæ laborisq. in illa propaganda poſuiſſe fertur, ut gentibus, Orientem incolentibus, præco Euangelij conſtitutus, ad Indorum uſque regiones ſe contulerit; multumq. in eo munere profecerit. Ob recte autem eius facta, et uirtutes eximias, tandem ſcholæ Alexandrinæ, quam doctrinæ Chriſtianæ cauſa beatus Euangeliſta Marcus inſtituerat, præficitur: qui tum ſermone coram, tum ſcriptis, diuinorum inſtitutorum, et religionis tamquam theſauros hominibus propoſuit. Alexandriæ item, beatorum martyrum, Parnieni, Heraclij, Heliæ, Apollonij, Anouij, et aliorum nouem, ac decem. Brixiæ, ſancti Apollonij epiſcopi: cuius pie facta, et uita, Euangelij inſtitutis, ac præceptis conformata, et admirandæ, diuinæq. actiones, a Fauſtino Septimo, Brixiæ epiſcopo, litterarum monimentis primum conſignantur. Treueris, ſancti Nauiti epiſcopi, et martyris. Hic, regia ſtirpe natus, beati Materni epiſcopi auditor, et diſcipulus, apud Tungaros religioſa pietate, magnificoq. opere Eccleſiam beatiſsimæ MARIAE uirgini, Dei genitrici exædificauit: proq. CHRISTI gloria, ac pro populi commiſsi ſalute cum alia præterea egit: tum denique martyrium obijt. Hoc ipſo die, ſancti Vilibaldi

baldi

baldi epiſcopi, et confeſſoris. Cantuariæ, in Anglia, Translatio ſancti Thomæ epiſcopi, et martyris. Aruernis, ſancti Illidij epiſcopi, et confeſſoris: cuius multa diuina miracula narrantur.

ii. G. Octauo idus Iulij. Luna.

20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

8. *In Africa minori, ſanctorum, Aquilæ, et Priſcillæ coniugis: qui ambo cum in ſanctorum miniſterio diu laboraſſent; pie factorum meritis, quæ multa a beato Chryſoſtomo laudibus celebrantur, cumulati, quieuerunt in Domino. Cæſareæ in Paleſtina, ſancti Procopij martyris. Hic ante, quam carceris ſatis magnum feciſſet periculum, ſtatim a primo ingreſſu cum in iudicio coram præſidibus ſiſteretur; et ei imperatum eſſet, ut dijs eorum immolaret, unum ſolum Deum ſe ſcire dixit; cui, ſicut ab eo ipſo præceptum eſt, ſoli eſſet ſacrificandum. De fide igitur conſtanter perpetuo reſpondens, Fabiani iudicis mandato, in perſecutione Diocletiniana, ſecuri percuſſus, euolat ad cæleſte præmium. Heliopoli, ſancti Cyrilli diaconi martyris. Conſtantinopoli ſancti Pauli martyris: cuius corpus, demum Venetias translatum, in baſilica ſancti Georgij pia ueneratione aſſeruatum, colitur. Niceæ in Bithinia, beatorum martyrum, Soſtrati, Heraclij, Primolij, Quarti, et Cilliani. Coloniæ, ſancti Kyliani, de quo item alio loco narratum eſt, et duorum ſociorum martyrum, Colomanni presbyteri, et Iornani diaconi. Qui ab Hibernia profecti, Christi nomen prædicantes, Goberti cuiuſdam iudicis mandato contrucidati, multis poſtea rebus admirabiliter claruerunt. Mediolani, ſancti Ampellij epiſcopi: cuius eluxit ſanctitas*

tum

tum in religioſe factis, tum in miraculis, ad eius ſepulcrum diuine editis. Auguſtæ Viromandorum, Inuentio ſancti Quintini martyris.

3 Septimo idus Iulij. Luna. A.

21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Zenonis martyris, et aliorum decem millium, et ducentorum trium: qui uarijs torti cruciatibus, CHRISTO Domino gloriam tribuentes, ad martyrij gloriam migrant in cælum. Tauromeniæ, ſancti Pancratij epiſcopi, et martyris. Is, ciuis Antiochenus, a beato Petro Apoſtolo fidei ſacris inſtitutus, et baptizatus, ab eodem illius urbis epiſcopus conſecratur. Dum autem Euangelij prædicatione perfungitur; multis ad fidem perductis, demum martyrio coronatur. Gortynæ, ſancti Cyrilli epiſcopi. Is, Diocletiano Imperatore, in ignem iniectus, flammis non læditur: cuius rei admirabilitate obſtupefactus iudex, illum dimitti iubet. at is rurſus illo ſupplicio non deterritus, cum CHRISTI fidem conſtanter prædicare pergeret, capite plectitur. Tyri, ſanctorum martyrum, Anatholiæ, et Audacis. Hic, ut primum in carcerem detruſus eſt, Decio Imperatore, ſecuri percutitur: illa multiplici uarioq. cruciatu affecta, denique, dum orat, gladio tranſuerberatur. Martulæ, ſancti Brixij epiſcopi, et confeſſoris: qui pro nomine CHRISTI multa perpeſſus, a propoſito non modo non deterritus, ſed Angeli admonitu magnopere confirmatus, prædicatione, et exemplo cum magnam populi multitudinem fidei Chriſtianæ adiunxiſſet, tandem quieuit in Domino. Apud Sennones, ſancti Pauli epiſcopi, et confeſſoris.

9.

3. Aprilis

B. Sexto idus Iulij. Luna.

22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

10. *Romæ, ſanctorum martyrum, Ianuarij, Felicis, Philippi, Siluani, Alexandri, Vitalis, et Martialis: qui ſeptem fratres, ſanctæ Felicitatis filij in perſecutione Antonini, a Publio præfecto primum blanditijs, deinde terroribus tentati, ut, Christi fide repudiata, idolis cultum tribuerent; et ſua uirtute, et matris cohortationibus, in fidei confeſſione conſtantes, uarie necati ſunt. Romæ item, ſanctarum uirginum, Rufinæ, et Secundæ, ſororum: quæ, perſecutione contra fideles excitata iuſſu Valeriani, et Gallieni, Imperatorum, tormentis exquiſitis, et præclara fidei confeſſione illuſtres, demum ſuperata aduerſarij nequitia, colliſo capite una, et altera ceruicibus abſciſſis, inſigniter ambæ coronatæ ſunt. Synope in Ponto, ſancti Phocæ epiſcopi, et martyris. Is, diuino conſilio, Synopenſium urbis epiſcopus factus; epiſcopali munere diuine etiam perfunctus, Traiano Imperatore, pro Christo necatur: cuius ſacræ reliquiæ Viennam in Galliam delatæ, in baſilica ſanctorum Apoſtolorum reconditæ, pie coluntur. In Africa beatorum martyrum, Ianuarij, Marini, Naboris, et Felicis: quibus, immolare recuſantibus, ac pro fide concertantibus, capita ab hoſtibus religionis Chriſtianæ præciduntur. Nicopoli, in Armenia, ſanctorum martyrum, Leontij, Mauricij, Danielis, Antonij, et aliorum: qui illius urbis primarij ciues, quia fide, et pietate, quam palàm profeſſi ſunt, Christo Iesv adhæreſcerent, Licinio rege, uarijs diuerſiſq. tormentis Lyſij præfecti mandato grauiter excruciati, tandem in ignem coniecti, egregij martyrij*

curſum

curſum confecerunt. In Pyſidia, ſanctorum, Vianoris, et Siluani, martyrum. Accuſatus Chriſtianæ religionis Vianor, in iudicium trahitur ad Seuerianum præſidem: cuius iuſſu primum ligno appenſus, uerberibus afficitur; tum pilis igneis aduritur; auribus etiam præciſis, et conuulſis dentibus. cuius admiranda in omni cruciatu ſpectata tolerantia, Siluanus, CHRISTI fidem amplexus, libereq. confeſſus, ſtatim poſt linguæ abſciſſionem, ſecuri percutitur. Beatus autem martyr Vianor, cruciatuum uſu, uelut contritu, fidentior cum euaſerit; nouis plagarum generibus non deterritus, libenti animo graditur ad martyrium. itaque, perforatis talis, oculo dextro eruto, capitis cute excarnificata, abſciſſis ceruicibus, magna diuinæ pietatis teſtificatione, ad cæleſte præmium abit. Gandaui, ſanctæ Amalbergæ uirginis. Binchij in Belgis, ſanctæ Amalbergæ item, uiduæ.

Quinto idus Iulij. Luna. C.

23 4 18 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Pij pontificis, et martyris. Hic ciuis Aquileienſis, Rufino patre natus, uir doctus, atque eruditus, Marco Antonino Imperatore, pontificatum geſſit. De Paſchæ celebritate, cum ſumma diu extitiſſet contentio, multis ea de re habitis ſynodis, ſtatuit die Dominico illud in omni Eccleſia celebrari: qua de re epiſtolam conſcripſit ad uniuerſos CHRISTI fideles. Pœnam conſtituit in Sacerdotem, cuius negligentia aliquid de ſanguine Domini ſtillauerit: Beatæ Praxedis rogatu, thermas Nouati in uico Patritij eccleſiam conſecrauit, multisq. donis auxit, atque ornauit. Qua in eccleſia Baptiſmi fontem conſtituit: ubi multos 11.

baptizauit. Alia præterea multa et egit, et ſanciuit: quæ utiliter, pieq. decreta, ad Chriſtianæ diſciplinæ laudem inſignia ſunt. Demum pontificatu undecim annis, et amplius ſanctiſsime adminiſtrato, ordinationibus quinquies menſe Decembri de more habitis, pro CHRISTI *gloria, cui ſeruire ſtuduit, martyrio coronatur. Romæ itē, beatorum martyrum, Stephani, et Leontij. Nicopoli in Armenia, ſanctorū, Ianuarij, et Pelagiæ, martyrum: qui equuleo primum torti, deinde ferreis unguibus dilaniati, tum teſtarum fragmentis quatriduo cruciati, ſingulari animi tollerātia cum aduerſarium prorſus confuderint, egregia uictoria nobiles, cæleſti corona redimiti ſunt. In diœceſi Sennonenſi, ſancti Sidronij martyris et aliorum. In Africa, ſancti Maturiani martyris. Hic, in perſecutione Vandalica, pro fide catholica, certamine ſuſcepto, uictor coronam accepit. Bergomi, ſancti Ioannis epiſcopi, et martyris: qui ob doctrinam, et ſanctitatem, a regibus, et principibus, ſingulari honore affectus, pro fide, et religione ab Arianis iniurioſius tractatus, denique occiſus, in Eccleſia cathedrali a pijs honorifice ſepultus, diuina miraculorum uirtute eluceſcit. Cordubæ in Hiſpania, ſancti Abundij presbyteri, et martyris. Is, in Arabica perſecutione, gentilium fraude ad martyrium perductus, ex deſiderio æternæ gloriæ, ad quā omni pietate aſpirabat, conſolatione effectus, libenti animo illud ſubijt, teſtimonio fidei Chriſtianæ dato, Mahumeticæq. rurſus ſuperſtitionis ſcelere grauiter exagitato. Rauennæ, ſancti Dathi epiſcopi, et confeſſoris: qui ab Spiritu ſancto per columbam Rauennatium epiſcopus declaratus, nouem annis cum illi eccleſiæ præfuiſſet, ut uultus ſplendore cæleſti, ſic ſancte factorum claritate eluſceſcens, obijt in Domino. In diœceſi Pictauienſi, ſancti Sabini confeſſoris. Apud Treueros, ſancti Hidulphi epiſcopi, et confeſſoris. Vuibergæ in Dacia, ſancti Ketilli confeſſoris.*

ris. In Floriaco monaſterio, Translatio ſancti Benedicti abbatis. Hoc ipſo die, Inuentio ſanctæ Euphemiæ uirginis.

Quarto idus Iulij. Luna. xviii. D.

24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sanctorum, Naboris, et Felicis, martyrum. Quo tempore 12.
Mediolani Maximianus erat: ij apud illum Chriſtianæ religionis accuſati, per aliquot dies in carcere incluſi, nullis ſuaſionibus cum ad idolorum cultum adigi poſſent, fuſtibus ambo cæduntur. Deinde Nabor ſolus, ſpectante Felice, primum equuleo tortus, poſt laminis candentibus ſemiuſtulatus, tum excarnificatus eſt ferreis unguibus. Quo omni cruciatu fortiter ſuperato, is, et una Felix, in ignem poſiti, inde diuinitus erepti, incolumes euaſerunt. Rurſus autem in carcerem detruſi, aliquot poſt diebus, inde cathenis uincti, Laudem Pompeiam ducuntur: ubi, tentata iterum eorum conſtantia, cum in fidei confeſſione perſeuerarent, ſecuri percuſſi, præclarum Christo *Domino teſtimonium dederunt. In Cypro, ſancti Iaſonis epiſcopi: qui unus fuit e ſeptuaginta diſcipulis Domini. Aquileiæ, ſancti Hermagoræ epiſcopi, et martyris. Hic, beati Marci Euangeliſtæ diſcipulus, et fidei doctrina, et diuina miraculorum uirtute multis nationibus, ab impietate ad Dei cultũ perductis, multiplici ſuppliciorũ genere affectus, tandẽ una cum Fortunato diacono, capite plectitur pro* Christi *fide. Lucæ in Hetruria, ſancti Paulini: qui uiri conſularis filius, Tuſcus, apoſtolorum diſcipulus, ad* Christi *fidem conuerſus, primus, illius ciuitatis epiſcopus, in Neronis perſecutione, uarie acriterq. cruciatus, martyrij denique palmam aſſecutus eſt. In Græ-*

cia,

cia, ſanctorum, Procli, et Hilarionis, martyrum. Primo Proclus, Traiano Imperatore comprehenſus, in iudicio ſiſtitur: fidemq. apud Maximum præfectum libere profeſſus, illius iuſſu ſtatim facibus in humeris et uentre aduritur; poſt, ſaxo pedibus alligato, ſublimis appenditur; deinde telis denſiſsimis uulneratur: quibus confectus abijt ad Dominum. Deinde Hilario, poſt uarios in fidei confeſsione cruciatus, tandem, datis ceruicibus, coronatur. Lugduni, ſancti Viuencioli epiſcopi, et confeſſoris: qui in epiſcopali munere pietate prælucens, Epaunenſi concilio interfuit; ſancteq. factorum laude illuſtris, quieuit in Domino. Paſsiniani in finibus Florentinorum, ſancti Ioannis Gualberti confeſſoris: qui rerum humanarum deſpicientia, et magnitudine pietatis excellens, Vallis umbroſæ ordinem inſtituit. Cuius uiri ſanctitate, quæ et multis miraculis ſpectata eſt, et in religioſe pieq. factis mirifice eluxit, cognita, Cæleſtinus Tertius, pontifex maximus, illum in ſanctos retulit.

vii. E. Tertio idus Iulij. Luna.

25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

13. *Romæ, ſancti Anacleti pontificis, et martyris. Hic, beati Petri, Apoſtolorum principis, diſcipulus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter, deinde pontifex creatus, ſacroſanctis inſtitutis eccleſiam auxit. Ingraueſcente autem perſecutione, quam Domitianus Imperator excitarat, cum nonnulli, qui (CHRISTO Domino adhæſerant, periculorum metu debilitati, a fide deſciſcere cogitarent; is, epiſtola ad omnes Eccleſias data, uſque adeo illos confirmauit, ut res Chriſtiana longe, lateq. propagaretur. Quare*

uerius

uẽritus Imperator, ne inde Imperij Romani amplitudo detrimenti aliquid caperet, crudelitatem, eamq. grauiſſimam in Chriſtianos exercuit. quo factum eſt, ut ingens fidelium multitudo martyrium ſubierit. In qua acerbiſſima perſecutione Anacletus, Domitiani iuſſu comprehenſus, martyrio coronatur. Hoc ipſo die, Ioëlis, et Eſdræ prophetarum. In Macedonia, ſancti Sylæ epiſcopi. Hic unus e ſeptuaginta, CHRISTI diſcipulis, beatorum, Pauli, et Barnabæ, Apoſtolorum ſocius, ab ſancto Petro Corinthiorum epiſcopus conſecratus, prædicationis munere, aſſidue perfunctus, in maximis cruciatibus teſtimonium pietatis ſuæ, et gloriam CHRISTO Domino tribuit. Alexandriæ, beatorum martyrum, Serapionis, Agathonis, et Arſenij: qui in Deciana perſecutione, ob egregiam in fidei confeſſione conſtantiam inſigniter corona donati ſunt. In Africa, ſanctorum confeſſorum, Euſebij epiſcopi Carthaginenſis, et ſociorum. Is, Hunerico, Vandalorum Rege, et clerus uniuerſus, et lectores, pueri circiter quingenti, uerberibus, atque inedia pene confecti pro CHRISTI fide in exilium pelluntur. In ijs erant, Soter archidiaconus, et Murita Sacerdos, perſeuerantiæ laude maxime illuſtres. In Britannia minori, ſancti Turriani epiſcopi, et confeſſoris, miræ ſimplicitatis, et innocentiæ uiri.

Pridie idus Iulij. Luna. F

26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Euſtathij Bonauenturæ confeſſoris. Hic penè puer in 14.
ordinem fratrum minorum beati Franciſci adſcriptus, doctrina admirabili, et uitæ ſanctimonia clarus, cæleſtem in patriam abijt,

abijt, dum in concilio Lugdunenſi adeſſet, multis libris pie, doctèq. conſcriptis, et rebus mirabiliter ac diuinitus geſtis: quibus cognitis, Xyſtus Quartus, pontifex maximus, eum retulit in numerum ſanctorum. Alexandriæ, ſancti Heraclæ epiſcopi, magno doctrinæ nomine, et celebritate uiri: cuius fama Africanus, rei eccleſiaſticæ nobilis ſcriptor, ductus, ad eum aliquando Alexandriam ſe contulit. Nouocomi, ſancti Felicis epiſcopi: qui, magna diuinæ pietatis teſtificatione, primus illi ciuitati epiſcopus præfuit. Brixiæ, ſancti Optatiani epiſcopi, pie factorum laude inſignis. Treueris, ſancti Iuſti confeſſoris. Truncinij ad Gandauum, ſancti Baſini martyris. Dauentriæ in Belgis, ſancti Marchelmi presbyteri, et confeſſoris: qui, admirandis uirtutibus eximius, ſexaginta quinque annis in prædicationis officio aſſidue religioſeq. uerſatus, multos populos fidei Chriſtianæ diuinitus adiunxit. In Hasbania, Inuentio ſancti Liberti martyris; meritorum magnitudine, uitæq. cæleſtis gloria clariſſimi.

xv. G. **Idibus Iulij.** Luna.

27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

15. *Romæ, in Portu, beatorum martyrum, Eutropij, Zoſimæ, et Bonoſæ, ſororum. Alexandriæ, ſanctorum, Philippi Zenonis, Narſei, et infantum decem martyrum. Carthagine, ſanctorum martyrum, Florentij, Catalini diaconi, Ianuarij, Iulij, et Iuſtæ: qui in Baſilica Fauſtiniana reconditi ſunt. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Iulittæ, et Quirici: de quibus decimo ſexto calendas Iulij. Niſibi, ſancti Iacobi epiſcopi: qui cum multa alia miracula diuine edidit; tum mortuos ad uitam reuocauit:*

in Niceno

in Niceno autem concilio primo, omni ſanctitatis claritate ſplendeſcens, ad retundendam Arianorum improbitatem mirifice ualuit. Papiæ, ſancti Felicis epiſcopi, et martyris.

Decimo ſeptimo calen. Auguſti. Luna. iiii. A.

28 9 20 1 11 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum martyrum, Pauli, Dionyſij, et Theoduli. 16.
Romæ item, ſancti Leonis Quarti, pontificis. Hic, ciuis Romanus, e patre Rodulpho natus, uir in omni uita, religionis, pietatis, morum caſtitatis, eleemoſynarum liberalitatis, doctrinæq. eccleſiaſticæ laude florens, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis, Sergio Secundo mortuo, in eius locum pontifex renunciatur. Cuius ſanctitate, in omnes partes peruulgata, adductus, rex Angliæ, Adelolphus una cum filio Romam uenit: regnumq. ſuum tributarium Eccleſiæ Romanæ conſtituit, ſingulis familijs, nummo aureo in ſingulos annos obligatis. Pontificatum inuitus ſuſcepit; at geſſit ſumma cum teſtificatione cæleſtium uirtutum ſuarum. Eccleſiaſticam diſciplinam, pene collapſam reſtituit: concilium in Laterano habuit, in quo antiqua pontificum decreta de conformando rei Chriſtianæ ſtatu renouauit: pauperes, pupillos, et uiduas, omni charitatis officio mirifice ſubſtentauit: Clero congiarium dedit: beatorum Apoſtolorum Petri, et Pauli baſilicas nouis ornamentis coboneſtauit: Vaticanam multis præſtantiſsimis donarijs cumulauit: Lateranenſi crucem Caroli magni nobilem, ex puriſsimo auro, gemmisq. pretioſis refectam, reſtituit: ſanctorum martyrum cœmiteria inſtaurauit: Xenodochia, et monaſteria reſarciuit, Eccleſias exornauit, atque cenſu

auxit: ſacras reliquias inuenit; eaſq. pie et honorifice recondidit: Vaticanum contra Sarracenorũ impreſſiones muris lapideis muniuit: eoſdem per milites, quos diuinis precationibus ad prælium inſtruxerat, clade incredibili affecit; ignem, Romæ accenſum, oratione mirabiliter reſtinxit: a baſiliſci ſerpentis tetra peſte urbem diuinitus liberauit: de beatis Apoſtolis orationes, quibus Eccleſia utitur, pie conſcripſit: Feſti aſſumptionis ſanctiſſimæ MARIAE *uirginis octauam celebrari decreuit. His, atque alijs multis religioſe actis, in quibus mirabiliter eius ſanctimonia ſplendeſcit, et pontificatu octo annis præclare geſto, meritis cumulatus, abijt in cælum. Bergomi, ſancti Domnionis martyris: qui beati Alexandri martyris ſtudio ad* CHRISTI *fidem conuerſus, Maximiano, nominis Chriſtiani aduerſario, illam per uarios cruciatus ardenti confeſſione, liberaq. uoce exprimens, tandem datis ceruicibus, ſanguine comprobauit. Sebaſtæ, ſancti Athenogenis epiſcopi et martyris. Hic, Diocletiano Imperatore, ob fidei cultum a Philomarco præſide comprehenſus, multiplici tormentorum genere affectus, demum ſecuri percuſſus, ad martyrij palmam peruenit. In Græcia, ſancti Abudimi martyris: qui, in eadem perſecutione captus, ab idolorum ſuperſtitione auerſus, cum neque uerborum, ad quæ infligenda ſatellites nouem adhibiti ſunt, immanitate, neque alio cruciatu, a fidei Chriſtianæ propoſito amoueri potuerit, denique, in ſumma conſtantia, ſecuri feritur. Hoc ipſo die, ſancti Fauſti martyris. Hic, in perſecutione Deciana, ob* CHRISTI *religionem in cuſtodiam incluſus, libere confeſſus, ſe Chriſtianum eſſe, cruci affigitur: in qua telis confoſſus, ſpiritum Deo reddidit. Antiochiæ in Syria, ſancti Eugenij epiſcopi, et confeſſoris: qui pro catholica fide, Conſtantio Imperatore, Arianæ ſectæ ſtudioſo, Traianopolim in exilium extruſus, quieuit in*

Domi-

Domino. In Oſtia, ſancti Hilarini monachi. Hic, excitato per Iulianum apoſtatam perſecutionis incendio, cum idola uenerari recuſaret, fuſtibus cæſus, conſtanter martyrium obijt. Cordubæ in Hiſpania, ſancti Siſennadi martyris. Is diaconus, totus CHRISTI *diſciplinæ deditus, in perſecutione Arabica, pro* CHRISTI *nomine cum in uinculis eſſet, diuina animi præſenſione, martyrij ſui diem præuidit: ad quod cæleſti præſidio confirmatus, non lictorum immani uociferatione, neque tyrannico cruciatu perterrefactus, ad iudicem producitur: cuius iuſſu, præclaræ neci obiectus, coronatur. Mediolani, ſanctæ Marcellinæ uirginis: quæ, beati Ambroſij epiſcopi ſoror, pie educata, in uirginali, ſanctaq. uita, cæleſtibus affluxit uirtutibus. Treueris, ſancti Valentini epiſcopi, et confeſſoris. Traiecti, ſanctorum confeſſorum, Monulphi, et Gondulphi epiſcoporum.*

Decimoſexto calen. Auguſti. Luna: B.

19 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Alexij confeſſoris. Hic Romanus, genere nobilis, pietatis, et religionis laude nobilior, ſuſcepta ad multas Eccleſias peregrinatione, diu ignotus, demum Edeſſæ diuinitus eius nomine diuulgato, inde Romam appulit: ubi tanquam peregrinus a patre hoſpitio exceptus, diu omnibus incognitus, a ſeruis ſæpe iniurioſius tractatur: admiranda tolerantia cum eſſet, omnia tulit patienter. cuius ſanctitas poſt a Deo multis declarata eſt miraculis. Carthagine, beatorum martyrum Scillitanorum, Sperati, Nartali, Cythini, Beturij, Felicis, Aquilini, Letatij, Ianuariæ, Generoſæ, Beſſiæ, Secundæ, Donatæ: qui fidei ardore in- 17.

flammati, poſt primã confeſſionem CHRISTI. *in carcerem Saturnini præfecti mandato coniecti, et ligno confixi, mane gladio percuſſi ſunt. Eorum reliquiæ, cum oſsibus ſancti Cypriani martyris, et capite beati martyris Pantaleonis Lugdunum delatæ, in ſancti Ioannis Baptiſtæ eccleſia religioſe coluntur. Hiſpali, in Hiſpania, ſanctarum, Iuſtæ, et Ruffinæ, uirginum, ac martyrum: de quibus infra ad decimum quartum calendas Auguſti. In Achaia ſanctæ Marinæ uirginis: quæ diuinis uirtutibus decorata, et clara miraculis, abijt ad Dominum. Papiæ, ſancti Euodij epiſcopi: qui doctrinæ præſtantia, et diuino ingenio uir, ab Hormiſda pontifice Conſtantinopolim legatus mittitur: de populi autem Papienſis ſalute ſollicitus, diuites in officio pietatis continuit; pauperes et conſilio, et conſolando, et re adiuuit; aberrantes in uiam reuocauit; omnes denique ad ſancte agendi ſtudium accẽdit uirtutum ſuarum admirabilium exemplis: quibus clarus euolauit in cælum. Antiſiodori, ſancti Theodoſij epiſcopi, et confeſſoris: qui, Bonifacio Secundo pontifice, ſancte factorum ſplendore prælucens, Aurelianenſi primo concilio interfuit.*

xii. C. Decimo quinto calen. Auguſti. Luna.

30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

18. *Tiburi, ſanctæ Symphoroſæ, et ſeptem filiorum martyrum, Creſcentis, Iuliani, Nemeſij, Primitiui, Iuſtini, Stactei, et Eugenij: quorum germana erga Deum pietas, uarijs, multisq. tentata ſupplicijs, firma, ſtabilisq. permanſit, matre magiſtra, ac duce: quæ, ſaxo ad collum alligato, in profluentem deijcitur. Romæ, ſanctorum martyrum, Petri, et Thaelij. Antiochiæ, ſan-*

ctorum

ctorum Quindecim millium martyrum: qui, ex funeſtis Diocletiani Imperatoris edictis perſecutionis flamma contra Chriſtianos uehementer accenſa, pro Dei immortalis religione magno animi ardore, atque alacritate præclaram concertationem ſuſtinendo, maxima martyrij celebritate coronantur. Apameæ, ſanctorum martyrum, Mauritij, et ſeptuaginta militum: qui, Maximiano Imperatore, per uaria, diuerſaq. cruciamentorum ſtigmata, nobile martyrium obierunt, præclaris datis religioni Chriſtianæ teſtimonijs. Carthagine, ſanctæ Guddenis uirginis, et martyris: Hæc Rufini proconſulis iuſſu, quater equuleo diuerſis temporibus torta, unguibus ferreis fœde dilaniata, carceris ſitu, et ſquallore diutiſſime afflicta, perpetuo conſtans in fidei confeſſione, tandem gladio feritur. Doroſtori in Myſia, ſancti Aemyliani martyris: qui fideliſſimus Dei miles, acerrima pro CHRISTO *ſuſcepta dimicatione, nullis tormentorum ictibus debilitatus, tandem Capitolini iudicis iuſſu combuſtus, ad palmam peruenit. Mediolani, ſancti Materni, epiſcopi, et confeſſoris. Hic, Maximiano Imperatore, pro fide* CHRISTI, *proq. Eccleſia ſibi commiſſa, aliquando cathenis uinctus, interdum in carcerem detruſus, ſæpe uerberibus acerbiſſime cæſus, firmo animi robore, caleſtiq. conſtantia in perferendis cruciatibus communitus; tum in populi, ſibi concrediti, perturbatione, ab impijs tyrannis excitata, magnis laborum contentionibus, ad eum confirmandum perfunctus eſt. Beatos autem martyres, Carpophorum, et Fidelem, Nouocomum miſit, ubi pro gloria* CHRISTI *dimicarent: ſanctum præterea Victorem martyrem Mediolani manibus ſuis ſepelliuit. Ipſe denique præclaris, ac multis fidei confeſſionibus illuſtris, obdormiuit in Domino. Brixiæ, ſancti Philaſtri epiſcopi. Is, amore Dei ductus, longe lateq. peregrinatus, multos* CHRI-

sto Domino peperit: tum pro catholica fide cæſus, fidelis fuit cuſtos gregis Dominici. Metis, ſancti Arnulphi epiſcopi, inſigni uitæ hæremiticæ ſplendore, ſanctimoniæ, miraculorumq. laude illuſtris. Traiecti, ſancti Friderici epiſcopi, et martyris: cuius, et uita, ſanctiſſime acta, et res pie geſtæ, leguntur maxima cum teſtificatione diuinæ uirtutis ſuæ.

D. Decimoquarto calen. Auguſti. Luna.

1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

19. Sancti Epaphræ epiſcopi, et martyris: cuius pietatis ſtudium beati Pauli apoſtoli teſtimonio celebratur. Hic urbis Coloſſenſium epiſcopus, ab illo conſecratus, uirtutibus clarus, pro grege, ſibi commiſſo, martyrium fortiter obijt. Hiſpali, in Hiſpania, ſanctarum, Iuſtæ, et Rufinæ martyrum: quæ Diogeniani præſidis iuſſo, in Maximiani perſecutione comprehenſæ, primum equuleo cruciatæ, et ungulis laniatæ, tum in carcere inedia, et uinculis, membrorumq. diſtortione, ita affectæ ſunt, ut Iuſta diem obierit; Ruffinæ autem ceruix confracta ſit in fidei confeſſione. Cordubæ in Hiſpania, ſancti Sperati martyris, et ſociorum. Apud Setem, Aegypti montem, ſancti Arſenij: qui in monaſtica uita, pie religioſeq. uerſatus magna cum teſtificatione ſanctitatis, ſudarium in manu ſemper habuiſſe legitur ad abſtergendas lacrymas: quarum maximam uim profudit præ dolore peccatorum. Cordubæ item, ſanctæ Aureæ uirginis et martyris: quæ, nobili genere nata, Ioannis, et Adulphi martyrum ſoror, aliquando lapſa, poſt facinoris intime pœnitens, iterum accuſata, libere conſtanterq. fidem profeſſa, libenti animo datis pro CHRISTO ceruicibus martyrium ſubijt. Treueris, ſancti Martini epiſcopi, et martyris.

Decimo

Decimotertio calen. Auguſti. Luna. E.

2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sanctæ Margaritæ uirginis, et martyris: quæ Olybrij præfecti iuſſu, in Diocletiani perſecutione, Antiochiæ pro CHRISTI *fide uarijs excruciata tormentis, demum ſecuri percuſſa, inſigniter coronatur. In Iudæa, ſancti Ioſephi Barſabæ: qui iuſtus uocatus, prædicationis, et ſanctitatis officijs deditus, pro* CHRISTO *multa grauiter a Iudæis perpeſſus, tandem uictor, quieuit in Domino. Damaſci, ſanctorum martyrum, Iuliani, Sabini, Maximi, Macrobij, Caßiæ, Paulæ, et aliorum decem. In Africa, ſanctorum, Luciani, Petri, Amabilis, et Nunnæ. Cordubæ, ſancti Pauli diaconi, et martyris: Is, ciuis Cordubenſis, in baſilica ſancti Zoili martyris ad eccleſiaſticas ſpiritalesq. diſciplinas eruditus, uiſcera miſericordiæ indutus, libenter opem ijs tulit, qui in uinculis eſſent. Beati autem Siſenundi exemplo accenſus, principes Mahumeticæ ſuperſtitionis, et inſaniæ arguere non extimuit. quam ob cauſam comprehenſus, cum* CHRISTVM *uerum Deum conſtanti ſermone etiam prædicaret, peremptus, coronatur. In Luſitania, ſanctæ Vuilgefortis uirginis, et martyris: quæ Chriſtianæ fidei, quam ardenter colebat, et caſtitatis accenſa amore, cruci affixa, animam Deo reddidit.* 20.

Duodecimo calen. Auguſti. Luna. ix. F.

3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctæ Praxedis uirginis. Hæc Romana uirgo, e 21.
Puden-

Pudente patre, Chriſtiano homine, pioq. uiro nata, Pudentianæ item uirginis ſoror, ſuſcepto baptiſmo, uirginalem uitam ex uoto profeſſa, in orationibus, uigilijs, ieiunio, cæleſtiq. contemplatione perpetuo uerſatur. In maxima autem perſecutionis Antoninianæ tempeſtate, tota CHRISTO *adhæreſcens, omni pietatis officio palam fidem, et religionem teſtificata, ad præmium uocatur in cælum. Hoc ipſo die, Danielis prophetæ. In Græcia, Eliæ Thesbytæ. Maſſiliæ, ſancti Victoris martyris, et ſociorum quattuor, Alexandri, Feliciani, Longini, et Deutherij. Victor miles, Maximiano Imperatore, cum nec ſub impio duce militare, nec uero idola uenerari uellet; primo in carcerem includitur: ubi ab Angelo conſolationem accepit. Poſt uarijs tormentorum ictibus acerbe cruciatus; denique mola confractus, et contuſus, ad palmam martyrij peruenit: cuius ardore flagrantes, reliqui quattuor, in omni cruciatu, ac nece datis fidei egregijs teſtimonijs, eandem adepti ſunt. Cordubæ in Hiſpania, ſancti Feliciani martyris. Trecis, ſanctæ Iuliæ uirginis, et martyris: cuius reliquiæ apud Meldos religioſo pioq. cultu aſſeruantur. Argentinæ, ſancti Arbogaſti epiſcopi, et confeſſoris: qui de Scotia profectus, uitæ ſanctimonia clarus, eccleſiæ Argentinenſi epiſcopus præficitur, Dagoberto Rege: cuius unicum filium diuinitus ad uitam reuocauit.*

G. Vndecimo calen. Auguſti. Luna.

4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

22. *Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Hæc in ciuitate peccatrix; amando ueritatem, lauit lacrymis maculas criminis; a monumento*

mento

mento Domini, etiam recedentibus diſcipulis, non receſſit; et eius, quem ſublatum credidit, deſiderio ardens, illum ſola, et prima tunc uidit. Philippis, ſanctæ Syntichæ: de qua beatus Paulus Apoſtolus ſcribit. Ancyræ in Galatia, ſancti Platonis martyris: de cuius miraculis epiſtolam, a Nilo conſcriptam, affert Synodus poſterior Nicæna. Antiochiæ, ſancti Cyrilli epiſcopi: qui ſacrarum litterarum eruditione, et pietate admirabili in epiſcopali munere præluxit. In diœceſi Aluernorum, ſancti Menelei Abbatis. Conſtantinopoli, Tranſlatio, ſancti Phocæ martyris: quæ ex vrbe Antiochia facta eſt.

Decimo calendas Auguſti. Luna. xvii. A.

5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Rauennæ, ſancti Apollinaris epiſcopi, et martyris. Hic, cum beato Petro, Apoſtolorum principe, Antiochia Romam profectus, ab eodem epiſcopus conſecratus, euangelij cauſa Rauennam mittitur: ubi prædicatione cum permultos ad Christi fidem perduxiſſet, ab idolorum ſacerdotibus in mare deijcitur. E quo periculo diuinitus ereptus, commota iterum ſeditione, primum uerberibus cæditur; tū nudis pedibus carbones candentes premere cogitur. Eo cruciatu nihil quicquam læſus, in exilium cum extruditur; Aemyliam, et Tuſciam prædicando peragrauit: quibus in prouincijs, alia etiam pro Christo teterrima cruciamenta perpeſſus, demum Rauennam redit: ubi, Veſpaſiano Imperatore, præclari martyrij curſum confecit. Romæ, ſanctæ Primitiuæ Virginis; ſancti item Raſyphi martyris. 23.

tyris. Romæ præterea, ſanctæ Brigittæ uiduæ. Ea ob egregiam pietatem, diuinasq. uirtutes, quæ in illius uita magno ſanctitatis ſplendore eluxerunt, à Bonifacio Nono, Pontifice maximo, in Sanctis adſcripta eſt. Apud Cenomanos, ſancti Liborij epiſcopi, et confeſſoris: qui beati Martini Epiſcopi Turonenſis æqualis, diuini cultus propagator egregius extitit; ueræq. in CHRISTO religionis doctor, ac magiſter, quàm plurimos ab erroribus, maleq. agendi conſuetudine auocauit.

vi. B. Nono calendas Auguſti. Luna.

6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

24. *Vigilia ſancti Iacobi Apoſtoli.* Romæ, uia Tyburtina, ſancti Vincentij martyris. Sanctæ Criſtinæ uirginis, et martyris: cuius nobile martyrium quarto idus Maij expoſitum eſt; corpus Venetias transfertur, quæ translationis celebritas hoc ipſo die agitur. Auguſtæ Emeritæ in Hiſpania, ſanctorum, Victoris, Stercatij, et Antinogenis, martyrum: qui germani fratres, una animi conſenſione, pro CHRISTO dimicatione ſuſcepta, uarijs affecti cruciatibus, et plagis, quas ubi fortiter pertulerunt, demum uictores martyrij curſum confecerunt, Amiterni in Italia, ſanctorum octuaginta trium martyrum: qui fortiſſimi diuinæ pietatis athletæ, in Chriſti ſtadio luctati, certamine egregie confecto, corona donati ſunt ſempiterna. In Lycia, ſanctarum uirginum, et martyrum, Nicetæ, et Aquilinæ. Hæ beati Chriſtophori martyris prædicatione, impura repudiata ſuperſtitione, fidem amplexæ, in CHRISTO ita fixæ, ſtabileſq. adhæreſcunt, ut ab illius cōiunctione nullis ſupplicijs

diuul-

diuulſæ, datis libenter ceruicibus, diuinam eius religionem præclare comprobarint. Bergis, ſanctæ Leuuinæ martyris: quæ, Euberto Anglorum rege, multis florens uirtutibus, per martyrium ad cæleſtem abijt patriam. Apud Senones, ſancti Vrſicini epiſcopi, et confeſſoris, diuina uirtute, admirandaq. pietate uiri. Bergomi, Inuentio ſanctorum martyrum, Domnonis, Domnionis, et Euſebiæ uirginis.

Octauo calendas Auguſti. Luna. C.

7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Iacobi Apoſtoli. Is Zebedæi filius, duodecim tribubus, in diſperſione conſtitutis, euangelium prædicauit. Ab Herode Tetrarcha occiſus eſt. Eius reliquiæ ab urbe Hieroſolyma in ultimam Hiſpaniam translatæ, celebri illius nationis ueneratione, pioq. et frequenti peregrinorum concurſu, coluntur. Romæ, ſanctarum, Nemeſiæ, et Lucillæ filiæ, martyrum: quæ, Valeriano, et Gallieno Imperatoribus, pro CHRISTO *Domino cruciatæ, denium forti libentiq. animo martyrium, ceruicibus abſciſſis, ſubierunt. In Lycia, ſancti Chriſtophori martyris. Is, Dano Ciliciæ rege, uirgis ferreis percuſſus, poſt in ignem coniectus, inde* CHRISTI *ope ereptus, tum ſagittis confixus, poſtremo ſecuri percuſſus, inſigniter coronatur. Porphiritæ in Thebaide, beatiſſimi Pauli martyris: qui, exiguo orandi ſpatio, ſibi conceſſo, primum pro tribulibus ſuis, deinde pro Iudæis, Samaritanis, et gentilibus, ut ueram pietatem reciperent; tum pro omni multitudine, quæ undique circūſiſtebat; poſt item pro iudice, qui illum morti addixerat; ac pro carniſi-*

ce praeterea, qui mox eſſet eius ceruices abſciſſurus, Deum ex animo pie precatus, tandem ceruicem nudam, gladio feriēdam, libenter ſubmittens, diuino, et beato martyrio eximie decoratus eſt. Barcinonæ in Hiſpania, ſancti Cucuphatis martyris: qui Rufino præſide, coronatus, hymni uerſibus à Prudentio celebratur. Cordubæ in Hiſpania item, ſancti Theodemiri monachi, et martyris: qui iuuenis, præclaraq. pietate monachus, in Arabica perſecutione, datis fidei teſtimonijs, neceq. nobilitatus, coronatur. Treueris, ſancti Magnerici epiſcopi, et confeſſoris; uita, innocenter acta, et rebus mirabiliter geſtis, clari. Pariſiis, Translatio ſancti Germani epiſcopi, et confeſſoris.

xiiii. D. Septimo calendas Auguſti. Luna.

8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

26. *Sanctæ Annæ, matris beatiſſimæ Mariæ uirginis, Dei genitricis. Romæ in Portu, ſancti Hyacinthi martyris: qui, in ignem primo poſitus, inde in torrentem præceps deiectus, incolumis undique diuinitus euaſit. Poſtremò, Leontij, uiri conſularis, iuſſu ſecuri percuſſus, ad martyrij gloriam peruenit. Romæ item, uia Latina, ſanctorum martyrum, Symphroni, Olympij, Theoduli, et Exuperiæ: quos, Valeriano, et Gallieno, Imperatoribus, pro* C H R I S T I *religione combuſtos ſanctus Stephanus, pontifex ſepelliuit. Romæ præterea ſancti Paſtoris presbyteri, et confeſſoris. Philippis, ſancti Eraſti; qui beati Pauli Apoſtoli diſcipulus, illius urbis epiſcopus conſecratus, prædicationis munus religioſe executus, martyrio coronatus*

tus

tus eſt. Veronæ, ſancti Valentij epiſcopi, et confeſſoris. Mantuæ, ſancti Simeonis monachi, qui multis miraculis clarus, quieuit in Domino.

Sexto calendas Auguſti. Luna. iii. E.

9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Pantaleonis martyris. Hic, Nicomediæ nobilis medicus, ab Hermolao presbytero ad IESV CHRISTI *fidem inſtructus, tum baptizatus eſt: Eius hortatu pater Euſtorgius fit item Chriſtianus. Cum autem ea in urbe Chriſtianam religionem palam, ac libere prædicaret, Maximiano Imperatore, comprehenſus, equuleo tortus, admotisq. ad eius corpus, laminis candentibus, excruciatus, poſtremò ſecuri percuſſus, forti animo martyrium ſubijt. Cum eo præterea, et Hermolaus ipſe, et Hermippus, Hermocratesq. fratres, multiplici ſuppliciorum genere affecti, demum ſecuri itidem feriuntur. In Hiſpania, ſanctorum martyrum, Iuſti, et Rufini: qui, in eadem Maximiani perſecutione, ob* CHRISTI *fidem capti, poſt diuerſas in tormentis quæſtiones; quibus religionem præclare teſtificati ſunt, ingenti admiratione curſum confecerunt martyrij. Epheſi, ſanctorum, Maximiani, Malchi, Martiniani, Dionyſij, Ioannis, Serapionis: qui, Decij, teterrimi populo Chriſtiano hoſtis, immanem barbariem fugientes, in ſpeluncam quandam ſe abdiderunt: cuius foribus per fidei aduerſarios obſtructis, cum ſomnum cœpiſſent, uſque ad Theodoſij Iunioris tempus dormierunt; indeq. ſeptem Dormientium nomen acceperunt. cum annos ſcilicet centum et octuaginta unum* 27.

num

urſum pileatum. Mediolani, ſanctorum martyrum, Nazarij, et Celſi pueri: qui, in Neroniana perſecutione, Anolini Proconſulis iuſſu, diu in carcere concluſi, ac penè cruciatibus confecti, demum ſecuri feriuntur. Ancyræ, ſancti Euſtathij martyris: qui, Cornelij præſidis mandato, horribilem in modum uarieq. excruciatus nouis tormentorum generibus, præclarus teſtis noſtræ in CHRISTO *religionis, inſigniter coronatur. Apud Rhedones, ſancti Raodimij martyris. In Britannia, ſancti Sampſonis epiſcopi, et confeſſoris. Lugduni, ſancti Peregrini presbyteri, et confeſſoris: cuius ſanctitatem, et ſempiternam gloriam teſtatam facit miraculorum magnitudo. Hoc ipſo die, ſancti Vrſi confeſſoris: qui admirandæ abſtinentiæ, et aliarum uirtutum laude celebratus, multis extructis monaſterijs, ſæpe diuinitus datis ſanctitatis ſuæ ſignificationibus, abijt ad Dominum.*

Quarto calendas Auguſti. Luna. xi.G.

11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sanctæ Marthæ uirginis: quæ beatæ Mariæ Magdalenæ, et Lazari ſoror, domum hoſpitio excepit Saluatorem noſtrum, IESVM CHRISTVM. *Romæ uia Aurelia, ſancti Felicis Pontificis, et martyris. Romæ item, ſanctarum uirginum, Lucillæ, et Floræ, Eugenij, Antonini, Theodori, Dionyſij, Apollonij, Capani, Pioſi, Corſei, Chorigenis, Pacij, Saturnini, Victoris, et aliorum nouem: qui, Galieno Imperatore, ob præclara certamina, fidei confeſſione in primis illuſtres, coronantur. Romæ præterea, uia Portuenſi, ſanctorum mar-* 29.

tyrum,

tyrum, Simplicij, Fauſtini, et Beatricis ſororis. Hæc in carcere ſuffocata, illi duo fratres multis primum cruciatibus toto corpore diuexati, demum ſecuri percuſſi, martyrij coronam acceperunt. Nicææ, ſanctæ Theodotæ martyris, et filiorum eius. Hæc, pietatis Chriſtianæ colens, Deiq. præceptis dedita, filios ad C*HRISTI* *religionem inſtruxit. quo nomine accuſata, Præſidis Bythiniæ mandato una cum ternis liberis in ignem coniecta, corona cæleſti decoratur. In Græcia, ſancti Callimij martyris: qui, ab infantia Chriſtianæ fidei cultor, uitæ inſtitutum perpetuò magna religione exornauit: multosq. ad fidem tum exemplo, tum hortatu perduxit. quamobrem comprehenſus, apud iudicem præclare de fide reſpondit. Eo reſponſo ille iratior factus, primò fortiſſimum Dei militem neruis cædi; poſt unguibus ferreis laniari, tum calceis, qui præacutis clauis undique confixi erant, indui; ijſq. celeriter hac atque illac circumcurſare iubet. His in cruciatibus, diuina uirtute roboratus martyr, egregie cùm partes ſuas egiſſet magna diuinæ pietatis teſtificatione; demum in fornacem iniectus, ſpiritum concinendis diuinis laudibus Deo reddidit. In Noruegia, ſancti Olai regis et martyris. Trecis, ſancti Lupi epiſcopi, et confeſſoris: qui ad explicandum Dei uerbum una cum beato Germano in Britaniam miſſus, duobus et quinquaginta annis ſacerdotio pie religioſeq. perfunctus, Trecas urbem, cui epiſcopus præerat, Attila rege, rem omnem in Gallijs uaſtante, ſanctis precibus, aſſiduaq. oratione diuinitus defendit. Aureliæ, ſancti Proſperi epiſcopi. Altiſſiodori, ſancti Vrſi epiſcopi, et confeſſoris, Ioanne, et Felice, Pontificibus, diuinarum uirtutum laude celebris. In Briocenſibus, ſancti Gulielmi epiſcopi, et confeſſoris. Hic, uirginalis uitæ ſtudioſus,*

et

et in pauperes perpetuò egregia eleemoſyna uſus, tum maxime ingraueſcente aliquando annona, non ſolum quicquid frumenti ipſe habuit, ſed aliunde mutuo accepit, et egentibus ad uitæ ſubſtentationem contulit: orationi præterea, et precibus ita deditus, ut, præter diuinum canonicarum horarum officium, et alias pias precationes, totum etiam pſalmorum librum ſingulis diebus intima animi pietate recitaret: humilitate item, et abſtinentia mirabili fuit. Quibus uirtutibus inſignis, declarata, teſtificataq. diuinis miraculis eius ſanctitate, ab Innocentio Quarto, pontifice maximo, Lugduni in ſanctis ritu ſolenni adſcriptus eſt.

Tertio calendas Auguſti. Luna. xix A.

12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	1
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſanctorum, Abdon, et Sennen martyrum. Ii duo 30. Perſæ, Decio Imperatore, comprehenſi, Deos uenerari iubentur; quod facere cum recuſarent, et CHRISTVM IESVM conſtantiſſime prædicarent, Romam ducti in triumpho, et ad ſimulacra idolorum attracti, ea deteſtando conſpuerunt. quare leonibus, et urſis obiecti, a quibus ne minimum quidem uiolati ſunt, demum gladijs contrucidati, martyrij curſum præclare confecerunt. In Africa, ſanctarum uirginum, et martyrum; Maximæ, Donatillæ, et Secundæ; quæ, Gallieno Imperatore, primum, felle et aceto epoto, tum uerberibus grauiter cæſæ, equuleoq. tortæ, poſt craticulis igni ſuppoſito ſemiuſtulatæ, deinde beſtijs obiectæ, nec uero læſæ, poſtremo iugulatæ, inſigniter coronantur. Aſiſij in Vmbria, ſancti Rufini

martyris; cuius pie, mirabiliterq. facta Petri Damiani ſermone celebrantur. In Suetia, ſancti Brunolphi epiſcopi, et confeſſoris. Bergomi, Translatio ſancti Alexandri martyris.

B. Pridie calendas Auguſti. Luna.

13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 2

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

31. *Mediolani, ſancti Calimeri epiſcopi, et martyris: cuius religione, diſciplina, et martyrio non ſolum Eccleſia Mediolanenſis aucta, atque exornata eſt; ſed etiam Liguria pene cuncta, eiuſdem uirtute, ſingularią. Chriſtianæ pietatis propagandæ labore, ſuſcepit* IESV CHRISTI *fidem. Cæſareæ, ſancti Fabij martyris: qui in Diocletiani, et Maximiani perſecutione, aliquot dies primum in carcere incluſus, deinde in iudicium perductus, inſtitutis de fide quæſtionibus, cum in illius confeſſione admodum conſtans eſſet, demum, multis exantlatis tormentis, ſecuri percutitur. In Africa, ſanctorum martyrum, Democriti, Secundi, Dionyſij, et Thyrſi. Rauennæ, ſancti Germani epiſcopi, religione, pietate, ſanctitate, et miraculis clariſsimi. In Calabria, ſancti Fantini confeſſoris.*

Calendis Auguſti. Luna. viii. C:

14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 3

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

ROMAE, in Exquilinis, ſancti Petri Apoſtoli ad uincula. Cathena enim, qua is Apoſtolus ab Herode Hieroſolymæ uinctus fuerat, Romam ab Eudoxia Auguſta allata, cum altera, qua idem ab Nerone conſtrictus fuerat, collata, uſque adeo mirabiliter connexa eſt, ut non duæ, ſed una ſolum Cathena ab uno artifice confecta uideretur. Quo miraculo tanta ijs uinculis ueneratio habita eſt, ut conſecrata eo nomine Eccleſia, illius memoriæ dies feſtus inſtitutus ſit. Anthiochiæ, ſanctorum Septem fratrum Machabæorum, et matris eorum: qui, Antiocho rege, martyrij corona donati, ſanctorum patrum egregijs concionibus diuine celebrantur. Romæ item, uia Latina, beatorum martyrum, Boni presbyteri, Fauſti, Mauri, et aliorum ſeptem: quorum dimicationes, pro CHRISTI gloria confectæ, reſq. diuinitus geſtæ, magna cum pietatis, fideiq. teſtificatione leguntur. Romæ præterea, ſanctarum trium uirginum, Elpis, Piſtis, Agapæ, et matris earum; quæ ciues Mediolanenſes, in Adriani perſecutione, martyrium ſubierunt. Philadelphiæ, in Arabia, ſanctorum martyrum, Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domiciani, Ruſi, Menandri; qui uno die, unaq. animorum conſenſione pro CHRISTI fide ceruices præbuerunt. In Pamphilia, ſanctorum nouem martyrum, Leontini, Atti, Alexandri, Cindei, Meſithei, Cyriaci, Menæi, Catuni, et Euclæi: qui, Diocletiano Imperatore, Flauiani Die I.

ni præſidis iuſſu, pro CHRISTI religione, in qua nati, et inſtituti erant, uno animo, unoq. ſpiritu in certamen ultro deſcenderunt; in quo nouis inauditis affecti plagis, demum, præciſis ceruicibus, coronam tulerunt. Gerundæ in Hiſpania, ſancti Felicis martyris. Hic, Deciano iudice, multis primum ſupplicijs cruciatus, poſt uinculis conſtrictus, inde ſolutus, demum uerberibus tamdiu acerbe cæſus eſt, quoad animam Deo reddidit: Vercellis, ſancti Euſebij Epiſcopi: qui ob fidei confeſſionem uarie diuexatus, in exiliumq. pulſus, præclarum ueræ pietatis teſtimonium CHRISTO Domino perhibuit. Viennæ, ſancti Veri epiſcopi. Is, Apoſtolorum diſcipulus, et auditor in epiſcopatum beato Marino ſuccedens, magna ſuarum uirtutũ claritate ardentes amores excitauit pietatis. In Pago Liſuino; ſancti Nemeſii confeſſoris. Vintoniæ, in Anglia, ſancti Etheluuoldi epiſcopi, et confeſſoris: cuius uitæ, et inſtitutionis euangelicæ ratio, quam mirifice excoluit, præclare oſtendit admirandam eius ſanctitatem. Gandaui, Translatio ſancti Bauonis confeſſoris: cuius dies natalis agitur calendis Octobris.

xvi. D. Quarto nonas Auguſti. Luna.

8 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 1 11 22 4

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

2. Romæ, ſancti Stephani pontificis, et martyris. Hic, Valeriano, et Galieno Imperatoribus, Eccleſiam Dei ſumma cura gubernauit. Vir fuit præſtanti doctrina, et eximia pietate: quibus duabus rebus, iuuante Deo, perfecit, ut quamplurimi, abiecto idolorum cultu, ueram CHRISTI Domini fidem amplecterentur. Cum autem in eccleſia bene gerenda,

atque

atque inſtituenda totus incumberet; tunc ingraueſcente uehementius perſecutione, in cryptis martyrum, ubi aſſidue Miſſæ ſacrum faciebat, clerum omnem ſæpe in concilio adeſſe iuſſit: in quo præter cetera, quæ de re Chriſtiana conſtituenda, ſanctè decerni illis temporibus oportebat; ſuos etiam ad martyrium magnopere hortabatur. Raptus autem aliquando ab infidelibus ad templum Martis, cum ſacrificare recuſaſſet; tandem martyrio inſigniter coronatur. Nicææ in Bithynia, ſanctæ Theodotæ, et trium filiorum: quorum martyrium ſupra narratum eſt. Patauij, ſancti Maximi epiſcopi, et confeſſoris: qui in beati Proſdocimi locum, illius urbis epiſcopus creatus, eruditione, uita ſanctimonia, et miraculorum uirtute præluxit. Multis autem poſt illius obitum annis, cum eius corpus Dei admonitu mirabiliter inuentum eſſet; Leo Nonus, pontifex maximus, dum Patauio in Pannoniam iter faceret, re omni cōgnita, et perſpecta, illum in ſanctos adſcriptum, pia ueneratione coli decreuit. Carnuti, ſancti Betharij, epiſcopi, et confeſſoris; qui, Theoderico Rege, magna ſanctitatis, et miraculorum claritate ſplendeſcens, migrauit ad Dominum.

Tertio nonas Auguſti. Luna. v. E.

16 27 8 19 1 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 5

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Inuentio ſancti Stephani protomartyris: Septimo enim 3.
Honorij Principis anno, Hieroſolymæ, beato Luciano presby-
tero diuinitus patefacta ſunt beati in primis Stephani proto-
martyris, Gamalielis, Nicodemi, et Abibonis corpora. Huius
inuentionis, quam, gratia miraculorum proſequente, Deus mi-

rificam effecit, hiſtoriam una cum ſacris eiuſdem protomartyris aliquibus reliquijs Oroſius presbyter, ab Auguſtino Hieroſolymam miſſus, inde in Africam attulit. Conſtantinopoli ſancti Hermelli martyris. Nouariæ, ſancti Gaudentij epiſcopi, et confeſſoris: de quo ad undecimum calendas Februarij. Auguſtoduni, ſancti Euphronij epiſcopi.

F. **Pridie nonas Auguſti.** Luna.

17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 3 13 24 6

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

4. Romæ, uia Tiburtina, ſancti Iuſtini presbyteri, et martyris: qui beatiſſimorum martyrum, Xyſti pontificis, Laurentij, Hippolyti, Concordiæ, Irenæi, Abundij, et aliorum ſanctorum plurimorum corpora ſepeliuit. Is denique, in Deciana perſecutione, præclaris fidei confeſſionibus nobilis, ſempiternum pro pietatis certamine præmium accepit. Romæ præterea, uia Latina, ſancti Tertullini presbyteri, et martyris. Hic à beato Stephano pontifice, in fidei doctrina eruditus, baptizatur; deinde in Albis presbyter conſecratur. Totus igitur Christi Domini diſciplinæ deditus, in perſecutione, comprehenſus, fuſtibus grauiter cæditur; facibus, ad latera admotis, ſemiuſtulatur; in ore fœde contunditur; equuleo torquetur; neruis cruciatur; demum, abſciſſo capite, martyrio coronatur. Romæ item, ſanctæ Perpetuæ: quæ ab Apoſtolorum Principe, Petro baptizata, Nazarium filium, et Africanum uirum, ad Chriſtianæ fidei cultum perduxit; martyrum multorum corpora ſepeliuit: pro Christo uinctos caritatis officijs adiuuit. His, atque alijs cumulata uirtutum ſan-

ctarum

clarum meritis, obdormiuit in Domino. Apameæ, ſancti Ariſtarchi: qui unus, e ſeptuaginta diſcipulis, Apamenſium epiſcopus, beatorum, Pauli Apoſtoli, et Lucæ Euangeliſtæ teſtimonio clarus, multiplicíq. pro fidei prædicatione certamine, perfunctus, ad præmium euolauit in cælum. Coloniæ, ſancti Protaſii martyris. Viennæ ſancti Deſiderij epiſcopi, et martyris; a Theodorico Rege pro pietate uarie diuexati, in exilium; pulſi, et denique lapidibus obruti. Veronæ, ſancti Agabij epiſcopi, et confeſſoris. Patauij in Noricis, ſancti Valentini epiſcopi, et confeſſoris: qui noctu in uigilijs, orationibusq. frequens; interdiu ſacrarum lectionum ſtudijs, ac pietatis officijs magnopere deditus, cæleſtium uirtutum donis affluens, migrat ad Dominum. Apud Turones, ſancti Euphronij epiſcopi: qui præclaræ ſanctimoniæ laude florens, Pariſienſi concilio primo adfuit. Bononiæ, ſancti Dominici confeſſoris. Hic prædicatorum ordinem inſtituit; uirginitatem perpetuò cõluit; tres mortuos ad uitam reuocauit; multaq. alia diuinitus edidit miracula: quibus, ordo, ab ſe inſtitutus, mirifice in omnes partes propagari cœpit. Iis igitur miraculis uitæ ſanctitate, et ſacra doctrina prælucens, à Gregorio Nono, pontifice maximo, relatus eſt in ſanctorum numerum.

23 Maij

Nonis Auguſti. Luna. xiii. G.

18	29	10	21	3	13	24	5	16	27	8	19	1	11	22	4	14	25	7
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſanctæ Mariæ, ad niues dedicatio: cuius dedicationis memoria ex niue, quæ hoc ipſo die in ſummis caloribus mirabiliter cecidit, anniuerſario cultu pie celebratur. Apud 5.

Pari-

ſtoduni, ſancti Caſsiani epiſcopi, et confeſſoris. In Anglia, ſancti Oſualdi regis: qui cum multarum rerum, ſancte geſtarum, tum eleemoſynæ admirandæ, quam CHRISTI pauperibus perpetuò dedit, laude clarus extitit. Laubij, ſancti Abel epiſcopi, et confeſſoris.

Octauo idus Auguſti. Luna. ii. A.

19 1 11 22 4 14 25 6 17 28 9 20 2 12 23 5 15 26 8
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Transfiguratio Domini noſtri, IESV CHRISTI. Romæ, uia Apia, ſancti Xyſti pontificis, et martyris. Hic eius nominis Secundus, Philoſophi filius, ciuis Athenienſis, uir doctiſſimus, totus IESV CHRISTI diſciplinæ deditus, pontifex factus, egregie ſancteq. gubernauit eccleſiam Dei. A quo pontifice Dionyſius, Alexandriæ epiſcopus, ueritus, ne laberetur, atque erraret, in re eccleſiaſtica ſententiam per litteras expetijt. Dum autem is hæreſes, illis temporibus ſubortas, reſtinguere conatur; tunc eo nomine apud Valerianum Cæſarem accuſatus, quòd contra edicta, CHRISTI fidem palàm prædicaret, ad templum Martis ducitur, cui ſacra faceret. qua impietate conſtantiſsime recuſata, ad ſupplicium raptus, occurrenti beato Laurentio, diacono, certum martyrij illius diem prænunciat; pauperibus eccleſiæ theſauros diſtribui iubet. Vbi uerò ad martyrij locum uenit, gaudenti animo pro CHRISTI gloria, cui ſancte ſeruierat, ceruices præbuit. Romæ item, beatorum martyrum, Feliciſsimi, Agapiti, Ianuarij, Magni, Innocentij, et Stephani; qui omnes ſex, diaconi, una cum ſancto Xyſto pontifice martyrium obierunt.

Iis item, beatus Quartus, ſocius adiungitur. Romæ præterea ſancti Hormiſdæ pontificis: qui, ad eccleſiæ gubernacula ſedit, multorum egregie, ſancteq; factorum gloria clarus. Græcos, ad eccleſiæ catholicæ auctoritatem reuocauit: Synodum habuit frequenti epiſcoporum concurſu: Eutychianos iterum damnauit: Manichæos Roma expulit: Arianos, qui
.A *uſque ad ea tempora publicos conuentus habuerant, Iuſtini Imperatoris auxilio undique exterminauit: Clerum autem antiqua diſciplina inſtituit, et pſalmis erudiuit; multa ad baſilicarum ornatum, ac ſplendorem liberaliter, pieq. contulit. cum igitur plurima et egiſſet, et ſtatuiſſet in eccleſia Dei, quam annis nouem preclare geßit, magna cum laude ſanctitatis obijt in Domino. Compluti in Hiſpania, ſanctorum martyrum Iuſti, et Paſtoris. Ii germani fratres, cum pueri adhuc litteris imbuerentur, protectis in ludo tabulis, ad martyrium ſponte ire contendunt; iuſſuq. Daciani præſidis mox comprehenſi, ac mutuis inter ſe cohortationibus conſtanter animati, extra urbem ducti, ſecuri percußi, quam expetierunt, aſſequuntur martyrij palmam.*

B. Septimo idus Auguſti. **Luna.**

20	2	12	23	5	15	26	7	18	29	10	21	3	13	24	6	16	27	9
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

7. *Sancti Donati epiſcopi, et martyris. Hic in Iuliani perſecutione Aretium uenit: cuius urbis creatus epiſcopus, datis pro* CHRISTO *ceruicibus, nece comprobauit, quam uitæ epiſcopalis exemplo, et doctrina explicauit, ueram diuini cultus religionem: quam preclaro etiam martyrio Hilarianus monachus,*

chus, unà cum eo teſtificatus eſt. Romæ, ſanctorum martyrum, Petri, Iuliani, Sophronij, ac ſociorum decem, et octo: qui Valeriano, et Galieno, Imperatoribus, non fracti cruciatu, ſed fortiter pugnam ſuſtinendo coronantur. Mediolani, ſancti Fauſti: Is beati Philippi filius, a Caio epiſcopo baptizatus, quo tempore magna exarſit Chriſtiana perſecutio, à fidei hoſtibus diuexatus, nullo eorũ impetu retardatus, nec uero expugnatus, ædificata baſilica, quæ Fauſtiniana nuncupata eſt, et uita euangelij præceptis conformata, tandem in Commodi Imperatoris perſecutione, ſancte quieuit in Domino. Nouocomi, ſanctorum martyrum, Carpophori, Exanti, Caßij, Seuerini, Secundi, et Licinij: qui poſt præclaras fidei confeßiones ſecuri percußi ſunt. Nouariæ, ſancti Godſcalci epiſcopi, et martyris: cuius martyrium legitur. Rothomagi, ſancti Victricij epiſcopi, et confeſſoris: cuius cæleſti uirtute, ac prædicatione Neruij, ac Morini, fidem CHRISTI *Domini ſuſceperunt. Is, ſancto Innocentio Primo, pontifici, ob eximiam pietatem gratus, et beati Paulini Nolani amicus, magna ſanctitatis claritate eluxit. Catalauni in Gallia, ſancti Donatiani epiſcopi, et confeſſoris; qui magno religionis nomine uir, Agrippinenſi concilio interfuit. Meſſanæ, ſancti Alberti presbyteri, et confeſſoris; uitæ ſanctimonia, pietate, et miraculis clarißimi. Curiæ in Germania, Translatio ſancti Floriani confeſſoris: cuius dies natalis agitur decimo quinto calendas Decembris.*

x. C. **Sexto idus Auguſti.** Luna.

21 3 13 24 6 16 27 8 19 1 11 22 4 14 25 7 17 28 10
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

8. *Romæ, ſanctorum martyrum, Cyriaci, Largi, Siſimi, Smaragdi, et ſociorum triginta. Cyriacus in carcerem diu cum his incluſus, multa mirabiliter, diuinitusq. egit. Deinde ad Saporem, Perſarum regem, miſſus, Iobiam illius filiam, a dæmonis aſtu liberauit. poſt, ubi et regem, et quatrigentos ſimul ac triginta baptizauit; Romam rediens Maximiani Cæſaris iuſſo capitur, et cathenarum uinculis aſtrictus, ante rhedam ducitur: demum, pice liquefacta perfuſus, in cataxta extenſus, ſecuri percutitur, cum Largo, et cæteris ſocijs. Treueris, ſanctæ Agapæ uirginis: quæ, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, præclara fidei confeſſione nobilis, coronatur. In Perſia, ſancti Hormiſdæ martyris: cuius egregiæ pro* CHRISTO *concertationes, Sapore rege aduerſario, confectæ leguntur. Viennæ, ſancti Seueri confeſſoris; qui euangelij cauſa peregrinatus, ad eam urbem uenit: ubi predicatione, et diuina miraculorum uirtute ingentem hominum multitudinem* CHRISTO *Domino peperit. Anconæ, Translatio ſancti Cyriaci epiſcopi, et martyris.*

D. **Quinto idus Auguſti.** Luna.

22 4 14 25 7 17 28 9 20 1 12 23 5 15 26 8 18 29 11
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

9. *Vigilia ſancti Laurentij martyris. Romæ, ſancti Romani*

ni martyris: qui conſtanti beati Laurentij confeſſione commotus, petijt ab eo baptizari, moxq. Decij iuſſu fuſtibus cæſus, tandem ſecuri feritur. Romæ præterea, ſancti Romani martyris. Hic, Iuliano Imperatore, fidei aduerſario, necem Chriſtiana uirtute pro CHRISTO *Domino ſubiens, ad coronam abijt in cælum. Cuius corpus poſt, ad urbem Lucam delatum eſt. Apud Centum cellas in Thuſcia, ſanctorum martyrum, Secundiani, Marcelliani, et Veriani. Hi, in perſecutione Deciana, Promotij uiri conſularis iuſſu uerberibus cæſi, equuleo torti, ferreis unguibus laniati, laminis candentibus exuſti, denique gladio percuſſi, martyrio coronantur. In Africa, ſancti Numidici presbyteri, et aliorum multorum martyrum, quos beatus Cyprianus martyr, in epiſtola, ad eccleſiam Carthaginenſem ſcripta, laudat. Veronæ, ſanctorum, Firmi, et Ruſtici, martyrum. Ii ciues Bergomenſes, Maximiano Imperatore, Anolini proconſulis iuſſu, cruciatibus uarie torti, neci denique obiecti, magna martyrij celebritate nobiles, coronantur. Catalauni, ſancti Domitiani epiſcopi, et confeſſoris: qui, beato Donatiano ſuccedens, illum imitatus, omni pietate, et ſanctitate illuxit.*

Quarto idus Auguſti. **Luna.** xviii. E.

23 5 15 26 8 18 29 10 21 3 13 24 6 16 27 9 19 1 12
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Laurentij martyris. Is primum multis affectus cruciamentis, uarie uerberibus cæſus, candentibusq. laminis ſemiuſtulatus, demum in oculis Decij, fidei hoſtis, ſubiecta craticula ferrea aſſus, egregiam martyrij coronam accepit. 10.

Romæ item ſanctorum Centum, et ſexaginta martyrum: qui, Aureliano Imperatore, uia Salaria, pro CHRISTI *fide, capite plectuntur. Bergomi, ſanctæ Aſteriæ uirginis, et martyris: quæ beatæ Gratæ uirginis ſocia, Deo in religionem dicata, germanam et ueram pietatem, quam uitæ inſtituto profeſſa eſt, in Diocletiani, et Maximiani Imperatorum perſecutione, egregie, ſanguine profuſo, teſtificata, coronatur.*

F. Tertio idus Auguſti. Luna.

24 6 16 27 9 19 1 11 22 4 14 25 7 17 28 10 20 2 13
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

11. *Romæ, ſancti Tiburtij martyris. Hic ſancti Sebaſtiani opera Chriſtianus, in Diocletiani perſecutione nudis pedibus pauimentum, candentibus carbonibus ſtratum, ingredi iuſſus, maiori conſtantia* CHRISTVM *Deum confitetur: quare extra urbem ductus, uia lauicana ſecuri percuſſus, in cælis coronatus triumphat. Romæ præterea, ſanctæ Suſannæ martyris: quæ filia Gabinij, fratris Caij papæ, in eadem Diocletiana perſecutione, forti conſtantiq. animo martyrium ſubijt, abſciſſo capite. Eius corpus Serena Auguſta ſepeliendum curauit. Apud Ebroicenſes in Gallia, ſancti Taurini epiſcopi. Is, Dionyſij Areopagitæ diſcipulus, a beato Clemente, pontifice maximo, in Galliam miſſus, illiusq. ciuitatis epiſcopus conſecratus, ueræ in* CHRISTO *religionis doctor, Chriſtianæq. pietatis magiſter, poſt multa, quæ euangelij diſſeminandi cauſa fortiter pertulit, cruciamenta, demum miraculorum, pieq. geſtarum rerum, ac fidei propagatæ laude clarus, obdormiuit in Domino. Catanæ in Sicilia,*

ſancti

ſancti Eupli diaconi, et martyris: qui, fidei hoſte Diocletiano, Chriſtianæ religionis accuſatus, in iudicium perducitur ad Calbeſianum præſidem: cuius mandato inauditis diuexatus cruciamentis, quo acerbius tortus, eò fortius liberiusq. CHRISTI Domini fidem confeſſus, per martyrium ad cæleſtem gloriam peruenit. Cameraci in Gallia, ſancti Gaugerici epiſcopi, et confeſſoris. Hic eccleſiæ, ſibi commiſſæ, tribus et triginta annis, cum præfuiſſet; uitæ ſanctimonia, et miraculis clarus, quieuit in Domino.

Pridie idus Auguſti. Luna. G.

25 7 17 28 10 20 2 12 23 5 15 26 8 18 29 11 21 3 14

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t .A

Sanctæ Claræ uirginis. Hæc Aſiſij, nobili genere nata, 12.
ſanctum Franciſcum imitata, patrimonio CHRISTI pauperibus diſtributo, ut ille religioſorum uirorum, ita hæc ſacrarum uirginum collegium inſtituit. Aſiſium ab Saracenorum obſidione, precibus et oratione liberauit; multaq. alia cum edidiſſet miracula; ieiunijs, uigilijsq. confecta, animam Deo reddidit. Cuius uitam, ſancte actam, resq. diuine geſtas ubi Alexander Quartus cognouit; in ſanctarum uirginum numerum illam retulit. Catanæ in Sicilia, ſancti Eupli diaconi, et martyris: de quo pridie huius diei. Auguſtæ in Vindelicis, ſanctæ Hilariæ martyris, et ſociarum: quas nonis huius menſis commemorauimus. Auguſtæ item, beatorum martyrum, Quiriaci, Largionis, Creſcentiani, Nimmiæ, Iulianæ, Eutychiani, et ſociorum uiginti: qui, in teterrima Domitiani contra CHRISTI eccleſiam oppugnatione,

tione, fortiſſime pro fide dimicando, coronam tulerunt. Faleriæ, ſanctorum martyrum, Graciliani, et Feliciſſimæ uirginis: quibus primò pro fidei confeſſione os lapide contuſum; poſt, denique caput abſciſſum eſt. In Syria, ſanctorum, Macarij, et Iuliani. Brixiæ, ſancti Herculani epiſcopi, et confeſſoris, magna miraculorum laude clari. Mediolani, ſancti Euſebij epiſcopi, et confeſſoris: qui, eccleſia Mediolanenſi, ſeptem et decem annis pie adminiſtrata, ſanctisq. inſtitutis exornata, et cleri diſciplina ad religioſos mores reuocata, ac diuinorum officiorum libris, belli incendio inflammatis, cura ſua reſtitutis, alijsq. diuinitus et mirabiliter geſtis rebus, clarus ſanctitatis gloria, obdormiuit in Domino.

XV. A. Idibus Auguſti. Luna.

26	8	18	29	11	21	3	13	24	6	16	27	9	19	1	12	22	4	15
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

13. *Romæ, ſanctorum, Hippolyti, Concordiæ, et ſociorum martyrum. Is a ſancto Laurentio baptiZatus, Valeriani iuſſu comprehenſus, pro fide, quam liberè profeſſus eſt, fuſtibus cæditur: quibus uerberibus non modo debilitatus, ſed cæleſti uirtute uehementius roboratus, muneribus tentatur. At neque ijs, neque adeo honorum promiſſis, cum a propoſito fidei diuelli non poſſet; indomitis equis per loca, carduis et tribulis conſita, raptatus, lacerato toto corpore, ſpiritum Deo reddidit. Concordia autem, eius nutrix, plumbatis horribilem in modum cæſa, tum alij decem et nouem, qui in illius familia erant, extra portam tyburtinam occiſi, gloriam* CHRISTO *Domino tribuerunt. In foro Syllæ, ſancti Caſſiani marty-*

ris: qui, a tergo uinctis manibus, a pueris, quos erudiebat, ſtylis ferreis configi iuſſus, eo grauiorem pœnam, ac diuturniorem ſenſit, quò infirmior erat illorum uis. In Pictauis, ſanctæ Radegundæ reginæ: cuius uita in omni pietate, religione, atque in rebus, diuinæ actis, eluxit. In Germania, ſancti Vuiberti presbyteri, et confeſſoris.

Decimonono calen. Septẽbris. Luna. iiii. B.

27 9 19 1 12 22 4 14 25 7 17 28 10 20 2 13 23 5 16
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. Romæ, ſancti Euſebij presbyteri, et confeſſoris: qui, Coſtantio Auguſto, eccleſiæ hoſte, quoniam fidei catholicæ defenſor eſſet, in domicilij ſui cubiculum incluſus, ibi in oratione, precibusq. aſsiduus, quieuit in Domino. Eius corpus Gregorius, et Oroſius, presbyteri in cœmiterio Calixti ſepeliendum curarunt. In Illyrico, ſancti Vrſicij martyris: qui, Maximiano Imperatore, pro fidei confeſsione ſæpe grauiter uarieq. affectus cruciatibus, tandem capitis damnatus, martyrij curſum preclare confecit. In Africa, ſancti Demetrij. Mediolani, ſancti Simpliciani epiſcopi, et confeſſoris. Is inſigni uirtutum Chriſtianarum claritate ſplendeſcens, cum a ceteris pijs omnibus, tum a beato in primis Ambroſio uſque adeo in honore habitus eſt, ut hunc ille patris loco coluerit. Eius uitæ exemplo, hortatuq. et Auguſtinus Mediolani, et Victorinus rhetor magnus Romæ ad ueram CHRISTI *Domini fidem ſe contulit. Epiſcopus autem in ſancti Ambroſij locum cum ſucceſ-* 14.

ſit; diuinis uirtutibus in epiſcopali munere affluens, eccleſiam Mediolanenſem religione, et pietatis inſtitutis auxit: qua eccleſia annis quattuor pie præclareq. adminiſtrata, ac multis in rebus eius ſanctitate diuinitus declarata, obdormiuit in Domino.

c. Decimo octauo cal. Septēbris. Luna.

28 1 10 20 2 13 23 5 15 26 8 18 29 11 21 3 14 24 6 17
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

15. *Aſſumptio Beatæ* M*ARIAE* *Virginis; cui aſſumptioni Apoſtolos interfuiſſe ſanctus Dionſius Areopagita ſcribit. Romæ uia Appia, ſancti Tharſitij acolyti, et martyris: qui, Valeriano, et Galieno Imperatoribus cum* C*HRISTI* *corporis ſacramenta certo quodam die deferret, nec infidelibus inquirentibus ea prodere uellet, tam diu fuſtibus, et lapidibus cæſus eſt, quoad ſpiritum Deo reddidit. In Nicomedia, ſanctorum martyrum, Stratonis, Philippi, Eutychiani, et ſociorum, de quibus infra decimo ſexto calendas.*

xii. D. Decimo ſeptimo calē. Septēb. Luna.

29 11 21 3 14 24 6 16 27 9 19 1 12 22 4 15 25 7 18
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

16. R*omæ, ſanctæ Serenæ: quæ, Diocletiani Imperatoris uxor, a ſancto Cyriaco ad fidem conuerſa,* C*HRISTIQ.* *Domini præceptis pie conformata, in confeſſione Chriſtianæ religionis abijt in cælum. Ferentini in Campania, ſancti Ambroſij martyris. Hic centurio, Diocletiano, et Maximiano, Impe-*

Imperatoribus, Chriſtianæ religionis accuſatus, Datiani præſidis, quem ad fideles contrucidandos in eam prouinciam Cæſares miſerant, iuſſu comprehenſus, uaria primum cruciamenta pertulit: quibus ad impuram idolorum ſuperſtitionem cum adigi non poſſet; in fornacem iniectus eſt: e quo incendio diuinitus ereptus, demum, magna fidei conſtantia roboratus, præceps in fluuium deijcitur. Nicææ in Bithynia, ſancti Diomedis martyris. Is, ciuis Tarſenſis, genere nobilis, ſed pietate illuſtrior, cum medicinam exerceret, quibus medebatur, eorum corpora medicamentis, animas ſalutaribus fidei præceptis curabat. Tarſis autem a Diocletiano captis, inde Nicæam conmigrauit: ubi non medendi ſolum arte, ſed religionis Chriſtianæ ſtudio omnibus ad ſalutem prodeſſe ſtuduit. itaque, cum eſſet apud regē accuſatus; caput ei in fidei confeſſione abſcinderunt, qui ad illum comprehendendum miſſi ſunt. Nicææ item, ſancti Vrſacij confeſſoris: qui, Licinio eccleſiæ hoſte, militia relicta, in ſolitudinem ſe abdidit, eo religioſæ uitæ inſtituto, ut multis diuine editis miraculis, adſcriptus ſit in ſanctorum numero. In oppido Remarudo, ſancti Balſemij martyris, et ſociorum. Metis, ſancti Arnulphi epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita innocenter religioſeq. acta, et res admirabiliter, ac diuinitus geſtæ, grauiter conſcriptæ, extant. Antiſiodori, ſancti Eleutherij epiſcopi, et confeſſoris: qui, Pelagio primo pontifice, epiſcopalium uirtutum laude florens cum ad Synodos Aurelianenſes ſæpius conueniſſet, pro eccleſiaq. ſua, quam annis uiginti quattuor et amplius geſſit, multos ſubiiſſet labores; demum ſanctimoniæ gloria illuſtris, quieuit in Domino. Lugduni, ſancti Rochi confeſſoris: cuius res, mirabiliter geſtæ, habentur.

i. E. Decimo ſexto calē. Septēbris. Luna.

1	11	22	4	15	25	7	17	28	10	20	2	13	23	5	16	26	8	19
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

17. *Octaua ſancti Laurentij martyris. Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Mammantis martyris: quem ſummi uiri, Baſilius magnus, et Gregorius Nazianzenus, diuinis laudibus concelebrant. In Achaia, ſancti Myronis presbyteri, et martyris: qui, Decio Imperatore, Antipatri præſidis mandato, grauibus pro* CHRISTI *gloria ſupplicijs affectus, denique capitis damnatus, ceruices conſtanti, libentiq. animo præbuit. Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Stratonis, Philippi, Euthychiani, et Cypriani. Ii in theatrum ingreſſi, ut populum ab ſpectaculis, idolorumq. ſacris, ad Chriſtianæ fidei cultum perducerent, diuina ope perfecerunt, ut magnam inde multitudinem auocarent. Præſes autem cum ab ſpectatoribus theatrum uacuum cerneret, cauſam quæſiuit, cur id factum eſſet, comperitq. fidelium opera plebem inde ad* CHRISTI *doctrinæ ſtudium eſſe auocatam. Itaque illos ad ſe perduci iubet; qui, inſtitutis de religione quæſtionibus, ſe et* CHRISTI *fidem colere, et alios ad eam erudire, conſtanter, libereq. reſponderunt. In theatrum igitur producti, beſtijsq. truculentis obiectati, earum feritate non læduntur: poſt uarie excruciati tormentis, demum in ignem coijciuntur: ſicq. pro* CHRISTO *in ſtadio luctati, demum uictores coronam acceperunt. Ptolemaide, ſanctorum martyrum, Pauli, et Iulianæ ſororis. Ii, Valeriano Imperatore, poſt multa cruciamenta, quæ tortores grauiter inflixerant, demum capitis*

13 huius

ſuppli-

ſupplicium coniunctiſſimis animis pro C H R I S T O *ſubierunt. In Africa, ſanctorum martyrum, Liberati abbatis, Bonifacij diaconi, Serui et Ruſtici ſubdiaconorum, Rogati, et Septimi monachorum, et Maximi pueri. Ii, in perſecutione Vandalica, acerbe pro catholica fide exagitati, præclaro martyrio egregium* C H R I S T O *Domino, et Euangelio teſtimonium dederunt. In Hollandia, ſancti Hieronis presbyteri, martyris. Hic e Scotia euangelicæ prædicationis cauſa eò profectus, dum ad ſuſcepti muneris uigilantiam attentus, homines e tenebris ad lucem reuocat, a barbaris ſecuri percuſſus, per martyrium abijt ad Dominum.*

Decimo quinto cal. Septẽbris. Luna. F.

2 13 23 5 16 26 8 18 29 11 21 3 14 24 6 17 27 9 20
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Agapiti martyris. Hic Prænestinus, quindecim annos natus, martyrij cupidus, in religione Christiana conſtantiſſimus, primum, Aureliani Cæſaris iuſſu, uirgis cæditur: deinde in cuſtodiam incluſus, quatriduo cibum non capit; tum, carbonibus candentibus, eius capiti impoſitis; iterum uerberibus afficitur: poſt, pedibus ſuſpenſus nudus, fumo, qui e ſubiecto igne aſcendebat, cruciatur: maxillis præterea confractis, uentre etiam feruenti aqua perfuſo, cum uehementius ad fidei confeſſionem confirmaretur; tandem feris expoſitus, neque læſus tamen, ſecuri percutitur magna martyrij celebritate. Romæ, ſanctorum, Ioannis, et Criſpi, presbyterorum: qui in Diocletiani perſecutione, cum beatorum martyrum corpora ſepelirent; meritorum, quibus illi cumulati 18.

erant,

erant, ipſi quoque participes, æterna ſunt præmia conſecuti. Romæ item, uia Lauicana, ſanctæ Helenæ, matris Conſtantini pij. Romæ præterea, ſanctorum martyrum, Hermi, Serapionis, et Polyæni. Ii Romani, Chriſtianæ religionis accuſati, in iudicium perducuntur ad præfectum urbis: apud quem CHRISTI *fidem libere profeſſi, primo in tenebricoſum carcerem detruduntur: poſt inde educti, cum idolorum cultum ſuſcipere nollent; per ancipites, et ſaxorum aſperitate difficiles locos raptantur: quo in cruciatu animam Deo reddiderunt. In Dardania, ſanctorum martyrum, Flori, et Lauri: qui fidei defenſionem omni cruciatu ſuſtinendo, præclare confecerunt martyrij curſum. Metis, ſancti Firmini epiſcopi, et confeſſoris.*

ix. G. Decimo quarto cal. Septẽbris. Luna:

3	14	24	6	17	27	9	19	1	12	22	4	15	25	7	18	28	10	21
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

19. *Romæ ſancti Iulij Senatoris: qui pro* CHRISTI *fide, Commodo Cæſare iubente, fuſtibus uſque adeo cæſus eſt; ut martyrium confecerit. Cuius corpus in cœmiterio Callepodij, uia Aurelia, ſepultum eſt. Apud Bituricas, ſanctorum martyrum, Philonis, Rufini, et Mariani. Cæſareæ, ſanctorum matryrum, Magni, Andreæ, et ſociorum: qui, bis mille, quingenti et nonaginta ſeptem, cum leonem conſpexiſſent, in homines, a fide alienos, ſæuientem, ad beati martyris Magni pedes manſuetum, et proſtratum iacere; rei admirabilitate commoti, ad* CHRISTI *fidem ſe contulerunt. quamobrem Alexandri præſidis iuſſu, capite plectuntur: Ma-*

gnus

gnus uero lapidibus obruitur. In Paleſtina, ſanctorum martyrum, Timothei, Agapij, et Theclæ. Fuit Timotheus, genere nobilis, et uitæ religione, dicendiq. laude uſque adeo præſtans, ut magnus pietatis doctor, magiſterq. extiterit. quamobrem comprehenſus, iudicio ſiſtitur apud Vrbanum præſidem: a quo rogatus, de fidei noſtræ myſterijs diuine reſpondit. itaque primo horrendum in modum cæſus, poſt uarijs excruciatus ſupplicijs, poſtremo in ignem poſitus, inſigniter coronatur. Agapius item, ac Thecla, tormentis ambo grauiter affecti, pro CHRISTI fide uiriliter pugnando, feris exponuntur: quarum ictibus confecti, martyrij palmam tulerunt. Bituricis item, ſancti Mariani confeſſoris; cuius res, diuine actæ leguntur. In Pago Sigiſterico, ſancti Donati presbyteri, et confeſſoris: qui ab ineunte ætate, mira Dei gratia præditus, multis annis in ſolitudine uitam pie religioſeq. egit: et miraculorum uirtute clarus migrauit ad Dominum. Toloſæ, ſancti Ludouici epiſcopi, et confeſſoris: qui, e Regia ſtirpe ortus, a pueritia religionis cxardeſcens ſtudio, rebus mundanis ſpretis, ſe inordinem minorum beati Franciſci Deo dicauit. Deinde Toloſæ epiſcopus creatus, uitæ ſanctitate et miraculis clarus, a Ioanne XXII. Pontifice Maximo, relatus eſt in ſanctorum numerum. Catalauni in Gallia, ſancti Elaphij epiſcopi, et confeſſoris. Mantuæ, ſancti Rufini confeſſoris. Nurembergæ, ſancti Sebaldi confeſſoris: qui, ſanctarum actionum, ſanctæq. uitæ meritis cumulatus, obdormiuit in Domino.

Decimo

A. Decimo tertio calē. Septēbris. Luna.

4 15 25 7 18 28 10 20 2 13 23 5 16 26 8 19 29 11 22
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

20. *Sancti Bernardi Abbatis, et confeſſoris. Hic adoleſcens caſtitatem coluit; monachus factus, in ieiunio, orationibus, uigilijs mirifice ſe exercuit; Chriſtianæ paupertatis amans, quaſi uitam cæleſtem agebat in terris, ab omni caducarum rerum cura, et cupiditate alienam. In ſola rerum diuinarum contemplatione occupatus; Mediolanenſium, et Genuenſium epiſcopatus oblatos recuſauit, profeſſus, ſe tanti officij munere indignum eſſe. Multis denique rebus geſtis, et diuina miraculorum uirtute illuſtris, ab Alexandro Tertio, Pontifice maximo, in ſanctis adſcriptus eſt. Hoc ipſo die, Samuelis prophetæ: cuius ſacra oſſa e Iudæa in Thraciam Arcadius Auguſtus ſolenni celebritate, effuſaq. obuiam undique incredibili omnium eccleſiarum multitudine, religioſe transferenda curauit. Romæ, ſancti Porphyrij martyris: qui ad fidem, et diſciplinam* C H R I S T I *beatum Agapitum martyrem erudiuit: In Thracia, ſanctorum Triginta ſeptem martyrum: qui partim Conſtantinopolitani, partim Philippoli nati, fidei Chriſtianæ religionem palam libereq. profeſſi, ab Apelliano præſide comprehenſi, primo uarijs inauditisq. torti cruciamentis, denique extremis pedibus manibusq. præciſis, in caminum amplum, humi effoſum, exardeſcentem coniecti, præclara martyrij laude abeunt in cælum. Cordubæ in Hiſpania, ſanctorum martyrum Leouigildi, et Chriſtophori, monachorum. Hic Eliberi natus, in cœnobio ſanctorum Iuſti,*

et Paſtoris

et Paſtoris, monachus, ſanctitatis laude florens, ad beatum Eulogium uenit; a quo precibus ſe adiuuari contendit in certamine, quod pro CHRISTO ſubiturus erat, conficiendo. Ad quam rem ab illo bene confirmatus, iudicem adit: apud quem incredibili conſtantia, Arabicam ſuperſtitionem deteſtatus, CHRISTO Domino, et Euangelio praeclarum teſtimonium dixit. quamobrem alapis caeſus, ac probris, conuicijsq. alijs affectus, mox in carcerem uinctus truditur. Chriſtophorus autem, ciuis Cordubenſis, eiuſdem beati Eulogij diſcipulus, in coenobio ſancti Martini, adoleſcens monachalem uitam amplexus, magnum ſanctitatis exemplum omnibus perpetuo praebuit. Is, audito aliorum, qui anteceſſerant, ſanctorum martyrio, ad urbem Cordubam deſcendit; myſteria CHRISTI Domini praedicat; uulgus, arabicae impuritati deditum, coarguit; tum iudicem adire non extimeſcit: cui uerbum ſalutis libere praedicat: quare ille, barbaro furore incenſus, hunc in cuſtodiam tradi iubet: ubi beatus Leouigildus erat; ſicq. ambo, mutuis cohortationibus, ad martyrium confirmati; cum dies uenit, coniunctiſſimis, gaudentibusq. animis, ad ſupplicij locum gradiuntur: ubi, ceruicibus abſciſſis, eorum corpora, in flammam poſita, ante quam exurerentur, inde a fidelibus ad baſilicam ſancti Zoili tranſlata, honorifice ſepulta ſunt. Albae in Pannonia, ſancti Stephani, regis: qui diuinis excultus uirtutibus, et uitae religione clarus, iuuante Deo, perfecit, ut, repudiato daemonum cultu, CHRISTI IESV fidem Vngari amplecterentur. In Herio Inſula, ſancti Philiberti abbatis. Hic religionis propagandae ſtudio flagrans, multa conſtruxit monaſteria. In uico Cainone, ſancti Maximi confeſſoris. Is beati

Martini epiſcopi diſcipulus, in uita religioſa cæleſtibus floruit uirtutibus.

xviii. B. Duodecimo calen. Septēbris. Luna.

1 15 26 8 19 29 11 21 3 14 24 6 17 27 9 20 1 12 23

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

21. *Romæ, in agro Verano, ſanctæ Ciriacæ martyris. Romæ item, ſancti Attali martyris. Is beati Agapiti martyris conſtantiam ſecutus, in eadem perſecutione, martyrij calicem bibit. Salonæ, ſancti Anaſtaſij martyris: qui, Alexandro Imperatore, uarie cruciatus, pro* CHRISTI *gloria demum necatus eſt. In Diœceſi Gaualitanæ urbis, ſancti Priuati epiſcopi, et martyris. Hic in perſecutione Valeriani, et Galieni, Imperatorum, pro fidei confeſſione cruciatus, ac necem fortiter ſubiens, coronatur. In Sardinia, ſanctorum martyrum, Luxorij, Ciſelli, et Camerini; qui, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, Delphij præſidis mandato, comprehenſi, pro* CHRISTO *capitis ſupplicio affecti, corona donantur. Hoc ipſo die, ſanctorum martyrum, Bonoſi, et Maximiani: quorum res pro fide fortiter actæ, leguntur. Veronæ, ſancti Euprepij epiſcopi. Is primus eſt, qui epiſcopali munere eccleſiam Veronenſem geſſit, ſancteq. inſtituit ad* CHRISTI *pietatē.*

vi. C. Vndecimo calen. Septēbris. Luna.

6 17 27 9 20 1 12 22 4 15 25 7 18 28 10 21 2 13 24

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

22. *Octaua Aſſumptionis beatæ Virginis Mariæ. Romæ,*

ſancti

ſancti Timothei martyris. Hic Antiochenus, Melchiade ſummo pontifice, ad urbem profectus, à Tarquinio, urbis præfecto, ad idolorum cultum impellitur. Quam impietatem conſtanter, et libere deteſtatus, grauiſſime primo cæditur; poſt, excarnificatus calce uiua perſunditur. In quibus, atque adeo alijs ſupplicijs perferendis conſtans martyr, demum egregia certaminis laude, ſecuri feritur. Romæ item, uia Aurelia, ſancti Antonini martyris. Hic, in beatis martyribus, Euſebio, et ſocijs cruciandis, carnificis officio functus, eorum miraculis, uolente Deo, conuerſus, ſe Chriſtianum deinceps libere profeſſus, Vitellij præfecti iuſſu capite plectitur. Ad Oſtia Tyberina, ſancti Hippolyti martyris: qui, Alexandro Imperatore, coronatur; præſentes Chriſtianos adhortatus, ut quam fidem ab ſanctis Apoſtolis, Petro, et Paulo, traditam, Romana coleret eccleſia, eam retinerent. In portu item Romano, ſanctorum peregrinorum martyrum, Martialis, Epicteti, Saturnini, Maprilis, Felicis, et ſociorum. Romæ etiam ſancti Mauri monachi, martyris: qui, Numeriano Imperatore, coronatur. In Græcia, ſanctorum, Agathonici, Zotici, Theoprepij, Acyndini, et Seueriani, martyrum: qui, in Maximiani grauiſſima contra Eccleſiam Chriſti oppugnatione, acerrimi propugnatores, præclare datis uirtutis, et pietatis chriſtianæ in omni certamine teſtimonijs, nobilis martyrij palmam tulerunt. Auguſtoduni, ſancti Symphoriani martyris: qui, Aureliano Imperatore, uarie tortus, ad ſupplicium cum duceretur, a matre magnopere animatus, fortiter IESV CHRISTI cauſa carnifici ceruices præbuit. Rhemis in Gallia, ſancti Mauri item, et ſociorum martyrum. Is Romæ, ad eam urbem una cum Timotheo, et ſocijs profe-

ctus, diſſeminato Dei uerbo, cum Appollinarem, et alios complures baptizaſſet, a Lampadio Præfecto is, et illi, quos baptizaret, capitis damnati, corona martyrij donantur. Papiæ, ſancti Guniforti martyris: cuius res fortiter contra hæreticos geſtæ, ac mirabiliter, diuinitusq. actæ, narrantur.

D. Decimo calen. Septembris. Luna.

7	18	28	10	21	2	13	23	5	16	26	8	19	29	11	22	3	14	25
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

23. *Vigilia, ſancti Bartholomæi Apoſtoli. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Donati, Reſtituti, Valeriani, Fructuoſæ, et ſociorum duodecim: qui, egregia fidei confeſſione nobiles, præclaro martyrio coronantur. Aegeæ in Lycia, beatorum martyrum, Claudij, Aſterij, et Neonis. Ii multis, ijsq. teterrimis affecti cruciamentis, demum pro* C H R I S T O *cruci affiguntur. Lugduni in Gallia, ſanctorum, Mineruі, Eleazari, et filiorum octo, martyrum. Sirmij, ſancti Irenæi epiſcopi, et martyris. Hic, Diocletiano Imperatore, fidei cauſa comprehenſus, e Sirmio in Pœoniam ductus, iudicio ſiſtitur apud Probum præfectum; a quo in cuſtodiam traditus, religionis Chriſtianæ doctrinam liberius profitendo, uerberibus acerbe cæditur; poſt, capite præciſo, in ſauum fluuium deijcitur. In Thracia, ſanctorum, triginta, et octo martyrum: qui, poſt uarios cruciatus, quos ſumma fidei conſtantia pertulerunt, tandem ſecuri percuſſi, ad cæleſtem palmam perueniunt. Hieroſolymæ, ſancti Zacchæi epiſcopi, et confeſſoris: qui, poſt Iacobum Apoſtolum, epiſcopus quartus eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfuit. Alexandriæ, ſancti Theonæ epiſcopi; uiri*

ri religioſiſſimi, et uere Deo digni. Auguſtoduni, ſancti Flaviani epiſcopi, et confeſſoris. In Aruernis, ſancti Sidonij epiſcopi.

Nono Calendas Septẽbris. Luna. xiiii. E.

8 19 29 11 22 3 14 24 6 17 27 9 20 1 12 23 4 15 26
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Bartholomæi Apoſtoli. *Hic Apoſtolus, in India citeriori primum prædicãdi officio functus, plurimos ad* IESV CHRISTI *fidem conuertit: deinde in Armeniam minorem profectus, Polemonem regem, eiuſq. coniugem, tum ciuitates præterea duodecim religioni chriſtianæ adiunxit. Cuius rei inuidia commoti, idolorum ſacerdotes, regis Polemonis fratrem in Apoſtolum uſque adeo concitarunt, ut is uiuo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi, tum caput abſcindi iuſſerit. Carthagine, ſanctorum trecentorum martyrum: qui, Valeriano, et Galieno Imperatoribus, multiplici primum ſuppliciorum genere affecti, denique in calcis fornacem ardentem coniecti, egregiaq. martyrij corona donati, Maſſæ candidæ inde nomen acceperunt. In Græcia, ſancti Eutychij, beati Ioannis Euangeliſtæ diſcipuli; qui, prædicationis cauſa multis peragratis prouincijs, et diuina eius prece, euerſis idolorum templis, in carcerem detruſus, uerberibus affectus, et in ignem poſitus, ab omni periculo diuinitus ereptus, ſancte, mirificeq. factorum gloria clarus, obdormiuit in Domino. Rothomagi, ſancti Audoëni epiſcopi, et confeſſoris. Is, abiecta rerum humanarum cura, et cupiditate, ob uitæ ſanctimoniam epiſcopus illius ciuitatis factus, cum epiſcopale munus geſſerit magna di-* 24.

uinæ ſuæ uirtutis Laude, annos nonaginta natus, quieuit in Domino. In Niuernis, ſancti Patritij abbatis.

iii. F. Octauo calen. Septembris. Luna.

9 20 1 12 23 4 15 25 7 18 28 10 20 21 3 24 5 16 27

Ab c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

25. *S ancti Ludouici regis, & confeſſoris. Hic Ludouicus quintus, Galliæ rex, mortuo Patre, ſancte a Blanca matre educatus, bello pro Hieroſolyma recuperanda ſuſcepto, captus a Sarracenis eſt. Rebus compoſitis, dimiſſus Acconem uenit: qua in regione ad fidem conuertit quàm plurimos: et Chriſtianorum urbes aliquot refecit ſuis ſumptibus. Deinde mortua matre, in Galliam reuocatus, multa ædificauit monaſteria, et pauperum hoſpitia: ueſtitu uulgari uſus, cilicio, ac ieiunio, aſſidue corpus macerauit. Sicq. in omni Chriſtianæ pietatis officio ſe exercens, demum miraculis clarus, a Bonifacio Octauo relatus eſt in numerum ſanctorum. Romæ, ſanctorum martyrum, Euſebij, Pontiani, Vincentij, et Peregrini: qui, Commodo Imperatore, equuleo, fuſtibus, laminis candentibus, plumbatis denique excruciati, pro* Christi *fide necantur. Romæ item, ſancti Geneſii martyris. Hic, Diocletiano Imperatore, omni tortus cruciamento, a fide tamen* Christi *numquam deterritus, ſed conſtans omnino, demum ſecuri percutitur. Arelate, ſancti item Geneſii martyris. Is prætoris officium gerens, cum in eadem perſecutione edicta, quibus Chriſtianos homines puniri iuſſum eſſet, excipere nollet, comprehenſus, capite plectitur; ita ſanguine ſuo baptizatus, martyrij coronam conſecutus eſt. In Syria, ſancti Iuliani martyris. In*

Hiſpania,

Hiſpania, ſancti Geruntij epiſcopi, & confeſſoris. In Bremenſibus, ſancti Libentij epiſcopi, et confeſſoris. Traiecti, ſancti Georgij epiſcopi, et confeſſoris. In pago Lemouicenſi, ſancti Aredij confeſſoris.

Septimo calendas Septembris. Luna. G.

10 21 2 13 24 5 15 26 8 19 29 11 22 3 14 25 6 17 28
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Zepherini pontificis, et martyris. Hic, Seuero Imperatore, rexit eccleſiam Dei: multa pie ſanciuit: demum martyrio coronatus eſt, et ſepultus uia Appia, prope cœmiterium Calixti. Romæ item, ſanctorum martyrum, Irenæi, et Abundij: qui, Decio Imperatore, pugna pro CHRISTO *Domino ſuſcepta, coronam promeruerunt. Vigintimillij, ſancti Secundi martyris: qui fuit unus e legione Thebæorum. Bergomi, ſancti Alexandri martyris, eiuſdem legionis. In Hiſpania, ſancti uictoris martyris: qui a Mauris pro Chriſti fide cruciatibus affectus, coronam martyrij adipiſcitur in cælis. Antiſiodori, ſancti Eleutherij epiſcopi, et confeſſoris, de quo ſupra. Papiæ, ſancti Ioannis epiſcopi, et confeſſoris.* 26.

Sexto calendas Septembris. Luna. xi. A.

11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Capuæ ſancti Rufi epiſcopi, et martyris. Hic patricius, et exconſul, militiæ Rauennatis dux, eo miraculo obſtupefactus, quod ipſius filiam diuina prece ad uitam beatus Apolli- 27.

narius

narius reuocaſſet, ſtatim una cum uniuerſa familia, et quatringentis ferè hominibus, Christi *Domini fidem amplexus, ab eo baptizatur. Paulo poſt Capuæ epiſcopus conſecratus in Neroniana perſecutione, ob religionem à Meſſalino interficitur. Thomis, ſanctorum martyrum, Marcellini tribuni, Mammeæ coniugis, Ioannis, Serapionis, et Petri, filiorum: qui in Diocletiani perſecutione, præclaro confecto pro* Christi *gloria certamine, coronantur. Aemonæ, ſancti Pelagij martyris: qui, Numeriano Imperatore, dato fidei Chriſtianæ teſtimonio, ſanguine profuſo, præmium accepit ſempiternum. Cordubæ in Hiſpania, ſanctorum martyrum, Aurelij, Felicis, Georgij, Sabigothonis, et Lilioſæ: Hi in Arabica perſecutione, pro teſtimonio, et fide* Iesv Christi, *accerime decertando, nihil eius amori præpoſuerunt; non parentes, non filios, non cognatos, non affines, non amicos; non uicos, non res; non prædia: ſed, omnibus his abiectis; per martyrium ad æternam perueniunt gloriam. Bergomi, ſancti Narni epiſcopi, et confeſſorris: qui a beato Barnaba in fidei doctrina inſtructus, et baptizatus; Bergomenſium urbis epiſcopus conſecratus, is fuit, qui primò fidei inſtitutis illam ciuitatem imbuit. Arelate, ſancti Cæſarij epiſcopi, et confeſſoris; doctrinæ, et uitæ, ex euangelij preſcripto actæ, laude inſignis. Auguſtoduni, ſancti Siagrij epiſcopi, & confeſſoris.*

xix. B. Quinto calen. Septembris. Luna,

12	23	4	15	26	7	18	28	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	1
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

28. *Sancti Auguſtini epiſcopi, et confeſſoris. Is primum à*

Chriſtiana

chriſtiana religione abhorrens, Mediolani beatorum, Ambroſij in primis, et Simpliciani opera incenſus ad ſtudium Chriſtianæ fidei, annos circiter triginta natus, ab ipſo ſancto Ambroſio baptiꝫatus eſt. In Africam reuerſus, cum religione, uitæ ſanctitatem coniungens, a Valerio epiſcopo presbyter factus, familiam religioſorum inſtituit. In Manichæorum hæreſim magnopere inuectus, Fortunatum hæreſiarcham confutauit: qua Auguſtini pietate motus Valerius, eum adiutorem adhibuit epiſcopalis muneris, quod illo mortuo, ipſe epiſcopus ſuccedens, diuine geſsit et exemplo uitæ, et doctrina. Demum pro eccleſia Dei multis laboribus ſancte perfunctus, ad præmium migrauit in cælum, annos ſeptuaginta ſex natus. Romæ, ſancti Hermetis martyris: qui, in Aureliani perſecutione, poſt carceris cruciatum, denique ſecuri percuſſus, martyrio coronatur. Aruernis, ſancti Iuliani martyris. Hic, in Diocletiani, et Maximiani funeſta oppugnatione, fortis diuinæ pietatis propugnator, corona inſigniter decoratur. Hoc ipſo die, ſancti Alexandri epiſcopi, et confeſſoris: cuius religioſa precatione Arius Dei iudicio damnatus eſt. Conſtantiæ, ſancti Pelagij martyris. Apud Sanctones, ſancti Viuiani epiſcopi, et confeſſoris: qui poſt quattuor, quos ſanctos eccleſia Sanctonienſis habuit, epiſcopos, quinto loco ſuccedens, admiranda etiam ſanctitatis laude celebratur.

Quarto calendas Septembris. Luna. C.

13 24 5 16 27 8 19 29 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 2

A b c d e f g h i *K* l m n o p q r ſ t

Decollatio ſancti Ioannis Baptiſtæ. Tempore Dominicæ 29.

paſsionis, ſancto Ioanni Baptiſtæ caput præciſum eſt iuſſu Herodis. Cuius rei memoria ſolennis ex eccleſiæ inſtituto celebratur hoc ipſo die: quo illud Emeſſæ iterum inuentum eſt. Eodem die, Eliſei prophetæ. Romæ, ſanctæ Sabinæ martyris: quæ, Adriano Imperatore, gladio pro CHRISTI *nomine percuſſa, inſigniter coronatur. Tuderii, ſancti Terentiani epiſcopi, et martyris. Hic, cum populum, ſibi commiſſum, ad fidei cultum ab impia ſuperſtitione perduxiſſet, Letiani proconſulis mandato comprehenſus, ad idolorum ſacra adigitur. quod ſcelus deteſtatus, equuleo, ſcorpionibus, et facibus, ad latera admotis, cruciatur. Iis uero cruciamentis, fortiter ſuperatis, demum, præciſa lingua, capitis damnatus, præclara martyrij celebritate, abit ad Dominum. In Pago Threcaſsino, ſanctæ Sabinæ uirginis. Hæc,* CHRISTI *ſponſi amore flagrans, pie religioſeq. peregrinata, uitæ caſtiſsimæ, et miraculorum gloria florens, obdormiuit in Domino. Romæ, ſanctæ Candidæ uirginis. Pariſijs, ſancti Mederici presbyteri, et confeſſoris. Venuſiæ, ſancti Felicis epiſcopi, et confeſſoris. Metis, ſancti Adelphi epiſcopi, et confeſſoris.*

viii. D. **Tertio calendas Septembris.** Luna.

14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	3
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

30. *Romæ, uia Oſtienſi, ſanctorum, Felicis presbyteri, et Adaucti, martyrum. Felix, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, iam equuleo tortus, cum ad necem, uia Oſtienſi, ducitur: ei obuiam factus, quidam Chriſtianus, libera uo-*

ce dixit, ſe IESVM CHRISTVM colere. itaque beatum Felicem oſculatus, cum eo ſecuri feritur. Quoniam uero eius nomen ignotum eſſet, Adauctus uocatus eſt; quia illi ſe adiunxit ad martyrij ſocietatem. Romæ item, ſanctæ Gaudentiæ uirginis, cum alijs tribus. In finibus Meldenſium, ſancti Fiacrij confeſſoris, admiranda ſanctitate uiri. Ambiani, ſancti Firmini epiſcopi, et confeſſoris.

Pridie calendas Septembris. Luna. E.

15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 4
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Athenis, ſancti Ariſtidis, fide, et ſapientia clariſſimi; qui, noſtræ religionis inſtitutis eruditus, apud Adrianum Imperatorem, pro Chriſtiano cultu cauſam perorauit, eius rei nomine libro a ſe conſcripto. Eodem die, ſanctorum martyrum, Robuſtiani, et Marci. Treueris, ſancti Paulini epiſcopi, et confeſſoris. Hic a Coſtantio Ariano, ob catholicam fidem, modo huc, modo illuc relegatus, multisq. rerum anguſtijs affectus, tandem diuina ope exantlatis laboribus, obdormiuit in Domino. In Anglia, ſancti Aidani epiſcopi, et confeſſoris: cui Beda uenerabilis id teſtimonij dat, quod, is uitæ innocentia, et miraculis clarus, nihil agere prætermiſit, quod ex euangelicis, et Apoſtolicis litteris faciendum eſſe cognouerit. Antiſiodori, ſancti Optati epiſcopi, et confeſſoris. Atrebuti, Translatio, ſancti Adulphi epiſcopi, et confeſſoris. 31.

xvi. F. **Calendis Septembris.** Luna.

16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 5

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Die I. *IESV NAVE, et Gedeon prophetarum. Annæ item prophetiſſæ: de cuius ſanctitate euangelicis litteris proditum eſt. Capuæ, uia Aquaria, ſancti Priſci epiſcopi, et martyris. Hic unus e ſeptuaginta diſcipulis, cum beato Petro, Apoſtolorum Principe, Romam profectus, inde Capuam uenit: ubi, uerbum ſalutis cum diſſeminaſſet, palmam martyrij tulit. Remis in Gallia, ſancti Xyſti epiſcopi, et martyris: qui, eiuſdem Apoſtoli auditor, primus Rhemorum epiſcopus, Imperatore Nerone, teterrimo Chriſtianæ religionis aduerſario, pro* CHRISTI IESV *gloria necatus, coronatur. Eodem loco, hoc ipſo die, ſancti Siſinij epiſcopi, et martyris. Hic in illius locum creatus epiſcopus, in ea ipſa perſecutione, uarie cruciatus, animam Deo reddidit. Tuderti in Vmbria, ſancti Terentiani martyris, de quo proxime ſupra tertio calendas. Venuſiæ in Apulia, ſanctorum Duodecim martyrum. Ii Germani fratres, Maximiano Cæſare, rem Chriſtianam oppugnante, forti animo dimicationem ſubeuntes, nulla ſuppliciorum acerbitate fracti, egregie curſu pugnæ confecto, ad palmam perueniunt. Beneuenti, ſanctorum etiam duodecim martyrum, Donati, Felicis, Acontij, Honorati, Fortunati, Sauiniani, Septiminij, Ianuarij, Felicis, Vitalis, Satyri, et Repoſiti: qui germani item fratres, nobili genere nati, uitæ ſanctitate illuſtres, ſacris doctrinis eruditi, hominum multi-*

forte iidem, de quibus infra.

tudinem

tudinem prædicationibus ſuis CHRISTO *Domino adiunxerunt. quam ob cauſam accuſati, in carcerem detruduntur; ubi, cum multos quoque ad martyrium animaſſent, primum cruciatibus torti, poſt clauis confixi, in rogum iniecti, flammis ſemiuſtulati, tum in conſpectu iudicis iterum uerberibus cæſi, demum, ſuperatis cæleſti conſtantia diuinoq. præſidio cruciamentis omnibus, ſecuri percuſſi, corona inſigni decorantur. In Græcia, ſanctarum quatraginta uirginum, martyrum, et Ammonis Diaconi. Erant illæ Adrianopolitanæ uirgines, ab Ammone fidei initijs inſtitutæ: quam ob cauſam in uincula coniectæ, multiplicíq. ſuppliciorum genere excruciatæ, conſtanti uiriliq. animo in religionis propoſito perſtiterunt. itaque Ammon itidem comprehenſus, primo in ſublime abreptus, in utroque latere ſcalpris foede dilaceratur; poſt, caſſide candenti, ignitaq. admodum, capiti impoſita, ad Licinium præfectum una cum uirginibus trahitur. Cuius præfecti iuſſo ex illis, octo cum Ammone gladio percuſſæ; decem pugione tranſuerberatæ; decem aliæ igni concrematæ; ſex minutatim conciſæ; reliquæ ferro igneſcente, in fauces iniecto, teterrime necatæ, coronis cæleſtibus donantur. In prouincia Narbonenſi, ſancti Aegidij abbatis, et confeſſoris. Hic e regia ſtirpe natus, ab ineunte ætate diuinis litteris, et charitatis officijs deditus, parentibus mortuis, omne patrimonium pauperibus in eleemoſynam contulit: deinde in ſolitudinem ſecedens, herbarum radicibus, et ceruæ lacte, quæ ſtatis ad eum horis ueniebat, duriter uictitans, uirtutibus cum cæleſtem uitam in terris imitaretur, demum multorum miraculorum gratia clarus, migrauit in cælum. Rhemis, ſancti Xyſti: qui beati Petri,*

Apoſto-

Apoſtolorum principis diſcipulus, illius urbis epiſcopus conſecratus, uitæ ſplendore, et euangelij prædicatione ad Chriſti fidem populum Rhemenſem perduxit. Apud Sennones, ſancti Lupi epiſcopi, et confeſſoris: qui dum ſacrum faceret, in eius calicem gemma, de cælo delapſa, legitur. In Cenomanis, ſancti Victoris epiſcopi, et confeſſoris: cuius rès, diuinitus, ac mirabiliter, pieq. geſtæ, ſcribuntur, Rhemis item, ſancti Niuardi epiſcopi, et confeſſoris. In Diœceſi Conſtantienſi, ad Aquas duras, ſanctæ Verenæ uirginis. Venetijs, Translatio, ſanctæ Mariæ uirginis.

v. G. Quarto nonas Septembris. Luna.

A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t
17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	6

2. *Apamææ, ſancti Antonini martyris: cui, in poſtrema Diocletiani Imperatoris perſecutione, caput pro* CHRISTO IESV *abſciſſum, et corpus membratim diſcerptum eſt. Alexandriæ, ſancti Ariſtionis epiſcopi, et martyris. Hic Chriſti cæleſte regnum cum palam prædicaret, diuineq. doceret, quàm caducæ eſſent, fallaceſq. res humanæ, rurſusq. cæleſtes quàm ſolidæ, ac ſempiternæ; ac gentibus, a fide alienis, ſuaderet, ut Chriſtianæ religionis ueritate imbutæ, baptizarentur; captus ſiſtitur præſidi; confeſſusq. conſtantiſſime* CHRISTVM, *in ignem conijcitur: ubi, cum magnifice de Deo ſentiret, et loqueretur, tamdiu excoctus eſt, quoad anima, omni corporis admixtione liberata, pura, et integra, ad cæleſtē coronā peruenit, Lugduni ſancti Iuſti epiſcopi, et confeſſoris. Hic in heremum ſecedens, aliquot annis uitam ab omni rerum mundanarum*

cupiditate

cupiditate alienam, ac plane cæleſtem egit. Lugduni item, ſancti Elpidij epiſcopi, et confeſſoris. Venetijs, translatio ſancti Coſmæ heremitæ, et confeſſoris: cuius corpus e Creta inſula tò delatum eſt.

Tertio nonas Septembris. Luna: A.

18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	7
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ordinatio ſancti Gregorij Papæ. Romæ item, 3.
ſanctæ Serapiæ uirginis Antiochenæ: quæ, Adriano Imperatore, duobus mulieroſis uiris tradita, non uiolari; et facibus accenſis obiecta, non inflammari potuit. Poſtremo fuſtibus cæſa, capite pro CHRISTO *plectitur. Eius martyrium quarto calendas Auguſti celebratur: hoc tamen die, quo beata Sabina corpus illius ſepeliuit, eiuſdem memoria maiori celebritate colitur. Aquileiæ, ſanctarum uirginum, et martyrum, Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ, et Eraſmæ. Hæ, in perſecutione Neroniana, Sebaſti Præſidis mandato, uirgis, malleis, et flammis cruciatæ, demum amputatis mammis, cum nihil detrimenti, Dei ope accepiſſent, a Valentio, priorum duarum patre, et aliarum duarum patruo, ſecuri percuſſæ, egregio martirio coronantur. Capuæ, ſanctorum martyrum, Ariſtei epiſcopi, et Antonini: quorum res pro* CHRISTI *gloria geſtæ, extant. Nicomediæ, ſancti Anthimi epiſcopi, et martris, et ſociorum, de quibus, ad quintum calendas Maij. Hic quo tempore Diocletianus, et Maximianus in Chriſtianos crudelitatem, et carnificinam exercebant, cum in montis cuiuſdam latebras ſe abdidiſſet; poſt tamen aliquanto, Maximiano pro-*

no pro-

no proditur. Cuius tyrãni iuſſu primò lapidũ ictu ceruices eius contunduntur; poſt, ferro candenti tali perforantur. Quibus ſupplicijs Dei auxilio ſuperatus, beatus martyr grauius præterea torquetur. In acutiſſimis enim teſtulis collocatus, uirgis, horribilem in modum ſpinoſis, fœde laceratur: calceamentis e ferro candentibus à pedibus uſque ad fœmora, per uim induitur: trocho præterea aſtrictus, funalibus aduritur. Demum capitis damnatus, præclara martyrij laude ad coronam abijt in cælum. Nicomediæ item ſanctæ Baſiliſſæ uirginis, et martyris. Hæc, annos nouem nata, Diocletiano Imperatore, ob Christi *fidem Alexandro præfecto ſiſtitur: apud quem ſe Chriſtianam eſſe, conſtanti uoce profeſſa, primo colaphis, tum uirgis duriſſime cæditur: poſt e ligno appenſa, capite cathenis conſtricto, picis, ſulphuris, ac plumbi fumo tetrè cruciatur: deinde in ignem coniecta, nulloq. modo flammæ ui læſa, duobus leonibus obijcitur. A quibus omnibus periculis diuinitus liberata uirgo, ex urbe egreſſa, cum ſiti conficeretur, Deum precata, manantibus e terra aquis, ſitim depulit: pauloq. poſt orando, uirginitatis, et martyrij aſſecuta eſt præmium. In Tullo urbe, ſancti Manſueti epiſcopi, et confeſſoris. Papiæ, ſancti Marini Diaconi, et confeſſoris. Apud Senonenſes, ſancti Ambroſij epiſcopi, et confeſſoris, diuinarum uirtutum gloria clari. Traiecti, ſancti Remachi epiſcopi, et confeſſoris: qui a popularibus tumultibus abhorrens, quò religioſius in cæleſtium rerum meditationibus conquieſceret, epiſcopali munere depoſito, in monaſterium Stabulenſe ſe abdidit: ubi in omni uita ſuæ ſanctitatis præclara teſtimonia dedit. Veronæ, ſancti Manij epiſcopi, et confeſſoris. Mediolani, ſancti Auxani epiſcopi, et confeſſoris; qui in prædicationis officio dili-*

genter

genter uerſatus, eccleſia, ſibi commiſſa, ſanctè adminiſtrata, miraculorum laude florens, obdormiuit in Domino. In diœceſi item Mediolanenſi, ſancti Alberti confeſſoris.

Pridie nonas Septembris. Luna. xiiii. B.

19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 8
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, beatiſsimorum martyrum, Magni, Caſti, et Maximi. Cabilloni, in Gallia, ſancti Marcelli martyris: qui a Priſco præſide ad conuiuium prophanum uocatus, id grauiter execratus, omnes, qui aderant, conuiuas impietatis libere uehementerq. obiurgauit. Quare ex Antonini Imperatoris edicto comprehenſus, inaudito crudelitatis genere cruciatur: quippe qui in terra totus defoſſus, humeris, et capite tantum extaret: ſicq. tertiò poſt die, martyr, in fide conſtans, ſpiritum Deo reddidit. In Græcia, ſanctorum martyrum, Theodori, Oceani, Ammiani, et Iuliani. Hi, Maximiano Imperatore, pro CHRISTO *Domino primum pectinibus excarnificati, deinde in feruentes balneas coniecti, incolumes ope diuina inde euaſerunt. Poſt iterum comprehenſi, et in uaſtam ſolitudinem abducti, præciſis ſingulis membris, cruribusq. confractis, in ignem poſiti, Deum continenter precando, abierunt in cælum. Ancyræ in Galatia, ſanctorum trium puerorum, Rufini, Siluani, et Vitalci, martyrum. Treuiris, ſancti item Marcelli epiſcopi, et martyris. Hoc ipſo die Moiſis prophetæ.* 4.

ii. c. Nonis Semptembris. Luna.

20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 9
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

5: *Romæ, ſancti Victorini epiſcopi, et martyris. Hic Amiterni epiſcopus, rerum ſanctè, diuineq. geſtarum laude florens, pro* CHRISTI *fide, Imperatore Nerua, Aureliani iudicis decreto, unà cum alijs, pietatis chriſtianæ colentibus, ab urbe exulare iuſſus; demum ad ſulphureas aquas inuerſo capite ſuſpenſus, triduo poſt præclaro hoc martyrio nobilis migrat ad Dominum. Romæ item in portu, ſancti Herculani martyris. In Perſide, ſancti Abdiæ martyris: qui, chriſtianæ religionis cultor egregius, eo ſtudio uehementer exarſit; ut multos ad* CHRISTI *Domini cultum a falſis commentitijsq. dijs conuerteret. Quamobrem a Magorum principe ui, ac minis cum ad idolorum ſuperſtitionem abduci non poſſet; malorum punicorum uirgis horrendis dire tam diu cæditur, quoad ſemiuiuus domum, ſuccollantibus tortoribus, delatus, animam paulo poſt, magna pietatis ſuæ teſtificatione, Deo reddidit. In Græcia, beatorum martyrum, Thathuelis, et Bebææ ſororis. Hæc, Hadriano Imperatore, fidei ardore inflammata, plurimos cohortationibus ab falſo cultu auocauit. itaque in cuſtodiam coniecta, primo acerbe cæditur; tum uſque ad oſſa ſcalpris laniata, demum lancea in gutture tranſuerberatur. ille uero, ſumma dicendi liberate* CHRISTI *Redemptoris fidem perpetuo profeſſus, non ullo cruciatu, quò uarie, horribiliterq. affectus eſt, a propoſito dimotus, tandem in lignum ſublatus, ſerra ferrea medius diſſectus, nobilis martyrij palmam tulit.*

Capuæ

Capuæ, ſanctorum martyrum, Quintij, Arcontij, et Donati. In Pago Teruanenſi, ſancti Bertini abbatis; rerum admirabilium, et uitæ, cæleſtibus uirtutibus exculta, gloria clari. Veſontij in Gallia, Inuentio beatorum martyrum, Ferreoli, et Ferrutionis.

Octauo idus Septembris. Luna. D.

21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 19
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Oneſiphori: qui beati Pauli apoſtoli diſcipulus, et imitator, ac peregrinationis ſocius, poſt illius martyrium in Domino quieuit. In Græcia ſanctorum martyrum, Eudoxij, Romuli, et ſociorum. Honeſtiſſimum Eudoxius ordinem apud Traianum Cæſarem ducebat; quippe qui decem millibus peditum, et equitum turmis in Gallia præeſſet. Romulus autem aulæ imperatoriæ præfectus, auctor fuit Traiano, ut in Galliam iret, et milites chriſtianos dijs immolare compelleret. Quod impietatis ſcelus auerſati milites, relegantur ad urbem Armeniæ Melitenem: Romulus uero, pœnitentia ductus, cum in Christvm *crediðiſſet, Traianumq. libere accuſaſſet impietatis, capite mulctatus, martyrio coronatur. Poſtea cum rerum potitus eſſet Maximianus, edixiſſetq. Chriſtianos interfici; idem etiam Melitonis præfecto mandauit. Quare Eudoxio, et reliquis, qui cum eo militabant, diu prius, acerbeq. tortis, quoniam chriſtianæ fidei deſertores eſſe nollent, capita præciſa ſunt. Alexandriæ, beatorum martyrum, Fauſti presbyteri, et Abibæ diaconi. Hi ambo, ab illius urbis præfecto, grauiter cruciati, quia in* Christi *fide perſeue-* 6.

hic est error nam Maximianus fuit fere 200 post Traianum

* Melitenis

ſeuerarent, in carcerem truduntur. rurſusq. inde educti, compelluntur ſacra dijs facere: ſed tantum abfuit, ut, a CHRISTO *deficere, animum inducerent; ut illum etiam grauiſſime accuſarent impietatis, atque inſaniæ. quamobrem ſanctis uiris ceruices præciſæ ſunt. In Africa, ſanctorum confeſſorum, Donatiani, Præſidij, Germani, et Fuſculi, epiſcoporum: qui, Hunrici, Vandalorum regis, iuſſu, pro catholicæ fidei ſtudio acerbiſſime cæſi, in exilium deinceps pelluntur. In ijs Loetus epiſcopus, uir animi magnitudine, et doctrina præſtans, diu carceris ſitu, ſqualloreq. pene confectus, tandem comburitur. Reate in Cappadocia, ſanctorum martyrum, Cottidri diaconi, Eugenij, et ſociorum. Romæ, S. Eleutherij abbatis: qui admiranda ſimplicitate, at miſericordia fuit. Ad Fauces, ſancti Magni confeſſoris: qui ſancti Galli diſcipulus, diuino prædicandi munere multorum animos ad pie agendum inflammauit: miraculorumq. ac uitæ, religioſe actæ, laude nobilis, in ſanctos ſummi pontificis Romani auctoritate ab epiſcopo Auguſtano adſcriptus eſt. Veronæ, ſancti Petronij epiſcopi, et confeſſoris. Eodem die, Zachariæ prophetæ: qui ſenex de Chaldæa in patriam reuerſus, ad Aggæi prophetæ ſepulcrum ſepultus eſt.*

x. E. Septimo idus Septembris. Luna.

22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	11
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

7. *Nicomediæ, ſancti Ioannis martyris. Hic fidei ardore inflammatus, librum conſcidit, in quo edicta continebantur contra chriſtianos. qua audita re, Diocletianus, et Maximianus,*

nus, ira commoti, iuſſerunt eum, quouis ſupplicio excruciatum, necari. quod omne forti, conſtantiq. animo, ille, diuina uirtute roboratus, pertulit. Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Eupſychij martyris. Hic patre mortuo, baptizatur; chriſtianæq. religionis, Hadriano Imperatore, accuſatus, præfecti Cæſareæ iuſſu in uincula truditur. Inde paulo poſt emiſſus, diuendito patrimonio, pecuniam, quam eo nomine ſibi compararat, partim accuſatoribus ſuis, partim pauperibus diſtribuit: Iterum autem comprehenſus, nullis præfecti minis, ac terroribus a fidei propoſito dimouebatur. Itaque e ligno ſuſpenſus, uſque adeo ſcalpellis excarnificatur, ut uiſcera apparerent. Demum depoſitus, pugione cæſus, ad martyrij coronam abijt in cælum. In diœceſi Auguſtodunenſi, ſanctæ Reginæ uirginis, et martyris: quæ, Olibrio proconſule, equuleo, carcere, et facibus horribilem in modum cruciata, demum pro CHRISTI *gloria capite plectitur. Aquileiæ, ſancti Anaſtaſij martyris. Hic infimo genere natus, fidei confeſſione nobilitatus, præclarum martyrij coronam tulit. Aureliæ, in Gallia, ſancti Euurtij epiſcopi et confeſſoris: qui Romanæ eccleſiæ ſubdiaconus, poſt diuinitus declaratus eſt illius urbis epiſcopus, columbæ aduentu. In finibus Pariſiorum, ſancti Rodulchi presbyteri, et confeſſoris, uiri tum genere, tum mentis pietate, uitaq. ſanctitate illuſtris: cuius corpus in eccleſia aſſeruatur, eius nomine Deo conſecrata. Arelati, ſancti Auguſtalis epiſcopi. Auguſtæ, ſancti Grati epiſcopi, et confeſſoris: admiranda ſanctitate, rerumq. mirifice, ac diuine geſtarum gloria clari.* Clodoaldi

Sexto

F. Sexto idus Septembris. Luna.

23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	12
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

8. *Natiuitas beatiſsimæ Dei genitricis Mariæ. Nicomediæ, ſancti Hadriani martyris. Hic ciuis Romanus, nobili genere ortus, Maximiano Imperatore, ſe chriſtianum eſſe libere profeſſus, cum ſua uirtute, tum Nataliæ coniugis cohortationibus, tum uiginti trium, quos martyrij ſocios habuit, animi fortitudine, et conſtantia incitatus, nullo uel teterrimo ſupplicio deterritus, ſed ui tormentorum conſtantior factus, martyrio coronatur. Alexandriæ, ſanctorum martyrum, Ammonis, Theophili, Neotherij, et ſociorum uiginti duo. In Græcia, ſanctorum fratrum, martyrum, Rufi, et Rufiniani: qui pro confeſſione fidei gladio feriuntur. Sancti item Artemidori martyris. Hic, in flammam coniectus, admirandæ pietatis ſuæ, ac fidei teſtimonium præclarum dedit. Sancti præterea Seueri martyris: qui pro* Christo *omnem cruciatum perpeſſus, demum conſtantis animi uirtute ceruices præbuit. Antiochiæ, beatorum martyrum, Timothei, et Fauſti. Friſingæ, ſancti Corbiniani epiſcopi, et confeſſoris.*

xviii. G. Quinto idus Septembris. Luna.

24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	13
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

9. *Nicomediæ, beatiſſimorum martyrum, Dorothei, et Gorgonij. Hic, et ille, Diocletiani Cæſaris cubicularius, reli-*

quos

quos cubiculi miniſtros ad IESV CHRISTI *fidem perduxit. cum autem uterque Imperatoris impiam in martyres crudelitatem grauiter, ac libere accuſaret; comprehenſus, flagellis ita conciditur, ut toto corpore cutis diſrumperetur; aceto ſale permixto, in plagas infuſo. Demum uarie, acerbeq. ambo excruciati, ſuſpendio necantur. Romæ ſancti Sergij Papæ, qui ſexdecim annis pie ac ſancte rexit eccleſiam Dei. In Græcia, ſancti Seueriani martyris. Is ciuis Sebaſtenſis, Licinij Imperatoris miles, cum propter* CHRISTVM *quatraginta martyres comprehenſi eſſent, et in carcerem incluſi, eos frequẽs adibat, hortabaturq. ad perferendum fortiſſime pro* CHRISTI *fide martyrium, cognitus autem captusq. Lyſiæ præfecto ſiſtitur; in cuius conſpectu cum* CHRISTVM *conſtantiſſime confiteretur, dæmonum autem impoſturas, gentium errorem libere reprehenderet, eumq. impietatis accuſaret; in ſublime arreptus, neruis bubulis grauiter cæditur; unguibus ferreis excarnificatur; facibusq. aduritur. Poſtea funibus uinctus, appenſo pedibus ingenti ſaxo, e muro ſuſpenſus, tamdiu uerberibus cruciatur, quoad omnibus membris dilaniatus, totoq. corpore luxato, inter tormenta precibus laudibusq. diuinis intentus ſpiritum Deo reddidit. In Græcia item, ſanctorum martyrum, Ammiani, Theodori, et Iuliani: qui pro* CHRISTI *fide in ignem poſiti, egregia ueræ diuinæq. pietatis teſtificatione ad æternam gloriam peruenerunt. In Sabinis, ſanctorum martyrum; Hyacinti, Alexandri, et Tiburtij. In Diœceſi Teruanenſi, ſancti Audomari epiſcopi, et confeſſoris: qui annis triginta epiſcopatu ad Dei uoluntatem egregie adminiſtrato, ſanctitatis, ac rerum mirifice, diuinitusq. geſtarum, et meritorum laude cumulatus, quieuit in Domino. In Scotia,*

ſancti

ſancti Querani abbatis.

vii. A. **Quarto idus Septembris.** Luna.

25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 11 2 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

10. *Romæ, ſancti Hilari papæ, in egentes, ac pauperes pietate, ac liberalitate clari. In Africa, ſanctorum martyrum, Nemeſiani, Felicis, Lucij, et alterius item Felicis, Littei, Peliani, Victoris, Iaderis, et Datiui, epiſcoporum. Hi Decio, et Valeriano, Imperatoribus, ingraueſcente perſecutione, ut primum* CHRISTI IESV *fidem confeſſi ſunt, fuſtibus grauiter cæſi, hoc cruciatu martyrij ſui fecerunt religioſa initia. poſt compedibus uincti, ad metalliq. fodinas relegati, cum ſua ſponte, tum beati Cypriani præclara epiſtola ad omne certamen uehementius confirmati, ut fortiſſimi, fideliſſimiq. milites Chriſti, aduerſarijs ſuperatis, uictoriæ corona inſigniter donati ſunt. In Chalcedonia, ſanctorum martyrum, Soſthenis, et Victoris. Ii, Priſco conſule, ob fidei confeſſionem, in carcerem detruſi, uinculis conſtricti, feris obiectati demum, dum precarentur, animam Deo reddiderunt. In Bithynia, ſanctarum martyrum, Menodoræ, Metrodoræ, et Nymphodoræ. Hæ ſorores, Maximiano, eccleſiam Dei oppugnante, cum* CHRISTVM *Dominum ſumma pietate colerent; ob eam cauſam a prouinciæ præfecto comprehenſæ,* CHRISTI *fidem libere profitentur. Quamobrem Medodora, natu maior, primò uirgis cædi tur; tum alijs tormentis cruciata, dum horribiliter, confractis fæmoribus, et cruribus, torquetur, precando abijt in cælum. Eius corpus iuſſit præfectus in ſororum con-*

ſpectu

ſpectu proponi, ut terrorem eis incuteret; hortabaturq. ut dijs ſacra facerent, ne eadem, quæ ſoror, paterentur. ſed cum nihil dicendo proficeret, a lictoribus eas contrucidari mandauit: qui arreptas ſtatim ferreis uectibus uſque adeo contuderunt, ut, præfractis omnibus membris, martyrij palmam præclaro pietatis teſtimonio tulerint. Traiecti, ſancti Theodurdi epiſcopi, et martyris. Tolentini in Picenis ſancti Nicolai confeſſoris: qui uitæ ſanctimonia, et miraculorum ſplendore elucens, ab ſummo pontifice, Eugenio quarto relatus eſt in ſanctorum numerum. In urbe Albienſi, ſancti Saluij epiſcopi, et confeſſoris: cuius uitam, commemorabili pietate, chriſtianaq. uirtute præclaram, Gregorius Turonenſis multis locis explicauit. Nouariæ, ſancti Agabij epiſcopi, et confeſſoris. Compoſtellæ, ſancti Petri epiſcopi, et confeſſoris.

Tertio Idus Septembris. Luna. B.

26 7 18 20 10 21 2 13 24 25 16 27 8 19 30 11 22 3 15

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, uia Salaria ueteri, in Cœmiterio Baſillæ, ſanctorum, Proti, et Hyacinthi, martyrum. Hi, Gallieno Imperatore, Chriſtianæ religionis accuſati, idq. propterea comprehenſi, dijs cultum tribuere iuſſi, hoc nefarium facinus committere, præciſe conſtanterq. negant. quare primo uerberibus accerbiſſime cæſi, poſt, ſecuri feriuntur. Laodiceæ, beatorum martyrum, Diodori, et Didymi. Ii cum multos, ab impietate ad CHRISTI *cultum conuerſos, baptizarent; delati ab impijs hominibus ad Laodiceæ præfectum, iudicio ſiſtuntur. inſtitutis autem quæſtionibus, cum Chriſtia-* 11.

nos ſe eſſe libere conſtanterq. confiterentur, uerberibus grauiter affecti, diuq. excruciati, a fidei propoſito depelli nullo modo potuerunt. itaque crudelitatis acerbitate diuinæ uirtutis robore ſuperata, martyrij præmium cæleſte conſecuti ſunt. Vercellis, ſancti Aemyliani epiſcopi, et confeſſoris. Hic quatraginta annis in heremo ſanctiſſime uixit: poſt epiſcopus Vercellarum factus, omni Chriſtianæ pietatis laude florens, ad Concilia, quæ Symmachus pontifex conuocauit, Romam tertio uenit. Demum multis pro CHRISTI *gloria laboribus religioſe perfunctus, meritis cumulatus, migrauit in cælum. Lugduni, ſancti Patientis epiſcopi, et confeſſoris. In Sicilia, ſanctorum, Eupli, et Serapionis, confeſſorum.*

XV. C. Pridie Idus Septembris. Luna.

27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 16
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

12. *A lexandriæ in Aegipto, ſancti Theodori martyris: quem, fidei Chriſtianæ cultorem eximium, populus Alexandrinus, idolorum ſuperſtitioni deditus, uarie excruciauit: poſt ad præfectum perduxit; qui fortiſſimum Dei athletam ſecuri demum feriri iuſſit. Iconij, ſancti Curonoti epiſcopi, et martyris. Hic, grauiſſima commota perſecutionis tempeſtate, pleriſque metu dilapſis, præfecto, Chriſtianos crudeliter oppugnante, obuiam proceſſit; Chriſtiq. fidem libere profeſſus, per urbis uicos primò raptatus, poſt diu tortus, demum capitis damnatus, coronatur. In Bythinia, ſancti Autonomi epiſcopi, et martyris; qui ab Italia ad eam prouinciam profectus, Diocletiano Imperatore, diuinæ doctrinæ prædicatione, et*

pietatis

pietatis exemplo cum multos ad IESV CHRISTI *fidem perduxiſſet, ab idolorum cultoribus, dum ſacrum faceret, in altari necatus, martyrij coronam tulit. Papiæ, ſancti Iuuentij, de quo ad ſextum idus Februarij. Lugduni, ſancti Sacerdotis epiſcopi, et confeſſoris. Veronæ, ſancti Siluini epiſcopi, et confeſſoris. In Aquitania ſancti Maximi, Treuirorum epiſcopi. Anderlaci, ſancti Guidonis confeſſoris: qui humili loco natus, iam inde à pueritia pietatis officijs deditus, in ieiunijs, uigilijs, oratione ſe ſe continenter exercuit. Maior natu, Romam, Hieroſolymam, et omnem pœne orbem ad ſanctorum eccleſias annis ſeptem peregrinatus, iterum religionis cauſa ad urbem Hieroſolymam, inde Anderlacum redijt: ubi pauperis hoſpitio uſus, paulo poſt uitæ ſanctiſſime actæ, meritis cumulatus, abijt Dominum.* 8 febr.

Idibus Septembris. **Luna.** iiii. D.

28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 17
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Alexandriæ, ſancti Philippi epiſcopi. Hic ſanctæ Eugeniæ uirginis pater, repudiata præfectura, quam obtinebat, baptiſmo ſuſcepto, non multo poſt epiſcopatum adeptus, Voluſiano, et Galieno, Imperatoribus, Perennij præfecti iuſſu pro fidei confeſſione iugulatus eſt. In Græcia, ſanctorum martyrum, Macrobij, Gordiani, et ſociorum. Hi cum integra florentiq. eſſent ætate, et ſingulari fortitudine, ac ſapientia, præterea egregia corporis forma, diligebantur maxime a Licinio Rege: ſed Chriſtianæ fidei accuſati, cum neque terroribus, nec uero promiſſis, a religione Chriſtiana abduci poſſent, rele- 13.

gantur in Scythiam. itaque ſancti uiri præuertentes illuc, inuenere Zoticum, Lucianum, et Heli, fortiſſime pro CHRISTI *nomine dimicantes. Nam Zoticus, et Lucianus primum diutius torti, gladio deinde cæſi ſunt. Ipſi autem cum Heli e carcere emiſſi, hic capite damnatus, illi in ignem coniecti, martyrij palmam acceperunt. Ancyræ in Galatia, ſancti Iuliani presbyteri, et martyris. Hic ſumma pietate ſacerdos, Licinio rege, cum uulgo ſæuiretur in Chriſtianos, a præfecto comprehenſus, ſumma animi conſtantia fidem profitetur. quare primò caſſis candens eius capiti inducitur; tum unguibus ferreis grauiſſime dilaniatus, poſt uarie tortus, demum capitis damnatus, memorabili, et diuina Chriſtianæ pietatis uirtute, martyrij præmium cæleſte aſſecutus eſt. In Græcia, ſancti Ligorij martyris: cuius reliquiæ, Venetias tranſlatæ, in eccleſia ſancti Zachariæ, religioſe aſſeruantur. Andegaui in Gallia, ſancti Maurilij epiſcopi, et confeſſoris. Hic ciuis Mediolanenſis, nobili genere natus, a beato Martino, qui eo tempore Mediolani monaſterium extruxerat, ad pietatem, ſacrarumq. litterarum doctrinam instructus, poſt a ſancto Ambroſio lector creatus, mortuo patre, Turonas uenit: ubi ab ipſo beato Martino epiſcopo reliquos ſacros ordines ſuſcepit. deinde Andegauenſis factus epiſcopus, eccleſia, ſibi commiſſa, triginta circiter annis ſancte adminiſtrata, abſtinentiæ, et rerum humanarum deſpicientiæ, uirtutumq. diuinarum laude clarus, quieuit in Domino. In monaſterio Romarico, ſancti Amati presbyteri, et abbatis: cuius uita in omni admiranda abſtinentia, ſanctimonia, diuinaq. miraculorum uirtute eluxit. Apud Senonas, ſancti item Amati, epiſcopi, et confeſſoris. Is ab ineunte ætate, parentum ſtudio pie educa-*

tus,

tus, cum doctrina religioſam uiuendi diſciplinam coniungens, ita profecit, ut euangelij diſciplinæ totus deditus, cum in omni pietatis officio magnam ſibi ipſe adhiberet diligentiam, tum alijs fuit imitationi admirabilis. Suſceptis autem ſingulis eccleſiæ ſacris ordinibus, demum inuitus fit epiſcopus Senonenſis: quo in munere non modo actuoſas illas, epiſcopaliq. uigilantia dignas uirtutes diuine executus eſt; ſed in contemplatione ſic aſſidue uerſatus eſt, ut uni uiues Deo, mundo mortuus uideretur. tandem in omni uirtutis genere cum uigilaſſet, ſancte quieuit in Domino. Veronæ, ſancti Siluini epiſcopi, et confeſſoris. Hoc ipſo die, ſancti Venerij confeſſoris, admirabili ſanctitate clari. Sancti præterea Columbini monachi, et confeſſoris.

Decimo octauo cal. Octob. Luna. E.

29 10 21 2 15 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 18
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Exaltatio ſanctæ Crucis. Cum Eraclius Imperator, eodem Caluariæ loco crucem ſtatuit, unde a Coſdroa Perſarum rege fuerat aſportata; decretumq. propterea eſt, ut quotannis crucis exaltationis memoria coleretur. Romæ, ſancti Cornelij Papæ, et martyris. Hic, Decio Imperatore, pontificatum gerens, mittitur in exilium ad centumcellas, propterea quod, eo auctore, multos Chriſtianos fieri, delatum eſſet. Quo loco litteras plenas conſolationis a beato Cypriano accepit: hoc autem chriſtianæ pietatis officium cum alter alteri ſæpe præſtaret; id ægre ferens Decius, pontificem, Romam euocatum, tamquam maieſtatis reum, plumbatis cædi, raptumq. ad Martis templum, ſacrificare iubet. Quam nefariam impieta- 14.

pietatem pontifex grauiter deteſtatus, præciſo capite, inſignem martyrij palmam tulit. In Africa ſancti Cypriani epiſcopi, et martyris. Cuius res, pro Christi *fide fortiter geſtæ, admodum claræ ſunt: paſſus autem eſt, Valeriano, et Gallieno, Imperatoribus. cum quo paſſi dicuntur; Victor diaconus, Creſcentianus, Roſula, et Generalis. Treueris, ſancti Materni epiſcopi: qui beati Petri, Apoſtolorum principis, diſcipulus, ad Germanos Rhenenſes miſſus, cæleſtis doctrinæ prædicatione, uitæq. admirabilis exemplo, cum chriſtianam religionem multis partibus diſſeminaſſet, Treuerēſem præcipue eccleſiam, a ſe fidei inſtitutis imbutam, epiſcopus ſancte adminiſtrauit. In Græcia, ſancti Ioannis Chryſoſtomi, epiſcopi, et confeſſoris: de quo ſcriptum eſt ſexto calendas Februarij. Hoc ipſo die, Inuentio ſancti Defendentis martyris.*

xii. F. Decimo ſeptimo cal. Octob. Luna.

30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 19

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

15. *Octaua Natiuitatis, beatiſſimæ Dei genitricis, Mariæ. Romæ, uia numentana, ſancti Nicomedis presbyteri, et martyris. Hic, Domitiano Imperatore, ad ſtatuas Deorum ductus, cum eas colere, præciſe negaſſet; uniq. uero Deo, qui regnat in cælis, cultum, et ſacrificium deberi, conſtanter affirmaret; plumbatis cæſus, in eo cruciatu animam Deo reddidit. In finibus Cabilonenſium, ſancti Valeriani martyris: quem Priſcus præſes ſuſpenſum unguibus ferreis laniari; et in* Christi *confeſſione conſtantem, demum ſecuri feriri iuſſit, Antonino Imperatore, chriſtiani nominis hoſte. Mar-*

tiano-

tianopoli in Thracia, ſancta Melitenæ martyris: quæ, Antonino Imperatore, ab Antiocho præfecto, uarie cruciata, ſuperatis omnibus tormentis, demum ſecuri percuſſa, palmã martyrij tulit admirabili teſtificatione diuinæ pietatis. Martiano poli item, ſanctorum martyrum, Maximi, et Theodori. Ii, Maximiani Imperatoris funeſtis edictis non perterrefacti, prædicatione ſua ingentem multitudinem a ſuperſtitione, falſoq. cultu ad CHRISTI *fidem perduxerunt. quamobrem comprehenſi, uirgis primum cæſi, et ferreis ungulis pexi, donec oſſa apparerent; deinde præciſis manibus, et pedibus in terram pro mortuis abiecti ſunt; poſt plauſtro impoſiti, Hadrianopolim uehuntur: ubi, grauius torti, in fidei propoſito conſtantes, denique ſecuri feriuntur. In Græcia, ſancti Nicetæ martyris. Hic Gothus, nobilitate, et diuitijs florens, Imperante Conſtantino Magno, fidei præceptis a Theophilo religioſiſſimo epiſcopo imbuitur. cum enim in duas factiones tota Gothorum gens abijſſet, atque utraque ſuum ſibi principem ſeorſum creaſſet; confugit alter principum ad Romanorum Imperatorẽ: qui, ſuſcepto bello, cum Gothos in poteſtatem redegiſſet: ex eo tempore* CHRISTI *fides in Gothia prouincia propagata eſt: quam Nicetas Gothorum primus religioſe complexus eſt. Inde autem cum Imperator redijſſet: Gothi, ij ſcilicet, qui a* CHRISTI *religione auerſi erant, furore incenſi, excitato contra Chriſtianos perſecutionis incendio, alios quidem aliter excruciauerunt; Nicetam uero, inauditis affectum ſupplicijs, denique in flammam coniecerunt. Alexandriæ, ſanctorum martyrum, Serapionis, et Leontij. Ancyræ in Galatia, ſanctorum, Fleuci, Valerij, Cyrionis, Stratonis, Macrobij, et Conſtantij. Tulli in Gallia, ſancti Apri epiſcopi, et Confeſſoris.*

Car-

Carnuti, ſancti Leobini epiſcopi, et confeſſoris. Cordubæ in Hiſpania, beatorum martyrum, Emilæ, & Hieremiæ. Hi ciues Cordubenſes, nobili familia nati, ab ineunte ætate in baſilica ſancti Cypriani in litteris uerſati, ſermonis Arabici periti, non Arabum carnificina deterriti, præ ſtudio Chriſtianæ religionis in eorum ſuperſtitionem inuecti, comprehenduntur: qui poſt, carceris ſquallore pene confecti, demum libenti animo pro fide ceruices præbuerunt. Lugduni, ſancti Albini epiſcopi, et confeſſoris.

i. G. Decimo ſexto cal. Octob. Luna.

1. 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 20
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

16. *Romæ, ſanctæ martyris Luciæ, et Geminiani item martyris. nam Lucia uidua Romana, in Diocletiani perſecutione, ab Eutropio filio Chriſtianæ religionis accuſata, in ollam, pice, plumboq. feruentem demittitur: unde incolumis, cum per urbem ferro, et plumbo onerata, duceretur; Geminianum, nobilem uirum, conſtantia fidei ac martyrij ad fidem conuertit: quem etiam, uarie excruciatum, præclari martyrij, abſciſſo capite, ſocium habuit. Apud Chalcedonem, ſanctæ Euphemiæ martyris. Hæc, Priſco proconſule, teterrimis, iiſq. diuerſis torta cruciamentis, demum, leonibus obiecta, dilaniatur. Cordubæ in Hiſpania, beatorum martyrum, Rogellij, et Seruij: qui, et in foro, et in carcere, CHRISTI fidem prædicando, Mahumetis impiam ſuperſtitionem omni uerborum grauitate deteſtando, coronam martyrij, datis pro Chriſtiana religione ceruicibus, tulerunt. In Scotia, ſancti*

Niniani

Niniani epiſcopi, et confeſſoris. In Anglia, ſanctæ Edithæ uirginis: quæ Edgari, Anglorum regis, filia, a teneris annis in cultum Dei dicata, ſanctiſſime cum uixerit, hoc ſæculum potius ignoraſſe, quàm reliquiſſe dicitur.

Decimo quinto cal. Octob. Luna. A.

2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 21
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, uia tiburtina, ſancti Iuſtini presbyteri, et martyris. Hic a Xyſto pontifice presbyter factus, beatos martyres, Hippolytum, Concordiam, Irenæum, Abundium, et Cyrillam, Decij imperatoris filiam, aliosq. plurimos ſepeliuit; tum demum in Decij perſecutione pro C h r i s t o *Domino maryrium ſubijt. Romæ item, in Cripta Arenaria beatorum martyrum, Narciſi, et Creſcentionis. Auguſtoduni, ſancti Florelli martyris: qui decem annos natus, pietate in* C h r i s s t o *adhæreſcens, egregie coronatur. In Britannijs, ſanctorum, Socratis, et Stephani, martyrum. Nouioduni, beatorum martyrum, Valeriani, Macrini, et Gordiani. In Græcia, ſanctæ Ariadnæ martyris: quæ, Adriano Imperatore, idolorum nefarium facinus execrata, in fidei propoſito conſtanter perſeuerans, uarie horribilemq. in modum torta, cum omnem cruciamentorum acerbitatem cæleſti uirtute ſuperaſſet, demum uictoriæ palmam mirifico pietatis ſuæ teſtimonio diuinitus tulit. In Græcia item, ſanctorum martyrum, Maximi, et Theodoti: qui ob* C h r i s t i *fidem primò grauiter cæſi, poſt in teterrimum carcerem incluſi, denique, præciſis ceruicibus, martyrij curſum confecerunt. Hoc* 17. 4 Augusti

ipſo die, in illa etiam prouincia, ſanctorum Centum martyrum. Leodij, in diœceſi Tungrenſi, ſancti Lamberti epiſcopi. Is religionis ſtudio ductus, familiam regiam cum grauiter obiurgaſſet, dum in oratione eſſet, a ſceleratis hominibus, e domo regia miſsis, in ædes Eccleſiæ concluſus, occiditur. Cuius ſanctitatem Deus teſtatam fieri voluit multitudine, et magnitudine miraculorum: quæ ad illius ſepulcrum diuinitus fiunt. Cordubæ in Hiſpania, ſanctæ Columbæ uirginis et martyris: quæ, omnibus uirginalibus uirtutibus mirifice exculta, CHRISTI ſponſi, quem unice coluit, deſiderio exardeſcens, gaudenti animo, datis pro eo ceruicibus, martyrium ſubijt. Mediolani, ſancti Satiri confeſſoris: de quo ſanctus Ambroſius frater in libro, quem de illius obitu confecit. In Monte Aluernia, impreſsio ſtigmatum ſancti Franciſci.

ix.B. Decimo quarto cal. Octobris. Luna.

3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 16 26 7 18 29 10 22
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

18. Romæ, beatorum martyrum, Trophimi, et Oceani. In Sicilia, ſanctorum, Victoris, et Stephanæ, martyrum, ob conſtantes fidei Chriſtianæ confeſſiones, in ſumma Antonini Cæſaris perſecutione, eximie nobilium. Viennæ, ſancti Ferreoli martyris. Hic tribunitia poteſtate cum eſſet, Diocletiano Imperatore, Præſidis iuſſu compræhenſus, primum uerberibus acerbiſſime cæſus, deinde cathenarum pondere graui onuſtus, in cuſtodiam coniectus, poſtremò ſecuri percuſſus, egregio fidei teſtimonio, ad æternam martyrij coronam peruenit.

nit. In Chalcide inſula, ſancti Methodij epiſcopi, et martyris, uitæ cæleſtis exemplo, et theologiæ ſcientia clariſſimi. Mediolani, ſancti Euſtorgij epiſcopi, et confeſſoris. Hic in Græcia claro genere natus, clara etiam uirtute epiſcopus nomineq; ſapientiæ, et religionis excellens, diuinis certè monimentis eccleſiam Mediolanenſem inſtruxit, atque ornauit. In Græcia, ſancti Eumeni epiſcopi qui, uſque ab infantia religionis Chriſtianæ cultor egregius, cum patrimonium omne pauperibus in eleemoſynam contuliſſet, per omnem ætatem ieiunijs, et orationi lacrymiſq; deditus, ſanctè factorum laude clarus, eccleſiæ Gortynenſis in Creta epiſcopus factus, ita ſe geſſit, ut cæleſte CHRISTI regnum et uitæ euangelicæ exemplis, et miraculis, diuinè editis, propagarit. Apud Abrincas, ſancti Sinerij epiſcopi, et confeſſoris.

Decimo tertio cal. Octob. Luna. C.

4 15 26 7 18 20 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 23
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum martyrum, Euſtachij, coniugis, et filiorum. Is fidei Chriſtianæ, quam unà cum tota familia, diuino admonitu mirificè ſuſcepit, accuſatus, Traiano Imperatore; in æneum bouē, ſubiecto luculēto igne, cum uxore, et liberis incluſus, migrauit ad Dominum. Nuceriæ in Campania, ſanctorum, Felicis, et Conſtantiæ, martyrum: qui, in Neroniana perſecutione, ne exquiſitiſſimis quidem ſupplicijs perterrefacti, pro CHRISTI Domini gloria præclarum teſtimonium, nece obita, dederunt. Puteolis, beatorum martyrum, Ianuarij epiſcopi, Feſti, Procli, et ſociorum. Fuit autem Ianua-

rius, Beneuenti epiſcopus, et reliqui diaconi: qui Diocletiano Imperatore, ob fidei confeſſionem, in uincula coniecti ſunt. Timotheus igitur, regionis præfectus, Puteolos cum ueniſſet; eductum e carcere epiſcopum in caminum iniecit: unde, ope diuina, incolumis mirabiliter euaſit. qua ſane re perſpecta præfectus, iratior factus, iuſſit neruos pedum eius præcidi. quod ſupplicij genus fortiter cum pertuliſſet uir ſanctus, iterum in carcerem detruditur. Ad eum clerici Beneuentani, Feſtus, Proclus, Deſiderius, et alij, ſalutandi cauſa profecti, unà cum eo in cuſtodiam includuntur: indeq. educti, ac beſtijs obiectati, nullaq. ex parte quicquam læſi, demum ſecuri feriuntur. In Palæſtina, ſanctorum martyrum, Nili, Pelei, Heliæ, et ſociorum centum: e quibus quinquaginta Aegiptij, reliqui Palæſtini, effoſſo dextro ſingulis oculo, præciſisq. ſiniſtri pedis neruis, ob fidei prædicationem in uincula conijciuntur. Inde in iudicium producti, cum neque hortationibus, nec uero minis a Chriſtiana religione ad ſuperſtitionem abduci poſſent; ignis incendio concremati, ueri regni CHRISTI *milites, pro parta uictoria cæleſtibus coronis donantur. In Palæſtina item, ſanctæ Suſannæ uirginis, et martyris. Antiochiæ in Piſidia, ſanctorum martyrum, Trophimi, Sabbatij, et Dorymedontis. Ii, Probo Imperatore, theatrum ingreſſi, cum uiderent, Græcos idolis ſacrificare, ſummo dolore affecti, Deum his uerbis precati ſunt: Da Domine, hominibus his, ut neglecto idolorum cultu, te ſolum Deum noſcant, et quem miſiſti, unigenitum filium tuum cum Spiritu ſancto. Quibus ex uerbis cum cognitum eſſet, ab ijs* CHRISTVM *coli; præfecti iuſſu comprehenduntur. Trophimus igitur, prior cæſus, et ſcalptus in uincula conijcitur. Productus uerò Sabbatius,*

batius, conſtanti animo in fide perſeuerans, uſque adeo caditur, et ex carnificatur, donec ſpiritum Deo reddederet. Poſtea eductus e carcere Throphimus, indutuſq. ferrea calceamenta, mittitur ad urbis Synnadæ præfectum: cuius etiam iuſſu acerbe tortus, in cuſtodiam traditur. Adijt autem Dorymedo ſanctum martyrem: ex cuius congreſſu factus Chriſtianus, una cum eodem capitis damnatus, martyrio coronatur. Cordubæ in Hiſpania, ſanctæ Pompoſæ uirginis, et martyris: quæ, parentum admirabili pietate, ſanctitatiſq. ſtudio permota, fluxis rebus humanis abiectis, in religionem Deo dicata, in cœnobio ſancti Saluatoris uitam uirginalem, cum aſſiduis uigilijs, ieiunis, precibus, ſacrarumq. litterarum ſtudijs coniunctam, egit: martyrij uerò deſiderio flagrans, diuine factum eſt, ut ad iudicem Arabicum, fidei hoſtem, ueniret; apud quem religionem Chriſtianam libere profeſſa, datis pro CHRISTO *ceruicibus, cæleſti corona redimitur. Apud Turonas, ſancti Euſtochij epiſcopi, magnis uirtutibus uiri. In Lingonibus, ſancti Sigonis presbyteri. Treuiris, ſancti Meliti epiſcopi, et confeſſoris. Cantuariæ in Anglia, ſancti Theodori epiſcopi; qui, Tharſis in Cilicia natus, græce, et latine diuinis, humaniſq. litteris eruditus, ſexageſimum ſextum annum agens, a Vitaliano pontifice, Cantuariæ epiſcoſcopus creatus, uitæ exemplo, et doctrina, eccleſiam, ſibi commiſſam, ſanctiſſime rexit.*

Duodecimo calen. Octob. Luna. xvii. D.

5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 24
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Vigilia ſancti Matthæi Apoſtoli. In Cyzico inſula, ſan 20.
ctorum

ctorummartyrum, Fauſtæ uirginis, et Euilaſij. Hic, Maximiano Imperatore, ab illa conuerſus, primùm multis cruciamentis, iiſq. teterrimis uariè affectus, demum unà cum eadem martyrium pertulit, annos octuaginta natus; illa tredecim. Pergæ, in Pamphylia, ſanctorum martyrum, Theodori, Philippæ, Socratis, et Dionyſij. Theodorus enim, Antonino Imperatore, in tyronum legionem adſcriptus, quoniam et ætate florenti, et ſtatura magna, et firma totius corporis conſtitutione eſſet, cogebatur idolis immolare: quod facere cum præciſe negaſſet, chriſtianam fidem liberà, conſtantiq. uoce profeſſus; præfecti iuſſo comprehenſus, tum cæſus, in fornacem inijcitur. ſed cum inde, ne minimum quidem detrimentum paſſus, diuino auxilio exijſſet: ea res milites duos, Socratem, et Dionyſium, admirabilitate obſtupefactos, ad Christi fidem pertraxit: ſtatimq. capitis damnati ſunt unà cum Philippa, Theodori matre: quæ paulò ante eò, uiſendi filij ſtudio uenerat. Theodorus autem uarijs tormentorum generibus excruciatus, nouiſſime in crucem actus, in cœlum euolauit. In Græcia, ſancti martyris Priſci: qui Dei amore incenſus, ſummaq. baptiſmi cupiditate flagrans, poſthabita patris impietate, chriſtianus efficitur. quare longe lateq. peruagatus, Chriſtum ſumma dicendi libertate prædicare, chriſtianorumq. animos incendere, ut mortem pro Christi fide fortiter oppeterent; græcos etiam multos, uerbo ueritatis a ſe inſtitutos, baptizare ſtuduit. Quibus rebus concitata in ſe hominum, idola colentium, inuidia, defertur ad regionis præfectum, quòd contemptis Cæſarum edictis, auctor omnibus eſſet, ut Christum crucifixum colerent. Quamobrem ille, furenter iratus, à militibus beatum Priſcum abductum, horribilem in modum excru-

cruciari iubet, itaque martyr primò in eculeum actus, excarnificatur; poſt punctim pugionibus tranſuerberatur; poſtremò, ſecuri percuſſus, migrauit ad Dominum. Carthagine in Africa, ſancta Candidæ uirginis, et martyris. Hæc, Maximiano Imperatore, ubi in uirtutis christianæ certamen uenit, plagis toto corpore dilacerata, non ullis fracta cruciatibus, fortiter pugnam ſuſtinendo, coronatur. In Phrygia, ſanctorum, Dionyſij, et Priuati, martyrum. In Hiſpania, beatorum martyrum, Aemyliani, et Geronij. Cordubæ, ſancti Eulogij presbyteri, et martyris: qui pro CHRISTI *fide quinto idus Martij, ſecuri percuſſus, hodierno die diuinis ſtatarum horarum officijs, ex eccleſiæ Cordubenſis uſu, ut a nobis narratum eſt, celebratur. Mediolani, ſancti Clicerij epiſcopi, et confeſſoris. In diœceſi Colonienſi, ſancti Gerardi confeſſoris, admiranda ſanctitate uiri: qui in Aegipti ſolitudine ſeptem, et decem annos celeſti manna paſtus traditur.*

Vndecimo calen. Octobris. Luna. E.

6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 25
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Matthæi Apoſtoli, et euangeliſtæ. Is Capharnai 21.
cum ad telonium ſederet, a CHRISTO *uocatus, ſtatim illum ſecutus eſt. Poſt Domini reſurrectionem primus euangelium hebraice ſcripſit: poſtea in Aethyopiam profectus, euangelij prædicationem confirmauit miraculorum magnitudine. Romæ, uia Claudia, ſancti Alexandri epiſcopi, et martyris: qui, Antonino Imperatore, uarie tortus, tandem omnibus ſuperatis cruciamentis, ſecuri percuſſus, ſempiternam adeptus eſt uitam.*

eſt uitam. Et Damaſus pontifex diem feſtum inſtituit ad ſextum calendas Decembris: quo die illius corpus translatum, honeſto loco pie condendum curauit. Romæ item, ſancti Pamphili martyris. In Aethiopia, ſanctæ Iphigeniæ uirginis: quam beatus Apoſtolus Matthæus baptizauit. In Cypro, ſancti Iſacij epiſcopi, et martyris. In Phœnicia, ſancti martyris Euſebij: qui ultrò ad præfectum cum ueniſſet, CHRISTI *fidem in omni cruciatu præclara animi conſtantia tutatus, datis denique ceruicibus coronatur. In Cœnobio Flauiacenſi, ſancti Geremari abbatis: cuius uita ad omnem religioſarum uirtutum, ſanctitatisq. laudem inſignis, legitur.*

F: Decimo calen. Octobris. Luna.

7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 26
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

22. *Seduni in Gallia, beatiſſimorum martyrum, Mauritij, Exuperij, Candidi, Victoris, et ſociorum ſex millium, ſexcentorum, ſexaginta ſex. Hæc legio Thebana fuit: quæ Maximiano, & Diocletiano, Imperatoribus, ut ne impiorum ſacrorum ſocietate ſe inquinaret, a reliquis copijs diſceſsit. cum autem ad eos Imperator miſiſſet, ut in caſtra ad ſacrificia redirent, ſe Chriſtiana religione impediri reſponderunt, quo reſponſo ille commottus, decimum quemque eorum neci obijci iuſſit. quod martyrium cum ſua ſponte, tum ducis Mauritij hortatu ſubire maluerunt, quàm Imperatoris iuſſu tale impietatis facinus admittere. Eodem die, ſancti Victoris martyris. Hic nec legionis eiuſdem fuit, neque miles, ſed emeritæ iam militiæ ueteranus: qui iter agens, cum in eos incidiſſet,*

qui,

qui, paſsim epulabantur, læti ſpolijs martyrum, ab iſtis ad conueſcendum inuitatus, deteſtatus conuiuarum impietatem, ab ijs iugulatus eſt, et ceteris martyribus honore coniunctus. Apud Meldenſes in Gallia, ſancti Sanctini epiſcopi: qui, beati Dionyſii Areopagitæ diſcipulus, illius ciuitatis a magiſtro conſecratus epiſcopus, cum religionis Chriſtianæ myſteria primus ei populo aperuiſſet, ſanctiſsime obijt in Domino. Apud Baioariam, ſancti Emmerami epiſcopi, et martyris: cui quo grauior dolor, et cruciatus inureretur, ſingula membra abſciſſa ſunt. Antinoopoli, ſanctæ Iraidis uirginis, et martyris. Hæc, uirgo Alexandrina, egreſſa aliquando e cœnobio, ut e proximo fonte aquaretur, uidit urbis præfectum, nauim ad littus appellentem, qui multos ſecum chriſtianos ducebat, ceteris conſtrictos, presbyteros, diaconos, mulieres ſanctas, et uirgines; accurrenſq. ac ſciſcitata ex uirginibus, quamobrem eſſent in uinculis: quibus reſpondentibus, ob CHRISTVM, *ut pro illius nomine martyrium ſubeuntes, ſaluæ ſimus, impetrauit a lictoribus, ut etiam ſibi cathenas iniÿcerent. Ducti igitur ſancti Antinoopolim, multiſq. a præfecto excruciati tormentis, cum in fide* CHRISTI *conſtantiſsime uſque ad necem perſiſterent, capitis omnes dànnati ſunt: primaq. omnium Irais obtruncata. In Pago Pictauienſi, ſancti Florentij, presbyteri, et confeſſoris. In diœceſi Bituricenſi, ſancti Siluani confeſſoris. In Monaſterio Lugdunenſi, ſanctæ Salabergæ uirginis: quæ, trecentis uirginibus monialibus præfecta, omni ſanctimoniæ exemplo prælucens, miraculis clara, obdormiuit in Domino.*

xiiij. G. Nono calendas Octobris. Luna.

8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 27
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t.

23. *Romæ, ſancti Lini pontificis, et martyris. Cui caput amputatum eſt ob ſingulare, uereq. pontificium chriſtianæ fidei tuendæ ſtudium, iuſſu Saturnini impij, ingratiſſimiq. Conſulis, cuius filiam, dœmonum aſtu agitatam, diuinitus liberarat. Romæ item, ſancti Liberij pontificis. Antiochiæ, ſanctæ Theclæ uirginis, et martyris. Hæc, Iconij nobiliſſimis parentibus nata, a Paulo Apoſtolo fidei præceptis inſtituta, pro* CHRISTO *in ardentem rogum iniecta, inde diuinitus liberata, Antiochiam uenit: ubi feris expoſita, et tauris, diuerſe incitatis, alligata; mox præceps deiecta in foſſam, plenam ſerpentibus; diuina ope ex omnibus ijs periculis erepta; Iconium in patriam rediens, cæleſtibus uirtutibus, et miraculis inſignis, nonageſimum annum agens, abijt ad Dominum. In Campania, ſancti Soſij diaconi; qui, triginta annos natus, Puteolis, Diocletiano Imperatore, Timothei præſidis iuſſu, pro* CHRISTO *capitis damnatus, coronatur: quem martyrem futurum, paulo ante Ianuarius, epiſcopus Beneuenti, prædixerat: cum ex illius, Euangelium legentis, capite flammam excitatam ſolus uidiſſet. Anconæ, ſancti Conſtantij epiſcopi, et confeſſoris. Hic, rebus huius ſæculi contemptis, totus in Dei contemplatione conquieſcens, uitæ ſanctiſſimæ, et rerum diuine mirificeq. geſtarum laude cumulatus, ad præmium abijt in cælum. In diœceſi urbis Conſtantiæ, ſancti Paterni epiſcopi, et confeſſoris. Valentiæ in Hiſpania, Inuentio ſancti*

Vincen-

Vincentii martyris.

Octauo calen. Octobris. Luna. iii. A.

9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 28
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum martyrum, Euſebij, Potentiani, Vincentii, Peregrini, Iulii, et Pontii: qui Marco Aurelio Imperatore, coronantur. Auguſtoduni in Heduis, beatorum martyrum, Andochii presbyteri, Tyrſi diaconi, et Felicis. Ii ab ſancto Polycarpo ad inſtruendam in fide Galliam miſſi, Aureliano Imperatore, martyrium ſubierunt. cum pro CHRISTO *Domino primum uerberibus cæſi, deinde inuerſis manibus ſuſpenſi, poſt in ignem poſiti, non combuſti tamen, poſtremo uectibus percuſſi ſunt. Chalcedone, ſanctorum quatraginta nouem: qui, Diocletiani Imperatoris iuſſu, a Priſco feris expoſiti, ab earumq. faucibus liberati diuinitus, demum ſecuri feriuntur. In Græcia, ſanctorum martyrum, Paphnutij, et quingentorum, quatraginta ſeptem. Is enim, abiectis humanarum rerum curis, cum magnam uitæ partem in ſolitudine egiſſet: proindeq. exemplo, et cohortationibus multos ab impietate ad* CHRISTI *cultum perduceret; et ob eam cauſam a præfecto plerique in uincula abriperentur; diuino admonitu ſe ultrò præfectò obtulit: apud quem religionem chriſtianam libere profeſſus; primò cathenis ferreis conſtringitur; tum in equuleum actus, eo uſque depectitur, donec uiſcera proflueⁿrent. Verum cæleſti ope liberatus, et ſanatus, multis ad fidem ſua etiam prædicatione, et officio conuerſis, mittitur cum ceteris fidelibus ad Diocletianum: a quo palmæ affixus, mar-* 24.

tyrii coronam accepit; atquè una cum eo, alii quingenti quatraginta ſeptem hoc ipſo die pro CHRISTO necati, memorabili pietatis chriſtianæ teſtimonio dato, præmium ſempiternum tulerunt. Aruernis, ſancti Ruſtici epiſcopi, et confeſſoris. In Hungaria, ſancti Gerardi epiſcopi, et martyris. In diœceſi Belluacenſi, ſancti Germani abbatis.

B. Septimo calen. Octobris. Luna.

10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 29
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

25. In oppido Emaus, ſancti Cleophæ. Hic IESV CHRISTI Domini diſcipulus, in eadem domo, in qua menſam Domino parauerat, a Iudæis occiſus legitur. In Aſia, ſanctorum martyrum, Bardomiani, Eucarpi, et ſociorum uiginti ſex. Ambiani, ſancti Firmini epiſcopi: qui, Rictiouaro præſide, uariis excruciatus tormentis, demum ſecuri percuſſus coronatur. Hoc ipſo die, ſancti Herculani martyris. In Græcia beatorum martyrum, Pauli, et Tattæ coniugis, ac filiorum, Sabiniani, Maximi, Rufi, et Eugenij: qui chriſtianæ religionis accuſati, ligno cathenis ferreis aſtricti, uerberibusq. horribiliter affecti, tum alijs cruciamentis uarie torti, poſt multas, atque eximias fidei, religionisq. noſtræ confeſſiones, in ipſis ſupplicijs, quæ exquiſita pertulerant, animam Deo reddiderunt. Mediolani, ſancti Anathalonis epiſcopi: qui ſancti Barnabæ diſcipulus, tum Mediolani, tum Brixiæ, CHRISTI fidem propagauit. Lugduni, ſancti Lupi epiſcopi. Hic, in ſolitudine cum uitam religioſe egiſſet, inde euocatus, adminiſtrationem gregis Lugdunenſis diuina etiam uiuendi ratione

capeſcitis,

capeſcens, cæleſtium uirtutum claritate quadam enituit. Antiſiodori, ſancti, Anacharij epiſcopi, et confeſſoris: qui Antiſiodorenſi, Matiſconenſi concilio primo, et ſecundo præſens adfuit. Carnuti, ſancti Solemnij epiſcopi: qui cæcum, eundemq. ſurdum, ſibi obuiam factum, oſculo mirabiliter ſanauit. Apud Sueſſonas, ſancti Principij epiſcopi, et confeſſoris. Hic beati Remigij frater, Arauſicano concilio ſecundo interfuit, uirtutum diuinarum ornamentis excultus.

Sexto calendas Octobris. Luna. xi. C.

11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 30
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

S anctorum martyrum, Cypriani epiſcopi, et Iuſtinæ uirginis. Ille magus primum, Iuſtinæ amore ardens, cantionibus, et ueneficijs cum eam ad ſuæ libidinis aſſenſum allicere numquam poſſet; a dœmone reſponſum accepit, nullam ei artem profuturam contra eos, qui CHRISTVM *uere colerent. Quo reſponſo commotus, relictus magicis artibus, totum ſe in* CHRISTI IESV *fidem, et cultum tradidit. quamobrem unà cum Iuſtina comprehenſus eſt: tum ambo flagellis, colaphisq. cæſi, et in ſartaginem plenam feruentis picis, adipis, et ceræ, coniecti, indeq. diuino auxilio incolumes, demum Diocletiani iuſſo Nicomediam miſſi, ſecuri feriuntur. Horum corpora Romam delata, a Rufina matrona pie ſepulta ſunt. Romæ, ſancti Euſebij pontificis, et martyris. Romæ item, ſancti Apollinarij martyris. Romæ præterea ſanctorum martyrum, Calliſtrati, et ſociorum centum, octuaginta quattuor. Is, Diocletiano Imperatore, uir et ſapientia, et pietate erga Deum ſingulari,* 26.

gulari, a copiarum præfecto comprehenſus, a CHRISTI *cultu cum diuelli nullo modo poſſet; primo uerberibus cæſus, poſt acutiſſimis teſtulis uolutatus, demum culeo inſutus, in mare proijcitur: ſed ſacco diſcuſſo inde incolumis euaſit. Quo miraculo commoti milites, quatraginta nouem,* IESV CHRISTI *fidem complexi ſunt: quamobrem unà cum illo in uincula, præfecti iuſſu conijciuntur. Is uero, ſpectata in carcere eorũ conſtanti fide, inde eductus, oratione ad Deum habita, idola deturbauit. Cuius rei admirabilitate obſtupefacti reliqui milites centũ triginta quinque, in Chriſtum crediderunt: omneſq. cupitis damnati, martyrij palmam acceperunt. In Græcia ſanctæ Epicharidis martyris. Hæc, in eiuſdem perſecutione,* CHRISTVM *liberè confeſſa, in equleum ſublata, excarnificatur; deinde malleis plumbeis percuſſa, admirabili pietatis teſtimonio, datis pro fide ceruicibus, coronatur. Albani, ſancti Senatoris martyris. Brixiæ, ſancti Vigilij epiſcopi, et confeſſoris.*

xix. D. Quinto calendas Octobris. Luna.

1 2 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 1
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

27. *Aegeæ, ſanctorum martyrum, Coſmæ, et Damiani. Ii non magis medicinæ ſcientia, quàm* CHRISTI *uirtute, inſanabilibus morbis medebantur. A Lyſia præfecto de fidei profeſſione interrogati, ſe chriſtianos eſſe, libere profitentur. a qua ſententia abduci cum minus poſſent, exquiſitis torti ſupplicijs, demum, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, ſecuri feriuntur. Sanctorum item Antimi, Leontij, et Eu-*
7. 8bris *prepij: qui Coſmæ, et Damiani fratres, unà cum eiſdem martyrium*

tyrium pertuliſſe dicuntur. In Græcia, beatorum martyrum, Alphei, Alexandri, Marci, et ſociorum: qui, in ipſa Diocletiniana perſecutione, magno animi ardore incenſi ad martyrium, fortiter ceruices præbuerunt. Seduni, ſancti Florentini, cui una cum ſancto Hilario, lingua primò, tum caput abſciſſum eſt. Cordubæ, ſanctorum martyrum, Adulphi, et Ioannis: qui, Artemiæ ſanctiſſimæ mulieris filij, religioſe in omni pietatis officio inſtituti, ob egregiam, chriſtianoq. animo dignam, fidei tuendæ conſtantiam, nobili martyrio in perſecutione Arabica coronantur. Mediolani, ſancti Caij epiſcopi: qui beati Barnabæ Apoſtoli diſcipulus, Apoſtolicæq. uirtutis imitator præclarus, ſanctorum Apoſtolorum, Petri, et Pauli deſiderio flagrans, iter ad urbem Romam ſuſcepit: in uia dum eſſet, diuina præſenſione uidit, eos, Neronis iuſſu, martyrium obijſſe: Romam ubi uenit, quod præſenſerat, re ipſa factum eſſe cognouit: cum beato autem Clemente, et ceteris Apoſtolorum diſcipulis, aliquandiu fuit: quibus cum euangelij prædicationem communicauit. Mediolanum reuerſus, Geruaſium, et Protaſium, paulo poſt præclaro martyrio nobilitatos, Chriſtiana fide inſtruxit, ac baptizauit; aliaq. multa cum egiſſet, tum graues pro fide pugnas in illo perſecutionis Neronianæ impetu ſuſtinuiſſet; demum, eccleſiæ Mediolanenſis, ſancte adminiſtratæ laude clarus, quieuit in Domino. Rauennæ, ſancti Aderiti epiſcopi: qui, a beato Apollinare ſacerdos factus, in eius locum diuino admonitu ſuffectus, optimi ſanctiſſimiq. epiſcopi muneribus omnibus perfunctus, cum multos ad uerum Dei cultum ab falſa Deorum religione perduxiſſet, meritis cumulatus, ad præmium migrauit in cælum. Pariſijs, ſancti Ceranni epiſcopi, et conſeſſoris:

Infra die 28.

feſſoris:

feſſoris; qui uitæ epiſcopalis inſtituta in orationibus, in ieiunijs, et in omni uirtutum exercitatione executus, magna pietatis teſtificatione, ad cæleſte præmium peruenit. Pariſijs item, ſancti Elzearij confeſſoris, egregijs ſanctiſsimæ uitæ officijs, et miraculorum gloria clari. Lætijs, ſanctæ Hiltrudis uirginis: quæ CHRISTI *ſponſi amore exardeſcens, contemptis terrenis nuptijs, in eo uno conquieuit.*

E: Quarto calendas Octobris. Luna.

13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 2
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

28. *Romæ, ſancti Stertei martyris. In Aſia, ſancti Maximi martyris: qui, Decio Imperatore,* CHRISTI *deſiderio magnopere incenſus, pro ſancta religione, et fide in illum, omni cruciatu declarata, martyrio coronatur. Cordubæ, ſanctorum martyrum, Fauſti, Ianuarij, et Martialis: qui primum equuleo torti, deinde raſis ſupercilijs, auribus præciſis, dentibusq. ſuperioribus conuulſis, deformes facti, demum incendio combuſti, admirabili tolerantia, præclaraq. fidei teſtificatione, martyrij curſum confecerunt. Toloſæ, ſancti Exuperij epiſcopi, et confeſſoris. Hic, uiduæ ſarreptanæ imitator, ut a beato Hieronymo litteris traditur, eſuriens paſcit alios, et ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena, omnemq. ſubſtantiam* CHRISTI *uiſceribus erogauit: ac alijs præterea uitæ euangelicæ inſtitutis præſtantiſsimus, magna ſanctitatis celebritate, quieuit in Domino. Brixiæ, ſancti Siluini epiſcopi, et confeſſoris. Ianuæ, ſancti Salomonis epiſcopi, et confeſſoris. In Bohemia, ſancti Vuenceslai martyris:*

qui illius prouinciæ Dux, uirtutum omnium, et pietatis in primis fama celebris, quanto gratior pijs, et bonis uiris extitit; tanto peius illum Boleslaus frater, idolorum cultor, oderat: a quo ob chriſtianæ religionis ſtudium occiſus, in beatorum martyrum numerum relatus eſt. Cuius ſanctitati, quo die necatus eſt; teſtimonium CHRISTVS *dedit: qui* REGI *Daciæ per uiſum apparens, ſuo martyri eccleſiam ædificari mandauit. Antiſiodori, ſancti Allodij epiſcopi: qui, eccleſiā ſibi commiſſa, annos triginta piē adminiſtrata, ſanctē factorum laude clarus, obdormiuit in Domino. In Germania, ſanctæ Liobæ uirginis. Hæc e Britannia inſula a Bonifacio Archipiſcopo euocata, ut uirgines, Deo dicatas, in monaſterijs ad religioſē agendum inſtrueret, omni ſanctitate præluxit: quam miraculorum magnitudine, et multitudine Deus omnibus teſtatam fieri uoluit.*

Tertio calendas Octobris. Luna. viii. F.

14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 3

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Michaelis Archangeli. In ſummo enim monte Gargano, hoc ipſo die, Michaelis Archangeli nomine, triduano primum ieiunio celebrato, eccleſia conſecrata eſt: in qua Dei gratia et munere multa miracula fiunt. In Armenia, ſanctarum uirginum, Ripſimiæ, et Gaianæ, ac ſociorum martyrum. Fuit Ripſimia, nobili genere, egregiaq; forma uirgo, et Deo in religionem dicata: quam Tiridates REX *impius, eius amore captus, cum a uirginitate auellere nullo pacto potuiſſet; illam fugientem aſſecuti milites, ut chriſtianam* 29.

rius, Beneuenti epiſcopus, et reliqui diaconi: qui Diocletiano Imperatore, ob fidei confeſſionem, in uincula coniecti ſunt. Timotheus igitur, regionis præfectus, Puteolos cum ueniſſet; eductum e carcere epiſcopum in caminum iniecit: unde, ope diuina, incolumis mirabiliter euaſit. qua ſane re perſpecta præfectus, iratior factus, iuſſit neruos pedum eius præcidi. quod ſupplicij genus fortiter cum pertuliſſet uir ſanctus, iterum in carcerem detruditur. Ad eum clerici Beneuentani, Feſtus, Proclus, Deſiderius, et alij, ſalutandi cauſa profecti, unà cum eo in cuſtodiam includuntur: indeq. educti, ac beſtijs obiectati, nullaq. ex parte quicquam læſi, demum ſecuri feriuntur. In Palæſtina, ſanctorum martyrum, Nili, Pelei, Heliæ, et ſociorum centum: e quibus quinquaginta Aegiptij, reliqui Palæſtini, effoſſo dextro ſingulis oculo, præciſisq. ſiniſtri pedis neruis, ob fidei prædicationem in uincula conijciuntur. Inde in iudicium producti, cum neque hortationibus, nec uero minis a Chriſtiana religione ad ſuperſtitionem abduci poſſent; ignis incendio concremati, ueri regni CHRISTI *milites, pro parta uictoria cæleſtibus coronis donantur. In Palæſtina item, ſanctæ Suſannæ uirginis, et martyris. Antiochiæ in Piſidia, ſanctorum martyrum, Trophimi, Sabbatij, et Dorymedontis. Ii, Probo Imperatore, theatrum ingreſſi, cum uiderent, Græcos idolis ſacrificare, ſummo dolore affecti, Deum his uerbis precati ſunt: Da Domine, hominibus his, ut neglecto idolorum cultu, te ſolum Deum noſcant, et quem miſiſti, unigenitum filium tuum cum Spiritu ſancto. Quibus ex uerbis cum cognitum eſſet, ab ijs* CHRISTVM *coli; præfecti iuſſu comprehenduntur. Trophimus igitur, prior cæſus, et ſcalptus in uincula conijcitur. Productus uerò Sab-*

batius,

batius, conſtanti animo in fide perſeuerans, uſque adeo cæditur, et ex carnificatur, donec ſpiritum Deo reddederet. Poſtea eductus e carcere Throphimus, indutuſq. ferrea calceamenta, mittitur ad urbis Synnadæ præfectum: cuius etiam iuſſu acerbe tortus, in cuſtodiam traditur. Adijt autem Dorymedo ſanctum martyrem: ex cuius congreſſu factus Chriſtianus, una cum eodem capitis damnatus, martyrio coronatur. Cordubæ in Hiſpania, ſanctæ Pompoſæ uirginis, et martyris: quæ, parentum admirabili pietate, ſanctitatiſq. ſtudio permota, fluxis rebus humanis abiectis, in religionem DEO *dicata, in cœnobio ſancti Saluatoris uitam uirginalem, cum aſſiduis uigilijs, ieiunis, precibus, ſacrarumq. litterarum ſtudijs coniunctam, egit: martyrij uerò deſiderio flagrans, diuine factum eſt, ut ad iudicem Arabicum, fidei hoſtem, ueniret; apud quem religionem Chriſtianam libere profeſſa, datis pro* CHRISTO *ceruicibus, cæleſti corona redimitur. Apud Turonas, ſancti Euſtochij epiſcopi, magnis uirtutibus uiri. In Lingonibus, ſancti Sigonis presbyteri. Treuiris, ſancti Meliti epiſcopi, et confeſſoris. Cantuariæ in Anglia, ſancti Theodori epiſcopi; qui, Tharſis in Cilicia natus, græce, et latine diuinis, humaniſq. litteris eruditus, ſexageſimum ſextum annum agens, a Vitaliano* PONTIFICE, *Cantuariæ epiſcoſcopus creatus, uitæ exemplo, et doctrina, eccleſiam, ſibi commiſſam, ſanctiſsime rexit.*

Duodecimo calen. Octob. Luna. xvii. D.

5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 24
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Vigilia ſancti Matthæi Apoſtoli. In Cyzico inſula, ſan 20.
ctorum

ctorummartyrum, Fauſtæ uirginis, et Euilaſij. Hic, Maximiano Imperatore, ab illa conuerſus, primum multis cruciamentis, iiſq. teterrimis utriè affectus; demum unà cum eadem martyrium pertulit, annos octuaginta natus; illa tredecim. Pergæ, in Pamphylia, ſanctorum martyrum, Theodori, Philippæ, Socratis, et Dionyſij. Theodorus enim, Antonino Imperatore, in tyronum legionem adſcriptus, quoniam et ætate florenti, et ſtatura magna, et firma totius corporis conſtitutione eſſet, cogebatur idolis immolare: quod facere cum præciſe negaſſet, chriſtianam fidem libera, conſtantiq. uoce profeſſus; præfecti iuſſo comprehenſus, tum cæſus, in fornacem inijcitur. ſed cum inde, ne minimum quidem detrimentum paſſus, diuino auxilio exijſſet: ea res milites duos, Socratem, et Dionyſium, admirabilitate obſtupefactos, ad Christi *fidem pertraxit: ſtatimq. capitis damnati ſunt unà cum Philippa, Theodori matre: quæ paulò ante eò, uiſendi filij ſtudiò uenerat. Theodorus autem uarijs tormentorum generibus excruciatus, nouiſſime in crucem actus, in cœlum euolauit. In Græcia, ſancti martyris Priſci: qui Dei amore incenſus, ſummaq. baptiſmi cupiditate flagrans, poſthabita patris impietate, chriſtianus efficitur. quare longe lateq. peruagatus, Chriſtum ſumma dicendi libertate prædicare, chriſtianorumq. animos incendere, ut mortem pro* Christi *fide fortiter oppeterent; græcos etiam multos, uerbo ueritatis a ſe inſtitutos, baptiZare ſtuduit. Quibus rebus concitata in ſe hominum, idola colentium, inuidia, defertur ad regionis præfectum, quòd contemptis Cæſarum edictis, auctor omnibus eſſet, ut* Christum *crucifixum colerent. Quamobrem ille, furenter iratus, à militibus beatum Priſcum abductum, horribilem in modum ex-*

cru-

cruciari iubet, itaque martyr primò in eculeum actus, excarnificatur; poſt punctim pugionibus tranſuerberatur; poſtremò, ſecuri percuſſus, migrauit ad Dominum. Carthagine in Africa, ſanctæ Candidæ uirginis, et martyris. Hæc, Maximiano Imperatore, ubi in uirtutis chriſtianæ certamen uenit, plagis toto corpore dilacerata, non ullis fracta cruciatibus, fortiter pugnam ſuſtinendo, coronatur. In Phrygia, ſanctorum, Dionyſij, et Priuati, martyrum. In Hiſpania, beatorum martyrum, Aemyliani, et Geronij. Cordubæ, ſancti Eulogij presbyteri, et martyris: qui pro CHRISTI *fide quinto idus Martij, ſecuri percuſſus, hodierno die diuinis ſtatarum horarum officijs, ex eccleſiæ Cordubenſis uſu, ut a nobis narratum eſt, celebratur. Mediolani, ſancti Clicerij epiſcopi, et confeſſoris. In diœceſi Colonienſi, ſancti Gerardi confeſſoris, admiranda ſanctiiate uiri: qui in Aegipti ſolitudine ſeptem, et decem annos celeſti manna paſtus traditur.*

Vndecimo calen. Octobris. Luna. E.

6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	25
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Sancti Matthæi Apoſtoli, et euangeliſtæ. Is Capharnai 21. *cum ad telonium ſederet, a* CHRISTO *uocatus, ſtatim illum ſecutus eſt. Poſt Domini reſurrectionem primus euangelium hebraice ſcripſit: poſtea in Aethyopiam profectus, euangelij prædicationem confirmauit miraculorum magnitudine. Romæ, uia Claudia, ſancti Alexandri epiſcopi, et martyris: qui, Antonino Imperatore, uarie tortus, tandem omnibus ſuperatis cruciamentis, ſecuri percuſſus, ſempiternam adeptus eſt uitam.*

eſt uitam. Et Damaſus pontifex diem feſtum inſtituit ad ſextum calendas Decembris: quo die illius corpus translatum, honeſto loco pie condendum curauit. Romæ item, ſancti Pamphili martyris. In Aethiopia, ſanctæ Iphigeniæ uirginis: quam beatus Apoſtolus Matthæus baptizauit. In Cypro, ſancti Iſacij epiſcopi, et martyris. In Phœnicia, ſancti martyris Euſebij: qui ultro ad præfectum cum ueniſſet, CHRISTI *fidem in omni cruciatu præclara animi conſtantia tutatus, datis denique ceruicibus coronatur. In Cœnobio Flauiacenſi, ſancti Geremari abbatis: cuius uita ad omnem religioſarum uirtutum, ſanctitatisq. laudem inſignis, legitur.*

F. Decimo calen. Octobris. Luna.

7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 26
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

22. *Seduni in Gallia, beatiſſimorum martyrum, Mauritij,*
.II *Exuperij, Candidi, Victoris, et ſociorum ſex millium, ſexcentorum, ſexaginta ſex. Hæc legio Thebana fuit: quæ Maximiano, & Diocletiano, Imperatoribus, ut ne impiorum ſacrorum ſocietate ſe inquinaret, a reliquis copijs diſceſſit.*
.15 *cum autem ad eos Imperator miſiſſet, ut in caſtra ad ſacrificia redirent, ſe Chriſtiana religione impediri reſponderunt, quo reſponſo ille commottus, decimum quemque eorum neci obijci iuſſit. quod martyrium cum ſua ſponte, tum ducis Mauritij hortatu ſubire maluerunt, quàm Imperatoris iuſſu tale impietatis facinus admittere. Eodem die, ſancti Victoris martyris. Hic nec legionis eiuſdem fuit, neque miles, ſed emeritæ iam militiæ ueteranus: qui iter agens, cum in eos incidiſſet,*

qui,

qui, paſsim epulabantur, læti ſpolijs martyrum, ab iſtis ad conueſcendum inuitatus, deteſtatus conuiuarum impietatem, ab ijs iugulatus eſt, et ceteris martyribus honore coniunctus. Apud Meldenſes in Gallia, ſancti Sanctini epiſcopi: qui, beati Dionyſii Areopagitæ diſcipulus, illius ciuitatis a magiſtro conſecratus epiſcopus, cum religionis Chriſtianæ myſteria primus ei populo aperuiſſet, ſanctiſsime obijt in Domino. Apud Baioariam, ſancti Emmerami epiſcopi, et martyris: cui quo grauior dolor, et cruciatus inureretur, ſingula membra abſciſſa ſunt. Antinoopoli, ſanctæ Iraidis uirginis, et martyris. Hæc, uirgo Alexandrina, egreſſa aliquando e cœnobio, ut e proximo fonte aquaretur, uidit urbis præfectum, nauim ad littus appellentem, qui multos ſecum chriſtianos ducebat, ceteris conſtrictos, presbyteros, diaconos, mulieres ſanctas, et uirgines; accurrenſq. ac ſciſcitata ex uirginibus, quamobrem eſſent in uinculis: quibus reſpondentibus, ob CHRISTVM, *ut pro illius nomine martyrium ſubeuntes, ſalui ſimus, impetrauit a lictoribus, ut etiam ſibi cathenas inijcerent. Ducti igitur ſancti Antinoopolim, multiſq. a præfecto excruciati tormentis, cum in fide* CHRISTI *conſtantiſsime uſque ad necem perſiſterent, capitis omnes damnati ſunt: primaq. omnium Irais obtruncata. In Pago Pictauienſi, ſancti Florentij, presbyteri, et confeſſoris. In diœceſi Bituricenſi, ſancti Siluani confeſſoris. In Monaſterio Lugdunenſi, ſanctæ Salabergæ uirginis: quæ, trecentis uirginibus monialibus præfecta, omni ſanctimoniæ exemplo prælucens, miraculis clara, obdormiuit in Domino.*

xiiij. G. Nono calendas Octobris. Luna.

8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 27
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

23. *Romæ, ſancti Lini pontificis, et martyris. Cui caput amputatum eſt ob ſingulare, uereq. pontificium chriſtianæ fidei tuendæ ſtudium, iuſſu Saturnini impij, ingratiſſimiq. Conſulis, cuius filiam, dæmonum aſtu agitatam, diuinitus liberarat. Romæ item, ſancti Liberij pontificis. Antiochiæ, ſanctæ Theclæ uirginis, et martyris. Hæc, Iconij nobiliſſimis parentibus nata, a Paulo Apoſtolo fidei præceptis inſtituta, pro* CHRISTO *in ardentem rogum iniecta, inde diuinitus liberata; Antiochiam uenit: ubi feris expoſita, et tauris, diuerſe incitatis, alligata; mox præceps deiecta in foſſam, plenam ſerpentibus, diuina ope ex omnibus ijs periculis erepta; Iconium in patriam rediens, cæleſtibus uirtutibus, et miraculis inſignis, nonageſimum annum agens, abijt ad Dominum. In Campania, ſancti Soſij diaconi; qui, triginta annos natus, Puteolis, Diocletiano Imperatore, Timothei præſidis iuſſu, pro* CHRISTO *capitis damnatus, coronatur: quem martyrem futurum, paulo ante Ianuarius, epiſcopus Beneuenti, prædixerat: cum ex illius, Euangelium legentis, capite flammam excitatam ſolus uidiſset. Anconæ, ſancti Conſtantij epiſcopi, et confeſſoris. Hic, rebus huius ſæculi contemptis, totus in Dei contemplatione conquieſcens, uitæ ſanctiſſimæ, et rerum diuinæ mirificeq. geſtarum laude cumulatus, ad præmium abijt in cælum. In diœceſi urbis Conſtantiæ, ſancti Paterni epiſcopi, et confeſſoris. Valentiæ in Hiſpania, Inuentio ſancti Vincen-*

Vincentii martyris.

Octauo calen. Octobris. Luna. iii. A.

9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 28
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum martyrum, Euſebij, Potentiani, Vin- 24.
centii, Peregrini, Iulii, et Pontii: qui Marco Aurelio Imperatore, coronantur. Auguſtoduni in Heduis, beatorum martyrum, Andochii presbyteri, Tyrſi diaconi, et Felicis. Ii ab ſancto Polycarpo ad inſtruendam in fide Galliam miſſi, Aureliano Imperatore, martyrium ſubierunt. cum pro CHRISTO *Domino primum uerberibus cæſi, deinde inuerſis manibus ſuſpenſi, poſt in ignem poſiti, non combuſti tamen, poſtremo uectibus percuſſi ſunt. Chalcedone, ſanctorum quadraginta nouem: qui, Diocletiani Imperatoris iuſſu, a Priſco feris expoſiti, ab earumq. faucibus liberati diuinitus, demum ſecuri feriuntur. In Græcia, ſanctorum martyrum, Paphnutij, et quingentorum, quatraginta ſeptem. Is enim, abiectis humanarum rerum curis, cum magnam uitæ partem in ſolitudine egiſſet: proindeq. exemplo, et cohortationibus multos ab impietate ad* CHRISTI *cultum perduceret; et ob eam cauſam a præfecto plerique in uincula abriperentur; diuino admonitu ſe ultrò præfectò obtulit: apud quem religionem chriſtianam libere profeſſus; primò cathenis ferreis conſtringitur; tum in equuleum actus, eo uſque depectitur, donec uiſcera profluerent. Verum cæleſti ope liberatus, et ſanatus, multis ad fidem ſua etiam prædicatione, et officio conuerſis, mittitur cum ceteris fidelibus ad Diocletianum: a quo palmæ affixus, mar-*

tyrii coronam accepit; atquè una cum eo, alii quingenti quatraginta ſeptem hoc ipſo die pro C H R I S T O *necati, memorabili pietatis chriſtianæ teſtimonio dato, præmium ſempiternum tulerunt. Aruernis, ſancti Ruſtici epiſcopi, et confeſſoris. In Hungaria, ſancti Gerardi epiſcopi, et martyris. In diœceſi Belluacenſi, ſancti Germani abbatis.*

B. Septimo calen. Octobris. Luna.

10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 29

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

25. *In oppido Emaus, ſancti Cleophæ. Hic* I E S V C HRISTI *Domini diſcipulus, in eadem domo, in qua menſam Domino parauerat, a Iudæis occiſus legitur. In Aſia, ſanctorum martyrum, Bardomiani, Eucarpi, et ſociorum uiginti ſex. Ambiani, ſancti Firmini epiſcopi: qui, Rictiouaro præſide, uariis excruciatus tormentis, demum ſecuri percuſſus coronatur. Hoc ipſo die, ſancti Herculani martyris. In Græcia beatorum martyrum, Pauli, et Tattæ coniugis, ac filiorum, Sabiniani, Maximi, Rufi, et Eugenij: qui chriſtianæ religionis accuſati, ligno cathenis ferreis aſtricti, uerberibusq. horribiliter affecti, tum alijs cruciamentis uarie torti, poſt multas, atque eximias fidei, religionisq. noſtræ confeſſiones, in ipſis ſupplicijs, quæ exquiſita pertulerant, animam Deo reddiderunt. Mediolani, ſancti Anathalonis epiſcopi: qui ſancti Barnabæ diſcipulus, tum Mediolani, tum Brixiæ,* C HRISTI *fidem propagauit. Lugduni, ſancti Lupi epiſcopi. Hic, in ſolitudine cum uitam religioſe egiſſet, inde euocatus, adminiſtrationem gregis Lugdunenſis diuina etiam uiuendi ratione*

capeſcitis,

capeſcens, cæleſtium uirtutum claritate quadam enituit. Antiſiodori, ſancti, Anacharij epiſcopi, et confeſſoris: qui Antiſiodorenſi, Matiſconenſi concilio primo, et ſecundo præſens adfuit. Carnuti, ſancti Solemnij epiſcopi: qui cæcum, eundemq. ſurdum, ſibi obuiam factum, oſculo mirabiliter ſanauit. Apud Sueſſonas, ſancti Principij epiſcopi, et confeſſoris. Hic beati Remigij frater, Arauſicano concilio ſecundo interfuit, uirtutum diuinarum ornamentis excultus.

Sexto calendas Octobris. Luna. xi. C.

11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	30
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Sanctorum martyrum, Cypriani epiſcopi, et Iuſtinæ uirginis. Ille magus primum, Iuſtinæ amore ardens, cantionibus, et ueneficijs cum eam ad ſua libidinis aſſenſum allicere numquam poſſet; a dæmone reſponſum accepit, nullam ei artem profuturam contra eos, qui CHRISTVM *uere colerent. Quo reſponſo commotus, relictis magicis artibus, totum ſe in* CHRISTI IESV *fidem, et cultum tradidit. quamobrem unà cum Iuſtina comprehenſus eſt: tum ambo flagellis, colaphisq. cæſi, et in ſartaginem plenam feruentis picis, adipis, et ceræ, coniecti, indeq. diuino auxilio incolumes, demum Diocletiani iuſſo Nicomediam miſſi, ſecuri feriuntur. Horum corpora Romam delata, a Rufina matrona pie ſepulta ſunt. Romæ, ſancti Euſebij pontificis, et martyris. Romæ item, ſancti Apollinarij martyris. Romæ præterea ſanctorum martyrum, Calliſtrati, et ſociorum centum, octuaginta quattuor. Is, Diocletiano Imperatore, uir et ſapientia, et pietate erga Deum ſingulari,* 26.

gulari, a copiarum præfecto comprehenſus, a CHRISTI *cultu cum diuelli nullo modo poſſet; primo uerberibus cæſus, poſt acutiſſimis teſtulis uolutatus, demum culeo inſutus, in mare proijcitur: ſed ſacco diſcuſſo inde incolumis euaſit. Quo miraculo commoti milites, quatraginta nouem,* IESV CHRISTI *fidem complexi ſunt: quamobrem unà cum illo in uincula, præfecti iuſſu conijciuntur. Is uero, ſpectata in carcere eorũ conſtanti fide, inde eductus, oratione ad Deum habita, idola deturbauit. Cuius rei admirabilitate obſtupefacti reliqui milites centũ triginta quinque, in Chriſtum crediderunt: omneſq. cupitis damnati, martyrij palmam acceperunt. In Græcia ſanctæ Epicharidis martyris. Hæc, in eiuſdem perſecutione,* CHRISTVM *libere confeſſa, in equleum ſublata, excarnificatur; deinde malleis plumbeis percuſſa, admirabili pietatis teſtimonio, datis pro fide ceruicibus, coronatur. Albani, ſancti Senatoris martyris. Brixiæ, ſancti Vigilij epiſcopi, et confeſſoris.*

xix. D. Quinto calendas Octobris. Luna.

A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t
12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	1

27. *Acgeæ, ſanctorum martyrum, Coſmæ, et Damiani. Ii non magis medicinæ ſcientia, quàm* CHRISTI *uirtute, inſanabilibus morbis medebantur. A Lyſia præfecto de fidei profeſſione interrogati, ſe chriſtianos eſſe, libere profitentur. a qua ſententia abduci cum minus poſſent, exquiſitis torti ſupplicijs, demum, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, ſecuri feriuntur. Sanctorum item Antimi, Leontij, et Euprepij: qui Coſmæ, et Damiani fratres, unà cum eiſdem martyrium*

tyrium pertuliſſe dicuntur. In Græcia, beatorum martyrum, Alphei, Alexandri, Marci, et ſociorum: qui, in ipſa Diocletiniana perſecutione, magno animi ardore incenſi ad martyrium, fortiter ceruices præbuerunt. Seduni, ſancti Florentini, cui una cum ſancto Hilario, lingua primò, tum caput abſciſſum eſt. Cordubæ, ſanctorum martyrum, Adulphi, et Ioannis: qui, Artemiæ ſanctiſſimæ mulieris filij, religioſe in omni pietatis officio inſtituti, ob egregiam, chriſtianoq. animo dignam, fidei tuendæ conſtantiam, nobili martyrio in perſecutione Arabica coronantur. Mediolani, ſancti Caij epiſcopi: qui beati Barnabæ Apoſtoli diſcipulus, Apoſtolicæq. uirtutis imitator præclarus, ſanctorum Apoſtolorum, Petri, et Pauli deſiderio flagrans, iter ad urbem Romam ſuſcepit: in uia dum eſſet, diuina præſenſione uidit, eos, Neronis iuſſu, martyrium obijſſe: Romam ubi uenit, quod præſenſerat, re ipſa factum eſſe cognouit: cum beato autem Clemente, et ceteris Apoſtolorum diſcipulis, aliquandiu fuit: quibus cum euangelij prædicationem communicauit. Mediolanum reuerſus, Geruaſium, et Protaſium, paulo poſt præclaro martyrio nobilitatos, Chriſtiana fide inſtruxit, ac baptiZauit; aliaq. multa cum egiſſet, tum graues pro fide pugnas in illo perſecutionis Neronianæ impetu ſuſtinuiſſet; demum, eccleſiæ Mediolanenſis, ſancte adminiſtratæ laude clarus, quieuit in Domino. Rauennæ, ſancti Aderiti epiſcopi: qui, a beato Apollinare ſacerdos factus, in eius locum diuino admonitu ſuffectus, optimi ſanctiſſimiq. epiſcopi muneribus omnibus perfunctus, cum multos ad uerum Dei cultum ab falſa Deorum religione perduxiſſet, meritis cumulatus, ad præmium migrauit in cælum. Pariſijs, ſancti Ceranni epiſcopi, et confeſſoris:

Infra die 28.

qui illius prouinciæ Dux, uirtutum omnium, et pietatis in primis fama celebris, quanto gratior pijs, et bonis uiris extitit; tanto peius illum Boleslaus frater, idolorum cultor, oderat: a quo ob chriſtianæ religionis ſtudium occiſus, in beatorum martyrum numerum relatus eſt. Cuius ſanctitati, quo die necatus eſt; teſtimonium CHRISTVS *dedit: qui* REGI *Daciæ per uiſum apparens, ſuo martyri eccleſiam ædificari mandauit. Antiſiodori, ſancti Allodij epiſcopi: qui, eccleſia ſibi commiſſa, annos triginta pie adminiſtrata, ſancte factorum laude clarus, obdormiuit in Domino. In Germania, ſanctæ Liobæ uirginis. Hæc e Britannia inſula a Bonifacio Archipiſcopo euocata, ut uirgines, Deo dicatas, in monaſterijs ad religioſe agendum inſtrueret, omni ſanctitate præluxit: quam miraculorum magnitudine, et multitudine Deus omnibus teſtatam fieri uoluit.*

Tertio calendas Octobris. Luna. viii. F.

14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 3

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Michaelis Archangeli. In ſummo enim monte 29.
Gargano, hoc ipſo die, Michaelis Archangeli nomine, triduano primum ieiunio celebrato, eccleſia conſecrata eſt: in qua Dei gratia et munere multa miracula fiunt. In Armenia, ſanctarum uirginum, Ripſimiæ, et Gaianæ, ac ſociorum martyrum. Fuit Ripſimia, nobili genere, egregiaq; forma uirgo, et Deo in religionem dicata: quam Tiridates REX *impius, eius amore captus, cum a uirginitate auellere nullo pacto potuiſſet; illam fugientem aſſecuti milites, ut chriſtianam*

religionem abiuraret, compellunt. Quod facinus deteſtata uirgo, diſciſsis ueſtibus, præciſa lingua, effoſisq. oculis, in ignem conijcitur: e quo diuinitus erepta, paulo poſt gladio feritur. Et cum ea præterea uiri ſeptuaginta, fœminæ triginta, neci obiectæ, coronantur. At Gaiana, detracta prius e corpore pelle, et confractis, comminutisq. oſsibus, capitis damnata, martyrium etiam uirtute admirabili ſubijt. In Thracia, ſanctorum martyrum, Eutychij, Plauti, et Heracleæ. Antiochiæ, ſanctorum, Soſij; et Ianuarij martyrum. Antiſiodori, ſancti Fraterni epiſcopi, et martyris: qui ab impijs barbaris, quo primum die eccleſiæ, ſibi in curam traditæ, adminiſtrationem ſuſcepit, ob fidem necatus, martyrio coronatur. Regij, ſancti Maximi epiſcopi, et confeſſoris, pietate admirabili, et miraculis clari.

G. Pridie calendas Octobris. Luna.

15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 4
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

30. *Sancti Hieronymi presbyteri, et confeſſoris: Hic doctrina, ſanctitate, miraculis illuſtris, multis laboribus in ſacrarum litterarum ſcientia, et interpretatione perfunctus, Honorio Imperatore, quieuit in Domino. Cuius corpus ad Bethlehem ſepultum, poſtea Romam in Baſilicam ſanctæ Mariæ ad Præſepe translatum eſt. Solodori, beatiſsimorum martyrum, Victoris, et Vrſi; qui in nobili illa Thebæorum legione adſcripti, grauiter primum cruciati, deinde ope diuina e ſupplicijs erepti, in ignem conijciuntur: unde rurſus incolumes cum extitiſſent, poſtremo ſecuri percuſsi, ad martyrij*

tyrij gloriam peruenerunt. Placentiæ, ſancti Antonini martyris, eiuſdem legionis. Aquiſgrani, ſancti Leopardi martyris: qui, Iuliani Imperatoris iuſſu, pro CHRISTI *gloria primò uarijs excruciatus ſupplicijs, demum ueræ, diuinæq. pietatis athleta fortiſsimus, datus ceruicibus, coronatur. Cantuariæ in Anglia, ſancti Honorij epiſcopi, et confeſſoris. Bambergæ, ſancti Othonis epiſcopi, et confeſſoris. Hic, in illuſtri familia natus, a patre diligenter educatus, magnos et in uitæ ſanctæ diſciplina, et in litteris progreſſus habuit. Epiſcopus factus cum cuncta ad Dei uoluntatem adminiſtraret; eius pietatis fama peruagata, a Poloniæ duce accerſitus, Pomeranas gentes chriſtianæ fidei myſterijs imbuit: alia præterea diuine egit magna cum teſtificatione ſanctitatis. Catalaunis, ſancti Leudomiri epiſcopi, et confeſſoris. Hoc ipſo die, ſanctæ Sophiæ uiduæ.*

OCTOBER.

Calendis Octobris. Luna. xvi. A.

16 26 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 5
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

SANCTI *Remigij epiſcopi, et confeſſoris. Is, Rhemis nobili genere natus, optimis litteris imbutus, ab ineunte ætate religioni mirifice deditus, epiſcopus factus, in eo munere, quod diu recuſauit, ita ſe geſsit, ut doctrinæ laude, et uitæ cæleſtis exemplo abduxerit homines in admirationem ſui. Idem primus omnium prædicatione, et ſanctæ factis, ac miraculis Francos* Die I.

ad fidem C*hristi* *conuertit: Clodouæum regem baptizauit: alia præterea admirabiliter egit: quibus eius ſanctitas declarata, et comprobata eſt. Romæ, ſanctorum martyrum Arethæ, et aliorum quingentorum quattuor. Tornaci, ſancti Piatonis presbyteri: qui una cum ſancto Quintino, eiusq. ſocijs Roma in Galliam profectus; euangelium diſſeminauit: deinde martyrio coronatus, migrauit ad Dominum. Tomis in ponto, beatorum martyrum, Priſci, Creſcentis, et Euagrij. Vlyſponæ in Luſitania, ſanctorum martyrum, Veriuimi, Maximæ, et Iuliæ, ſororum. Hi, ſanguine iuncti, ita diuinæ pietatis amore copulati, uno animi ardore, atque alacritate, ad æternam gloriam aſpirantes, martyrium, Antonino Imperatore, præclare ſubierunt. Theſſalonicæ, ſancti Domnini martyris. Hic ciuis Theſſalonicenſis, et ſingulari Chriſtianus erga Deum pietate, cum Maximianus Imperator Theſſalonicæ ædificationi operam daret, Chriſtianæ religionis accuſatus, illius tribunali ſiſtitur. Itaque idolis cultum tribuere iuſſus, cum hoc præciſe negaſſet; Chriſtianam fidem libere profeſſus, Imperatoris iuſſu primum uirgis cæditur; tum brachijs, et cruribus confractis, extra urbem abductus, ſeptem ipſis diebus nullo ſubminiſtrato cibo, adhuc ſuperſtes, ad extremum uſque totus orationi attentus, ſpiritum Deo reddidit. Sebaſtiæ, ſanctorum martyrum, Michaelis, et triginta ſex Monachorum: qui Saracenorum regis ſuaſu, atque cruciatuum terroribus, a chriſtianæ fidei cultu diuelli cum non potuiſſent; ad omnia pro* C*hristi* *gloria fortiter perferenda confirmati, datis gaudenti animo ceruicibus, martyrij coronam conſecuti, euolant ad Dominum. Treuiris, ſancti Nicetij epiſcopi, et confeſſoris: cuius admirabilis ſanctitas omni*

ex

ex parte elucet. In Portu Ganda, ſancti Bauonis confeſſoris. Hic primò miles, abiecta militia, ad cæleſtem diſciplinam, à beato Amando, Tungrorum epiſcopo inſtitutus, pecuniam et opes pauperibus, pijſq. operibus in eleemoſynam contulit: tum monaſterium in primis exædificauit, ubi aliquot annis cũ uitæ, et inſtitutionis euangelicæ rationes excoluiſſet, datis præclaris ſanctitatis ſuæ teſtimonijs, obdormiuit in Domino. Sancti item Fronti epiſcopi: cuius uita, et actiones, omni chriſtiana uirtute inſignes, litteris conſignatæ, extant. In urbe ueteri, ſancti Seueri presbyteri, et confeſſoris.

Sexto nonas Octobris. Luna. B. v.

17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	6
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

In Nicomedia, ſancti Eleutherij, et ſociorum martyrum; 2. qui innumerabiles, Diocletiano Imperatore, partim ſecuri percuſſi, partim combuſti ſunt. ſed eorum princeps Eleutherius cruciatuum ui fortior, et conſtantior factus, martyrij curſum igne confecit. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Primi, Quirilli, et Secundarij. In diœceſi Atrebatenſi, ſancti Leodegarij, Auguſtodunenſis epiſcopi: quem multis iniurijs, uarijſq. ſupplicijs affectum pro fide catholica tuenda, Ebroinus, regiæ familiæ præfectus, necauit. Sancti item Gerini martyris: qui eiuſdem beati Leodegarij frater extitit. In Græcia, ſancti Theophili monachi, et confeſſoris. Hic, diuinæ pietatis ardore accenſus, cum ſanctorum imagines ab Leone Iſauro, Imperatore impie uiolari cerneret, ad eum uenit: palamq. et libere illius facinus deteſtatus, uirgis primò diu

cæditur;

caditur; tum in tenebricoſum carcerem detruſus, inedia pænè conficitur. Inde uero poſt eductus, ſacrarum imaginum cultum cum tueri conſtanti pietate pergeret, in exilium pellitur: ubi multas perpeſſus moleſtias, de omnibusq. gratias Deo agens, tandem ſancte quieuit in Domino. Herefordiæ in Anglia, ſancti Thomæ epiſcopi, uitæ ſanctimonia, et miraculis clari. Aſisij, Tranſlatio ſanctæ Claræ uirginis.

xiii. C. Quinto nonas Octobris. Luna.

18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 1 11 22 3 14 25 7
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

3. Romæ, *ad Vrſum Pileatum, ſancti Candidi martyris, Athenis, ſancti Dionysij Magni, Areopagitæ: cuius infra, ſeptimo idus, dies natalis agitur. In Græcia ſanctorum martyrum, Dionysij, Fauſti, Caij, Petri, Pauli, et aliorum quattuor. Hi, Valeriano, et Galieno Imperatoribus, præclara fidei confeßione nobiles, inſignem necem pertulerunt. Apud antiquos Saxones, ſanctorum martyrum, Vilbrordi epiſcopi, et Eualdorum presbyterorum: qui prædicationis cauſa in Germaniam profecti, ab fidei hoſtibus comprehenſi, necantur. Bronij in Belgis, ſancti Gerardi abbatis: qui* CHRISTI *præceptis, in omni uita conformatus, admirandæ ſanctitatis egregia teſtimonia dedit. In Pago Dulcrimenſi, ſancti Iuuini confeſſoris.*

De hoc 7. Novemb et fuit Confessor ut refert Molan in Indiculo

D. Quarto nonas Octobris. Luna.

19 1 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 2 12 23 4 15 26 8
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

4. *Aßisij, ſancti Franciſci confeſſoris: qui admiranda ſanctitate,*

ctitate, et miraculis clarus, a Gregorio Nono, pontifice maximo, adſcriptus eſt in numerum ſanctorum. Corinthi, ſanctorum, Criſpi, et Caij. Huius, et Paulus et Ioannes, Apoſtoli meminerunt; illius Paulus item. In Aegipto, ſanctorum, Marci, et Marciani fratrum, et ſociorum martyrum innumerabilium: qui uarie pro CHRISTI *Domini fide primum torti, demum partim combuſti, partim præcipites in mare deiecti, partim in crucem acti, alij ſecuri percuſsi, ad martyrij præmium migrarunt in cælum. In Meſopotamia, ſancti Adaucti martyris. Is ciuis Epheſinus, cum Caliſthenem filiam uirginem, cuius forma, et uenuſtate captus turpiter Maximianus Imperator erat, occultaſſet; fugaq. pudori conſulens, in orientis partes deducendam curaſſet; furenter ille iratus, hunc, chriſtianæ religionis cauſa comprehenſum, in Meſopotamiam relegauit ad præfectum ea lege, ut, niſi ad idolorum cultum abduci poſsit, contrucidaretur. beatus igitur Adauctus, pro fide fortiter pugnam ſuſtinens, capitis propterea damnatus, admirabili uirtute martyrij curſum confecit. In Græcia, ſancti Petri epiſcopi, et martyris. Hic, multis ſua prædicatione ad fidem conuerſis, captus ab idolorum cultoribus, horribilem in modum uerberatur: poſt, ad præfectum perductus, in* CHRISTI *confeſsione conſtantiſsime perſeuerans, illius iuſſu erutis oculis, lingua præciſa, auribus amputatis, manibus ac pedibus, neruo confractis, demum abſciſsis ceruicibus, regni* CHRISTI *teſtis præclarus coronatur. Alexandriæ, ſanctorum martyrum, Caij, Fauſti, Euſebij, et Chæremonis. Hi diaconi, beati Dionyſii Alexandrini diſcipuli. Caius quidem, et Fauſtus exilij illius comites, poſt uarios cruciatus, martyrii palmam aſſecuti ſunt: Euſebius au-*

tem

tem, et Chæremon, poſtquam magiſter in exilium pulſus eſt, diuina adiuti uirtute, eos, qui in uinculis erant, frequentes adibant: eiſdem ſumptum ſuppeditabant: ſanctorumq. martyrum corpora ſepulcro inferebant. Cum igitur nihil prorſus de ſumma pietatis ſuæ contentione remitterent; et maxima CHRISTI *fidem libertate prædicarent, comprehenſi, Alexandriæ præfecto ſiſtuntur: cuius iuſſu uarie torti, germanam, ueramq. pietatem, quam profitebantur, in omni cruciatu teſtatam fecerunt. Tandemq. Euſebius, in equleum actus, ac pectinibus excarnificatus; tum Chæremon uirgis atrociter cæſus, in tormentis uterque animam Deo reddidit. Athenis, ſancti Hierothei epiſcopi: Hic in* CHRISTI *fide ab Apoſtolis, quos ſibi ad imitationem propoſuit, inſtitutus, magnam populo chriſtiano laudem attulit: Dionyſium Areopagitam, ab ſancto Apoſtolo Paulo ad* CHRISTI *fidem conuerſum, cæleſtibus uirtutibus erudiuit: libros de magnis myſterijs conſcripſit. Cum autem uitæ tempus in Dei cultu poſuiſſet, diuinis excultus ornamentis, ſancte obdormiuit in Domino. Bononiæ, ſancti Petronij epiſcopi, et confeſſoris; ab adoleſcentia in monachalis uitæ inſtitutis exercitati, doctrina, ſanctitate, et miraculis clariſſimi. Pariſijs, ſanctæ Aureæ uirginis.*

E. Tertio nonas Octobris. Luna.

20	2	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	3	13	24	1	16	27	9
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

5\. *Smyrnæ, ſancti Thraſeæ epiſcopi: qui, beato Polycarpo in epiſcopatu ſuccedens, muneris ſui partes diuine executus,*

pro

pro CHRISTI fide, Antonino Imperatore, coronatur. f.
Antiſiodori, ſanctorum martyrum, Firmati diaconi, et Flauianæ uirginis, germanorum fratrum. In Græcia, ſanctæ Charitinæ martyris; quæ, Diocletiano Imperatore, fidei chriſtianæ accuſata, apud præfectum libere, ſe CHRISTVM Deum colere, profeſſa, primum capite raſo, candentibusq. carbonibus conſperſo, tum ingenti lapide, e collo eius appenſo, in mare abijcitur: unde diuino auxilio emerſa, præfecto, ſe ipſa oſtendit, quæ, poſtquam omnes, qui aderant, rei admirabilitate attonitos reddidiſſet, euulſis dentibus, præciſisq. manuum, et pedum digitis, ad palmam martyrij peruenit. Treuiris, ſanctorum martyrum, Palmatij, et ſociorum: qui, Rictiouari præſidis ſuperata immanitate, fortiſſimi Dei milites coronantur. Meſſanæ, in Sicilia, ſanctorum martyrum, Placidi monachi, Euthychij, Victorini, Flauiæ ſororis, Fauſti, Firmati, et aliorum triginta. Ii à Manucha pirata, quem barbarus Hiſpaniæ rex miſerat, grauiter pro CHRISTI fide excruciati, demum necem conſtanti animo obierunt. Valentiæ in Gallia, ſancti Apollinaris epiſcopi: cuius et uita uirtutum, et mors miraculorum ſplendore eluxit. Rauennæ, ſancti Marcellini epiſcopi, tanta ſanctitate uiri, ut, uel ſola
opinione, homines a maleficio deterreret; et ad leges diuinas G.
colendas inflammaret. Zamoræ, ſancti Attilani epiſcopi: quem ſancte factorum, uitæq. diuinitus actæ laude clarum, Vrbanus Secundus, pontifex maximus, in ſanctorum numero
adſcripſit. Hoc ipſo die, ſanctæ Gallæ uiduæ: 7.

5. F. Pridie nonas Octobris. Luna.

21	3	13	24	5	16	27	8	19	1	11	22	4	14	25	6	17	28	10
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

6. *Romæ, ſanctæ Balbinæ uirginis. Laodiceæ, ſancti Sagaris epiſcopi, et martyris, qui unus fuit de antiquis beati Apoſtoli Pauli diſcipulis. Ageenæ in Aquitania, ſanctæ Fidei uirginis; et martyris: quæ, in maximo perſecutionis Diocletinianæ impetu, grauem pro fide pugnam, uiriliter ita ſuſtinuit, ut eius exemplo beatus Capraſius animatus, martyrium ſubierit. Capuæ, ſanctorum martyrum, Marcelli presbyteri, Caſti, Aemylij, Saturnini, Rogati, Antonij, et Auiti. Curiæ in Rhætia, ſanctorum martyrum, Conſtantis, et Alexandri. Opitergij in Carnis, ſancti Magni epiſcopi, et confeſſoris: cuius corpus Venetias translatum, pie religioſeq. in baſilica ſancti Hieremiæ reconditum eſt. Antiſiodori, ſancti Romani epiſcopi. Treueris, ſanctæ Modeſtæ uirginis.*
4 Kouenl *In Calabria, ſancti Brunonis: qui Carthuſienſium ordinem inſtituit.*

G. Nonis Octobris. Luna.

22	4	14	25	6	17	28	9	20	2	12	23	5	15	26	7	18	29	11
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

7. *Sanctorum, Sergij, et Bacchi martyrum: qui, Maximiano Imperatore, coronantur. Hic tamdiu neruis caſus, quoad plagis toto corpore dilaceratus, ſpiritum emiſit: ille cothurnis, clauorum plenis, pedes indutus, demum ſecuri perc*

cuſſus eſt. Romæ, ſanctorum martyrum, Marcelli, et Apuleij. Hi, ſancti Apoſtoli Petri opera Simone mago relicto, cum in Apoſtolicam ſe diſciplinam tradidiſſent, in fide conſtantes, martyrium, Aureliano Imperatore, ſubierunt. In prouincia Euphrateſia, ſanctæ Iuliæ uirginis: quæ, Marciano præſide, martyrij coronam accepit. Romæ, ſancti Marci papæ, et confeſſoris. Is ciuis Romanus, e patre Priſco natus, a beato Silueſtro pontifice, diaconus factus, ei in pontificatu ſuccedens, multis rebus pie conſtitutis, baſilicis duabus exædificatis, eccleſiaq; Dei ſancte adminiſtrata, pontificiarũ uirtutum meritis ornatus, quieuit in Domino. Eius corpus ſepultum eſt in cœmiterio Balbinæ. Patauij, ſanctæ Iuſtinæ uirginis, et martyris. Hæc, Vitaliani Iuſtini, Patauij præſidis filia, a beato Proſdocimo epiſcopo baptizata, et in chriſtianæ religionis myſterijs apprime erudita, mortuis parentibus, cum iam uirginitatem ſuam CHRISTO *conſecraſſet, in ieiunijs, et pijs precationibus aſſidua erat. Perſecutionis autem flamma, contra chriſtianos funeſtis tyranni edictis, ubique terrarum, et Mediolani in primis, Patauijq. accenſa, chriſtianæ religionis accuſata uirgo, Maximiano præſidi, ſiſtitur: apud quem, ſe* CHRISTI *ancillam eſſe, palam profitetur: idque ita conſtanter aſſeuerat, ut nullis minitationibus, nullis terroribus, nec uerò uerborum blanditijs a propoſito fidei dimoueri unquàm potuerit. Itaque irati preſidis iuſſu, gladio tranſuerberata, ad uirginitatis, et martyrij præmium abijt in cælum. In Anglia, ſanctæ Oſithæ uirginis, et martyris. Apud Bituricas, ſancti Auguſti presbyteri, et confeſſoris. In Pago Rhemenſi, ſancti Helani presbyteri, et confeſſoris. Romæ ſanctæ Brigitæ uiduæ: quam in ſanctis Boni-*

facius Nonus, pontifex maximus, adſcripſit.

xviii. A. Octauo idus Octobris. Luna.

23 5 15 26 7 18 29 10 21 3 13 24 6 16 27 8 19 1 12
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

8. *Sancti Simeonis ſenis, qui* CHRISTVM *Dominum, brachijs excepiſſe, euangelicis litteris traditur. Cæſareæ, ſanctæ Reparatæ uirginis, et martyris. Hæc, Decio Imperatore, multis primò tormentis affecta, demum ſecuri percuſſa, coronatur. Antiochiæ, ſanctæ Pelagiæ uirginis, et martyris. Hanc, ſummo loco natam, mittit urbis præfectus, Numeriano Imperatore, milites, qui chriſtianæ fidei nomine comprehenderent. Cum igitur domum illi undique obſediſſent; re perſpecta, uirgo domi incluſa, abſente matre, et ſororibus, præſidio uacua, ſed Deo plenior, paululum ſibi temporis ad ornandum dari impetrauit. cum autem ſua ſponte ad eos deſcenſura eſſet; tunc, euerſis idolorum aris, locum ingreſſa, ubi orare conſueuerat, ſublatis in cœlum oculis, Deum precata, ne a predonibus fidei, et uirginitatis, uiolaretur, diuinitus iuſſa, nece ſibi allata, migrauit ad Dominum. Hieroſolymæ, ſanctæ item Pelagiæ: Hæc peccatrix, pœnitentia interiore ducta, ad Nonnum ſanctiſsimum epiſcopum acceſſit: a quo baptizatur: erogatiſq. in pauperum eleemoſynam omnibus ſuis facultatibus, quas amplas habebat, in oliuetum montem ſe abdidit: ubi, uirilem habitum induta, ieiunijs, inediæ, uigilijs, orationibus, ſanctiſq. exercitationibus continenter dedita, tantum apud Deum ualuit, ut multis nobilitata miraculis, migrauerit in cælum. Theſſalonicæ, ſancti Demetrij martyris: cuius*

cuius uitam Anaſtaſius, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Bibliothecarius, græce ſcriptam, latine a ſe redditam, ad Carolum Magnum miſit. In diœceſi Lugdunenſi, ſanctæ Benedictæ uirginis, et martyris. Hæc, in Diocletiani perſecutione, à Macrobio iudice tormentis uarie excruciata, præclaro fidei teſtimonio illuſtris, coronatur. In finibus Senonenſium, ſanctæ Porcariæ uirginis, et martyris: Laodiceæ, ſancti Artemonis presbyteri, et martyris. Hiſpali, ſancti Petri martyris. Antiſiodori, ſanctorum, Dionyſij, et Fauſtini, martyrum. Treuiris, ſancti Metropoli epiſcopi, et martyris. Rothomagi, ſancti Euodij epiſcopi, et confeſſoris. Carnuti, ſancti Caletrici epiſcopi: qui Concilio Pariſienſi primo, et Turonenſi ſecundo interfuit, magna ſuæ ſanctitatis teſtificatione. Anconæ, ſanctæ Pallantiæ uirginis. Venetijs, Dedicatio Baſilicæ ſancti Marci.

Septimo idus Octobris. Luna. vii. B.

24	6	16	27	8	19	1	11	22	4	14	25	7	17	28	9	20	2	13
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Sanctorum, Dionysij, Ruſtici, et Eleutherij, martyrum. 9.
Dionyſius, ciuis Athenienſis, opibus, gloria, ſapientiaq. clarus, unus ex Areopagitis iudicibus, in CHRISTVM *credidit; quo tempore beatus Paulus Apoſtolus Athenas uenit: a quo baptizatus, Athenienſium eccleſiæ præficitur. Inde poſtea Romam profeſſus, à Clemente pontifice prædicationis cauſa in Galliam mittitur: ubi Pariſijs, quoniam multos ad chriſtianam religionem perduxerat, unà cum ſocijs, Ruſtico presbytero, et Eleutherio diacono, Feſcennij præſidis iuſſu, primò*

mò uirgis cæſus, poſt, multis præterea cruciamentis affectus, ſecuri demum percuſſus, coronatur. Apud Iuliam, in diœceſi Parmenſi, uia Claudia, ſancti Domnini martyris: qui ingraueſcentem Maximiani tyranni perſecutionem cum declinare uellet; comprehenſus eſt tamen, in ſummaq. fidei conſtantia, ac forti animo martyrium ſubijt, ſecuri necatus. Curiæ in Rhetia, ſancti Lucij: qui Britanniæ rex, Germanis CHRISTVM *Dominum annunciauit. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Iubentini, et Maximi. Cum enim, Iulianus Apoſtata Antiochiæ in Syria eſſet, uictimarum ſanguine fontes, fluuios, uenaleſq. cibos pollui, ac fœdari iuſſit; ut qui deguſtaſſent, chriſtiani, uel inuiti, ſacrificiorum gentilium participes eſſent. Iſtius impietatem Iubentinus, et Maximus grauiter deteſtati, ad illum deferuntur: qui, ira exardeſcens, beatos martyres,* CHRISTI *fidem fortiter defendentes, primò uarijs tormentorum ictibus percuſſos, poſtremò capitis damnauit. Tyri, ſancti Dorothei epiſcopi, et martyris. Hic, et doctrinæ, et pietatis laude celebris, cum perſecutionis in chriſtianos commotæ à Diocletiano, et Licinio, uitandæ cauſa fugiſſet, et Tyrum poſt eorum mortem rediſſet, eccleſiæ Tyrenſi uſque ad Iuliani tempora præfuit. Sed cum chriſtianorum cædem a Iuliano per præfectos fieri didiciſſet; atque in Thraciam propterea ſe recepiſſet; non tamen impiorum manus effugere potuit. Comprehenſus igitur ab illius præfectis, et ad quæſtiones, de fide inſtitutas, adhibitus, in ipſo cruciatu, annos centum, et ſeptem natus, pro conſtanti fidei confeſſione animam Deo reddidit. In Belgis, ſancti Gisleni confeſſoris: qui, ordinis ſancti Baſilij monachus, depoſito epiſcopali munere, Romam peregrinatus, inde diuino admonitu*

in

in Belgas uenit: ubi, extructo monaſterio, cæleſtis uitæ inſtitutis imbutus, uirtutum ſplendore præluxit; ac multis ad IESV CHRISTI *fidem perductis, meritorum magnitudine cumulatus, et admiranda ſanctitate clarus, ad præmium abijt in cælum. Cameraci, uia Atrebatenſi, ſanctæ Ollæ uirginis. Hoc ipſo die, Abrahæ patriarchæ.*

Sexto idus Octobris. Luna. C.

25 7 17 28 9 20 2 12 23 5 15 26 8 18 29 10 21 3 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Cretæ, ſancti Pinyti epiſcopi: qui in eccleſia, magna laude, Antonino Imperatore, florens, ad Dionyſium, Corinthiorum epiſcopum, epiſtolam diuinarum litterarum, et eloquentiæ plenam exarauit: in qua, quaſi in ſpeculo quodam, ſuam impreſſit imaginem. Coloniæ, ſancti Gereonis, et aliorum trecentorum, decem, et octo martyrum. Ii, Maximiano, chriſtiani nominis hoſte, pro uera pietate uarijs excruciati tormentis, demum ceruices præclara fidei teſtificatione præbuerunt. In diœceſi item Colonienſi, ſancti Victoris, ac aliorum ſeptem, et decem martyrum. Nicomediæ, ſanctorum Eulampij, et Eulampiæ ſororis, martyrum: qui, illius tyranni perſecutionum tempeſtates, in dies uehementius excitatas, ut declinarent, in montem ſe cum multis chriſtianis abdiderunt. Profectus uerò aliquando Eulampius in urbem ad annonam emendam, ab idolorum cultoribus captus, perductusq. ad illorum templum, ut dijs immolaret, precatus eſt CHRISTVM *Dominum: collapisq. et contritis idolis, horribilem in modum torquetur. Qua audita re, Eulampia ſoror, de monte deſcendit,* 10.

dit, et in media turba fratrem complexa, ſociam ſe ei adiungit. Ambo igitur, in feruentem ollam coniecti; inde incolumes, magnæ ſpectantium admiratione, egreſſi, rei miraculo ducentos ad fidem perduxerunt: damnatiq. omnes, gaudenti animo ceruices pro CHRISTO *dederunt. Veronæ in Gallia, ſanctorum martyrum, Caſſij, Florentij, et aliorum ſeptem: qui, in illa Maximiani perſecutione, memorabili christianæ pietatis uirtute, in omni cruciamentorum genere declarata, inſigniter coronantur. In Africa, ſanctorum martyrum, Euboraci, Euſebij, Sereni, et Probi. Alexandriæ, ſancti Pierij, cum ob inopem, et egentem uitæ rationem, quam ſponte ſuſceperat, tum ob diuinarum litterarum ſcientiam, cum cæleſti uiuendi diſciplina coniunctam, illuſtris. Populoniæ, ſancti Cerbonij epiſcopi, et confeſſoris. Veronæ ſancti item Cerbonij epiſcopi: qui propagandæ diſciplinæ euangelicæ ſtudioſus, ſapientiæ laude clarus, Veronenſi eccleſia religioſe adminiſtrata, magna cum teſtificatione ſanctitatis ſuæ, quieuit in Domino. Eboraci in Britannia, ſancti Paulini epiſcopi, et confeſſoris. In Britannia item, ſancti Ioannis confeſſoris: quem uitæ ſanctimonia, et miraculis clarum, pontifex maximus, Bonifacius nonus adſcripſit in ſanctorum numero.*

XV. D. Quinto idus Octobris. Luna.

26 8 18 29 10 21 3 13 24 6 16 27 9 19 1 11 22 4 15
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

II. *Tarſis in Cilicia, ſanctorum martyrum, Tharaci, Probi, et Andromici: qui, in Diocletiani perſecutione, diu carceris ſitu, et ſqualore pene confecti, tertiò uarijs, ijſq. exquiſitiſſi-*

mis

mis cruciati ſupplicijs, tum feris obiecti, nulla ex parte uiolati tamen, poſtremò martyrij gloriam in ſumma fidei conſtantia conſecuti ſunt. Ecbatanæ in Media, ſanctorum martyrum, Nicaſij epiſcopi, Quirini presbyteri, Scubiculi diaconi, et Pientiæ uirginis. Hi, in Domitiani perſecutione, præclaro prælio, pro fide ſuſcepto, uictores coronantur. In Scotia, ſancti Canici abbatis. In Anglia, ſanctæ Ethelburgæ uirginis. Apud Rhedones, ſancti Aemyliani confeſſoris. Papiæ, Translatio, ſancti Auguſtini epiſcopi. Veronæ, ſanctæ Placidiæ uirginis.

Quarto idus Octobris. Luna. iiii. E.

27	9	19	1	11	22	4	14	25	7	17	28	10	20	2	12	23	5	16
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſanctorum martyrum Ediſtij, Euagrij, et Priſciani. Rauennæ, uia Lauretina, ſancti item Ediſtij martyris; qui, in poſtrema illa Dioclitiani rabie, fidei confeſſione inſigniter nobilitatus, martyrij curſu confecto, coronatur. Romæ præterea, ſanctæ Anaſtaſiæ uirginis, et martyris. Hæc uirgo Romana, in religionem Deo dicata, ad urbis præfectum, cathenis ferreis uincta, perducitur. Is, ubi uirginem in CHRISTI *confeſſione perſeuerantem animaduertit, ei primum colaphis cæſæ, tum nudatæ ignem ſubſterni: deinde liquatam picem, oleum, ac plumbum infundi: poſt in equuleum ſublatæ oſſa omnia, haſtarum manubrijs confringi; ambas mammillas abſcindi; ungues radicitus euelli; dentes conuelli; pedes ac manus præcidi; multa præterea alia tormentorum genera adhiberi; denique caput amputari imperauit. In Lyſia,* 12.

Vu ſanctæ

ſanctæ Domninæ martyris: quæ à lictoribus græcis capta, præfecti iudicio ſiſtitur: apud quem IESV CHRISTI *nomen ſumma animi, et uocis libertate confeſſa, falſosq. Deos deteſtata, crudeliſsime cæditur: poſt in carcerem detruſa, iterum quæſtione adhibita, ſcipionibus uerberatur acerrime; deinde forcipibus membrorum artus ei luxantur; pedes ſubulis candentibus aduruntur. Quibus affecta cruciamentis, rurſus in carcerem incluſa, cum oraret, et gratias Deo ageret, pro quo martyrium ſubierat, ſpiritum reddidit. In Africa, ſanctorum martyrum quatuormillium, nonigentorum, et ſeptuaginta ſex: qui partim epiſcopi, partim presbyteri, partim diaconi, alij laici, paſtores ſequuti, pro tuenda catholica fide, ad tetram ſolitudinem in exilium pulſi, poſtremò uarie, grauiterq. cruciati, martyrij curſum confecerunt. Mediolani, ſancti Monæ epiſcopi, et confeſsoris. Hic, quo tempore epiſcopus renunciatus eſt, cæleſti lumine circumfuſus, patrias opes, quas ſatis amplas habebat, eccleſiæ donauit: Mediolanum parochijs diſtinxit: quinquagintaq. nouem annis in maxima perſecutionis tempeſtate munere epiſcopali ſancte perfunctus, multa fortiter, atque ex præſcripto euangelij egit: quibus clarus obijt in Domino. Veronæ, ſancti Saluini epiſcopi; qui, omni naturæ impetu, aſsiduis ieiunijs, orationibusq. ſedato, et edomitis cupiditatibus, humilitatem chriſtianarum uirtutum præcipuam amplexus maxime, omni ſanctitatis laude floruit. In Syria, ſancti Euſtachij presbyteri. Eboraci, in Anglia, ſancti Valfridi epiſcopi, et confeſſoris.*

Tertio idus Octobris. Luna. F.

28 10 20 2 12 23 5 16 26 8 18 29 11 21 3 13 24 6 17
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum martyrum, Saturnini, et Lupi. Troade in Aſia minori, ſancti Carpi epiſcopi: cuius beatus Paulus Apoſtolus aliquando meminit, et Dionyſius Areopagita item. Cordubæ in Hiſpania, ſanctorum martyrum, Fauſti, Ianuarij, et Martialis: qui, in Diocletiani perſecutione, teterrimis cruciati tormentis, demum exuſti coronantur. Eorum celeberrima eſt ubique in Hiſpanijs memoria, feſto die conſecrata. Theſſalonicæ ſancti Florentij martyris. Hic chriſtianæ religionis ſtudio exardeſcens, in falſos commentitiosq. Deos conuicia iactare, et gentilium ſuperſtitionem deteſtari ſolitus, omne tempus aut in exponenda chriſtianæ pietatis doctrina, aut in confirmandis ad martyrium chriſtianis ponebat. Cuius rei cauſa comprehenſus, ad præfectum pertrahitur: cuius iuſſu, cum in fidei confeßione conſtantius perſeueraret, uario afficitur cruciatu. Deinde in equuleum elatus, ſcalpitur: inde in ardentem rogum coniectus, orando abijt ad Dominum. Antiochiæ, ſancti Theophili epiſcopi: qui, a beato Petro Apoſtolo ſextus, Antiochenæ eccleſiæ præfuit, ſumma cum laude doctrinæ, et ſanctitatis. Chalcedone, ſanctorum martyrum, Marci, Marcelli, et Hadriani. Apud Septam, Sarracenorum urbem, ſanctorum martyrum, Danielis, Samuelis, Angeli, Donuli, Leonis, Nicolai, Hugolini, Franciſcanorum: qui, martyrij deſiderio accenſi, ad eam urbem uenerunt: ubi, cum IESV CHRISTI *fidem inuicto animi ro-* 13. I

bore, conſtantiq. pietate prædicarent, pro Dei gloria multis contumelijs affecti, uerberibus cæſi, uinculis cruciati, demum præciſis ceruicibus, coronati, ex Leonis Decimi pontificis maximi inſtitutione, anniuerſaria commemoratione celebrantur. In Auſtria, ſancti Colmanni martyris. In Anglia, ſancti Eduardi regis, miraculis, et ſanctitate clariſsimi. Turone, ſancti Venantij confeſſoris.

xii. G. Pridie idus Octobris. Luna.

29	11	21	3	13	24	6	16	27	9	19	1	12	22	4	14	25	7	18
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

14. Romæ, uia Aurelia, ſancti Calixti papæ, et martyris: qui, Macrino, et Heliogabalo, Imperatoribus, Eccleſiam gubernauit. In tanta autem rerum perturbatione, nunquam ab ſanctiſsimi pontificis officio potuit ulla oppugnationis ui dimoueri. Inſtituit quattuor anni tempora, quibus ieiunium coleretur; multa ſapienter, et utiliter decreuit: Aedificauit baſilicam ſanctæ Mariæ trans Tiberim: Cœmiteriũ uia appia extruxit. Cum multos, et in ijs Palmachium uirum conſularem, Simplicium Senatorem, et Felicem, hominem nobili loco natum, baptizaſſet: ab impijs uehementer exagitatus, tum comprehenſus, in cuſtodiam includitur; ubi quinque dies ieiunus fuit. Inde eductus, ac fuſtibus cæſus in ſummum carcerem conijcitur: inde a feneſtra præceps, in puteum deiectus, martyrio coronatur. Romæ præterea, ſanctorum martyrum, Ampodij, Modeſti, Fortunati, Luciani, et aliorum. Arimini, ſancti Gaudentij epiſcopi, et martyris. Tuderti, ſancti Fortunati epiſcopi: qui in malis fugandis ſpiritibus, immenſa uirtutis

gratia

gratia enituit. Treuiris, ſancti Ruſtici, epiſcopi, et confeſſoris. Herbipoli, ſancti Burchardi epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita in omni uirtute, et ſanctitate, miraculis declarata, eluxit. Brugis in Belgio, ſancti Donatiani epiſcopi.

Idibus Octobris. Luna. i. A.

1	12	22	4	14	25	7	17	28	10	20	2	13	23	5	15	26	8	29
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Roma, uia Aurelia, ſancti Fortunati martyris. Coloniæ ſanctorum martyrum, trecentorum: qui milites legionis thebanæ, pietatis certamine fortiter confecto, in illius urbis baſilica, admirabiliter extructa, uermiculato opere atque inaurato ornata, reconditi ſunt. Capuæ, ſanctorum martyrum, Libulij, et Fortunatæ. Edeſſæ, ſanctorum martyrum, Sarbilij, et Bebeæ ſororis; qui, Traiano Imperatore, chriſtianæ religionis accuſati, ad illius urbis præfectum in iudicium ducti, grauiter primò cruciati, demum præclara fidei confeſſione nobiles, abſciſsis ceruicibus, palmam martyrij tulerunt. Lugduni, ſancti Antiochi epiſcopi, et confeſſoris: qui, epiſcopatu ſancte, pieq. adminiſtrato, cæleſtis eſt patriæ gloriam conſecutus. Vigormiæ, ſancti Oſualdi epiſcopi, et confeſſoris. Treuiris, ſancti Seueri epiſcopi: qui beati Lupi diſcipulus, diuinis uirtutibus imbutus, ardentibus pietatis ſtudiis, exemplo, et prædicatione in populo, ſibi commiſſo, excitatis, ſancte factorum gloria clarus obijt in Domino. Argentinæ, ſanctæ Aureliæ uirginis. 15.

B. Decimo ſeptimo cal. Nouẽb. Luna.

2 13 23 5 15 26 8 18 29 11 21 3 14 24 6 16 27 9 20
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

16. *In Africa, ſanctorum martyrum, ducentorum, et ſeptuaginta: ſanctorum item, Martiani, Satiriani, et duorum fratrum, martyrum: qui, Vandalis eccleſiam Dei oppugnantibus, pro fide catholica certamine conſtanter ſuſcepto, fuſtibus primum cæſi grauiter, ut oſſa diſrumperentur; diuq. iniurioſius ita tractati, demum, Genſerici impij regis iuſſo, iunctis pedibus, per ſpineta quadrigis raptati, crudeliter necantur: unaq. cum eis Maxima uirgo. Coloniæ, ſancti Eliphij martyris: qui, ardenti fidei ſtudio incenſus, cum religionis chriſtianæ myſteria gentibus prædicaſſet, tandem, Iuliano Apoſtata Imperatore, pro* Christi *gloria capite plectitur. In Africa item, ſanctorum, Saturnini, Nerei, et trecentorum, ſexaginta quinque martyrum; in eâdem uandalica perſecutione, præclaris pietatis dimicationibus nobilium. Maguntiæ, ſancti Lulli epiſcopi, et confeſſoris. Hic, ſancti Bonifacij diſcipulus, litteris, et morum ſanctimonia imbutus, ob uirtutem primò abbas, poſt, in illius locum Archiepiſcopus Maguntiæ creatus, eccleſia ſibi commiſſa, duos et triginta annos magna cum laude adminiſtrata, ob uitam ſancte actam, in ſanctos relatus, æterna perfruitur gloria. In Germania, ſancti Galli abbatis; cuius uita, diuinarum uirtutum ſplendore eluſcens, miraculisq. nobilitata, litteris conſignata, extat. Treuiris, ſancti Florentini epiſcopi. Apud Nouiomenſes: ſancti Mommoleni epiſcopi, et confeſſoris.*

Decimo

Decimo ſexto cal. Nouemb. Luna. C.

4 15 25 7 17 28 10 20 2 13 23 5 16 26 8 18 29 11 22
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum martyrum, Victoris, Alexandri, et Mariani. Romæ præterea, beatiſsimorum martyrum, Anthimi, Leontij, et Euprepij: qui, ſanctos martyres, Coſmam, et Damianum, fratres ſecuti, Diocletiano Imperatore, uarijs pro fide cruciamentis torti, demum ſecuri feriuntur. Antiochiæ, ſancti Heronis martyris: qui beati Ignatij diſcipulus, in epiſcopatum cum ei ſuceſsiſſet, uitam magiſtri ſequutus, CHRISTI *amore accenſus, pro illius fide necatus, coronatur. Arauſicæ in Gallia, ſancti Florentij epiſcopi, et confeſſoris; multarum uirtutum laude clari. Capuæ, ſancti Victoris epiſcopi, et confeſſoris; doctrinæ, et ſanctarum uirtutum meritis ornati.* 17.

Decimo quinto cal. Nouēb. Luna. D.

4 15 25 7 17 28 10 20 2 13 23 5 16 26 8 18 29 11 22
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Lucæ Euangeliſtæ. Is ſectator beati Pauli Apoſtoli, et omnis peregrinationis eius comes, euangelium, et acta Apoſtolorum ſcripſit. Vixit octuaginta, et quattuor annos, uxorem non habens: ſepultus eſt Conſtantinopoli: ad quam urbem uigeſimo Coſtantini anno, oſſa eius cum reliquis Andreæ Apoſtoli translata ſunt de Achaia. Romæ, ſancta Triphoniæ: quæ Decij Cæſaris uxor, unà cum filia Cyrilla, a 18.

Iuſtino

Iuſtino presbytero baptizata, poſtridie illius diei, quo baptiſmum ſuſcepit, in Domino quieuit, ſepulta ad ſepulcrum ſancti Hippolyti martyris. Ambiani in Gallia, ſancti Iuſti martyris: qui, nouem annos natus, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, Rictiouaro præſide, non tyrannicis edictis deterritus, non tormentorum terroribus fractus, ſed magna animi uirtute puer, præclaraq. fidei confeſſione nobilis, datus pro Christo *ceruicibus, coronatur. Antiochiæ, ſancti Aſclepiadis epiſcopi: qui unus de ijs fuit, qui in Decij perſecutione martyrio inſigni coronati ſunt. Machliniæ, tranſlatio, ſancti Rumoldi epiſcopi, et martyris.*

xvii. E. Decimo quarto cal. Nouēb. Luna.

5 16 26 8 18 29 11 21 3 14 24 6 17 27 9 19 1 12 23

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

19. *Alexandriæ in Aegipto, ſanctorum martyrum, Ptolomæi, et Lucij. Ille, Antonino Imperatore, carceris ſitu, et ſquallore prope confectus, poſtremò cum* Christi *fidem, publice, et conſtanter confiteretur, ad mortem ductus eſt: Lucius item cum chriſtianum ſe eſſe, aſſeueranter, palamq. diceret, eodem ſupplicij genere affectus, martyrij palmam uterque tulit. In Aegipto, ſanctorum martyrum, Vari, et ſociorum ſex. Hi cruciatu uarie afflictati, demum, inuicta pietatis defenſione, quam beati Vari hortatu egregie ſuſtinebant, gladio percuſſi, coronantur. Ille uero, chriſtianæ uirtutis conſtantia, et magnitudine diuinitus roboratus, primò in ſublime elatus, acerbe, et grauiter caſus; deinde ungulis excarnificatus; poſt nouacula exenteratus, in hoc poſtremo cruciamento cum quin-*

quinque ipſas horas perſtitiſſet, tandem illuſtri pro Christo *dimicatione clarus, abijt in cælum. Antiochiæ in Syria, ſanctorum martyrum, Beronici, Pelagiæ, et quatraginta nouem: qui, Valeriano Imperatore, a pietatis religione nullis tormentorum ictibus depulſi, ſed animo ad omnia ſupplicia pro* Chriſo *perferenda confirmato, atque renouato, martyrij palmam præclaro certamine tulerunt. Apud Senones, ſanctorum martyrum, Sauiniani, Potentiani, ac ſociorum. Puteolis, ſanctorum, Proculi, et Niceæ matris, martyrum. Aureliæ, ſancti Verani epiſcopi, et confeſſoris.*

Decimo tertio cal. Nouemb. Luna. vi. F.

6 17 26 9 19 1 12 22 4 15 25 7 18 28 10 20 2 13 24
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, beatiſsimorum martyrum, Datij, Zoſini, et aliorum. Ambiani in Gallia, ſancti Maximi diaconi, *et martyris. Hic martyrij deſiderio flagrans, conquirentibus fidei hoſtibus, ſe palam oſtendit. Quamobrem comprehenſus, in quæſtionemq. datus, cum de chriſtiana religione conſtanter reſponderet, primum equuleo tortus; deinde fuſtibus cæſus; poſtremo lapidibus obrutus, ad martyrij præmium peruenit. Agennæ in Gallia, ſancti Capraſij martyris: qui in ſpeluncam cum ſe abdidiſſet, ut teterrimam Diocletiani carnificinam declinaret; audito tamen Fidei uirginis martyrio, animatus, Dei admonitu, ad certamen properauit; fortiterq. dimicando, martyrij palmam promeruit. Coloniæ, ſanctarum uirginum, Marthæ, et Saulæ, compluriumq. martyrum. Antiochiæ, ſancti Arthemij martyris. Is, in patriciorum numerum a Conſtan* 20.

tino Magno adſcriptus, Alexandriæq. in Aegipto præfectus, cognita Iuliani Apoſtatæ crudelitate, qua contra chriſtianos Antiochiæ utebatur, illum adijt, grauiterq. eius impietatem coarguit. itaque captus, neruis bubulis cæditur: deinde lateribus, geniſq. lancinatis, medio ſaxo, a lapicida diſſecto, includitur: tum coagmentatis iterum partibus, arctiſſime compreſſus, exilientibus oculis, diffuſisq. inteſtinis, pertulit ardenti animo, diuinitus confirmato, omnem cruciatum: Denium cum a CHRISTI religione nullis uel exquiſitis ſupplicijs amoueri poſſet, tyranni iuſſu, gladio contrucidatus, pro nobili certamine coronatur. Sanctorum item martyrum, Georgij, et Aurelij. In Pago Rheimenſi, ſancti Sindulphi confeſſoris: cuius uita, diuine acta, multis comprobata eſt miraculis.

G. Duodecimo cal. Nouemb. Luna.

7 18 28 10 20 2 13 23 5 16 26 8 19 29 11 2 13 14 25

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

21. Romæ, ſancti Aſterij martyris: qui a beato Calixto pontifice presbyter factus, ſuæ pietatis teſtimonium tum præclaris uitæ exemplis, dedit: tum maxime nece comprobauit: qui quoniam eum pontificem ſepelierat, in fideiq. confeſſione conſtans perpetuo perſtiterat, in tyberim, Alexandri Imperatoris iuſſu, præceps deiectus eſt. Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Datij, Caij, et Zotici. Ii, cum idolorum feſtus dies maximo concurſu ageretur, chriſtianæ religionis ſtudio incenſi, idola euertunt; quamobrem cathenis uincti, ad iudicem rapiuntur: qui, quæcunque excogitari potuerunt, tormenta experti ſunt; uerbera, plagas, equuleum, laterum excarnificatio-

nem, membrorum diſtorſionem, et alia cruciamenta. Quæ omnia cum non ſolum negligerent, ſed idolorum ſuperſtitionem uehementius accuſarent; magnaq; uoce, CHRISTUM Deum prædicarent; ſaxis de collo appenſis, eos, in gurgitem coniectos, ſagittis confici iuſsit. Coloniæ, ſanctarum undecim millium uirginum: quæ, pro CHRISTI religione, et uirginitate tuenda, ab Hunnis necatæ; quarum principem locum Vrſula tenuit, ad duplicatæ coronæ præmium abierunt in cœlum. In Aegipto, ſancti Hilarionis abbatis. Hic ex parentibus infidelibus ortus, Alexandriæ IESU CHRISTI fide ſuſcepta, in religione, et charitate mirabiliter profecit. frequens erat in eccleſia, aſsiduus in ieiunio, et oratione: omnes uoluptatum illecebras, et terrenarum rerum cupiditates contempſit; in diuinarum litterarum mediatione multus erat: tum abſtinentia, et humilitate fuit admiranda. Octogeſimum annum agens, clarus ſanctitate, et miraculis, migrauit ad Dominum. Burdegalliæ, ſancti Seuerini epiſcopi: cuius uitam, euangelicæ inſtitutionis præceptis conformatam, Fortunatus preſbyter litterarum monimentis tradidit. Lugduni, ſancti Viatoris: quo miniſtro ſanctus Iuſtus, illius ciuitatis epiſcopus, in heremo uſus eſt. Meldis, ſanctæ Celiniæ uirginis.

Vndecimo cal. Nouemb. Luna. xiiii. A.

8 19 29 11 21 3 14 24 6 17 27 9 20 1 12 23 4 15 26
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Hieroſolymæ, ſancti Marci epiſcopi: qui uitæ ſanctitate, et doctrina clariſsimus, eccleſiæ Hieroſolymitanæ adminiſtrationem primus e gentibus ſuſcepit: paulòq. poſt martyrio 22.

coronatus eſt. Hieroſolymæ item, ſanctæ Mariæ Salomæ: quæ in Domini ſepultura, ſollicita fuiſſe, euangelicis litteris traditur. Hadrianopoli in Thracia, ſanctorum martyrum, Philippi epiſcopi, Euſebij, et Hermetis: qui, ingraueſcente Iuliani Apoſtatæ perſecutione, multis uarijsq. affecti tormentis, demum in ignem coniecti, Dei uirtute muniti, in fide conſtantes, forti animo martyrium pertulerunt. In Græcia, beatorum martyrum, Alexandri, Heraclij, Annæ, Theodotæ, et Gliceriæ. Alexander enim epiſcopus, cum multos, et ex Iudæis, et ex gentibus, ad CHRISTI *fidem prædicatione ſua perductos, baptizaret; a regionis præfecto comprehenſus, diu torquetur, et depectitur. qua cruciamentorum acerbitate a chriſtianæ religionis cultu cum deterreri nullo modo potuiſſet; illius conſtantiam admiratus Heraclius miles, in* CHRISTVM *credidit: quamobrem multis ipſe etiam affectus ſupplicijs, capite plectitur. Alexander uero, multis editis miraculis, tres quoque mulieres chriſtianæ religioni adiunxit, Annam, Theodotam, et Gliceriam: quæ cum in præfecti conſpectum ſe dediſſent; eum impietatis grauiter accuſarunt; deinde falſorum deorum ſuperſtitionem libera uoce inſectatæ, tyranni decreto peſſime fuſtibus mulctatæ, capitis damnantur. beato itidem Alexandro ceruices præciduntur. In Hiſpania, ſanctarum uirginum, et martyrum, Nunilonis, et Alodiæ, ſororum: quæ e patre impio, et matre chriſtiana progenitæ, illo mortuo, a matertera religioſe educatæ, miros in chriſtianæ uitæ progreſſus cum habuiſſent, peruulgata in omnes partes earum ſanctitatis fama, apud præfectum, chriſtiani nominis aduerſarium, accuſatæ, nullis præmijs, nec pollicitationibus a propoſito dimouentur: immo uero* CHRISTVM *Deum ſumma conſtantia con-*

fitendo,

ſitendo, hoſtemq. fidei deteſtando, omni ſuperata cruciamentorum acerbitate, gladio demum percuſſæ, coronantur. Coloniæ, ſanctæ Cordulæ uirginis, et martyris: quæ una ex magna illa beatæ Vrſulæ cohorte, aliarum ſupplicijs, et cæde perterrita, in naui ſe ſe occultauit: cuius rei pœnitens, poſtridie mane ſe ultro patefecit: ſicq. ipſa unà cum reliquis martyrij coronam accepit. Veronæ, ſancti Verecundi epiſcopi; epiſcopalis muneris, religioſe adminiſtrati, ſanctarumq. uirtutum laude clari.

Decimo calen. Nouemb. Luna. iii. B.

9	10	1	12	22	4	15	25	7	18	28	10	21	2	13	23	5	19	27
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

In Hiſpania, Cordubæ ſanctorum martyrum, Seruandi, et Germani. Ii uerberibus, uinculis, carceris ſquallore iniurioſe tractati, fame, et ſiti pœnè enecti, poſtremo abſciſſis ceruicibus, martyrio inſigniter coronantur. Ancyræ in Galatia, ſanctorum martyrum, Theodotæ, et Socratis presbyteri. Fuit, Theodota, mulier Pontica: quæ præ ſtudio religionis in monaſterium ſe abdidit. Itaque ad præfectum, Alexandro Imperatore, delata, et in equuleum ſemel atque iterum ſublata, ſcalpitur: deinde in ardentiſſimum rogum coniecta, ſed CHRISTI *beneficio erepta, mittitur Bizantium, deinde Ancyram: ubi cum græci publice feſtum dæmonibus diem celebrarent, ſimulacraq. colerent; Socrates presbyter, religionis chriſtianæ ardore accenſus, euertit idolorum altare. quamobrem neci obiectus, coronatur. Theodota autem iuſſa dijs immolare, cum imperata facere recuſaſſet, in ſartaginem feruentiſſimi olei plenam inijcitur.* 23.

inijcitur: at cum inde incolumis diuinitus euaſiſſet, gladio percuſſa, martyrij palmam adit. Antiochiæ in Syria: ſancti Theodori presbyteri: qui, Iuliano Imperatore, primum equuleo tortus, ac alijs præterea grauiſſimis ſupplicijs cruciatus, tum laminis candentibus ſemiuſtulatus, cum a CHRISTI *confeſſione abduci nullis cruciamentis poſſet, demum ſecuri percuſſus, martyrij curſum confecit. Coloniæ, ſancti Seuerini epiſcopi, et confeſſoris. Hic maximis laboribus, et ſumma fidei catholicæ doctrina multas Germaniæ urbes, Coloniamq. in primis ab Arianæ hæreſis labe defendit. Rhothomagi, ſan-*

B. *cti Romani epiſcopi, et confeſſoris: cuius ſanctitas, et in uita, et poſt obitum in miraculorum uirtute eluxit. In diœceſi Ambianenſi, ſancti Domitij presbyteri, et confeſſoris. Mantuæ, ſancti Ioannis Boni confeſſoris, uitæ ſanctitatis, et miraculorum gloria illuſtris.*

C. Nono calendas Nouembris. Luna.

10 21 2 13 23 5 16 26 8 19 29 11 22 3 14 24 6 17 28

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

24. *Venuſiæ in Apulia, beatiſſimorum martyrum, Felicis epiſcopi, Adaucti, et Ianuarij, presbyterorum, Fortunati, et Septimij, lectorum: qui, Diocletiano Imperatore, diu carcere, et uinculis afflictati, tandem partim in Africa, partim in Sicilia gladio cæſi, martyrij certamen conſtanti pietatis teſtificatione expleuerunt. Felix autem, perpetuo uirginitatem colens, egregijs in omni cruciatus teſtimonijs fidei datis, quinquageſimum et ſextum annum agens, abijt ad Dominum. Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Seueri, et Dorothei:*

Tiburi, ſancti Maiorij martyris. Hic Hunnerico Vandalorum rege, uerberibus pene confectus, demum gladio pro CHRISTI *gloria percuſſus, coronatur. In Britannia minori, ſancti Maglorij epiſcopi, et confeſſoris: qui, nobili genere natus, litteris et religione ab ineunte ætate egregie inſtitutus; eccleſiæ Dolenſis epiſcopus factus, præclaris exemplis, pijs doctrinæ inſtitutionibus, et uirtutibus præluxit. Diuino autem monitu cum epiſcopale onus depoſuiſſet; monachalem uitam complexus, ieiunijs deditus; quarta, et ſexta feria nihil prorſus cibi capiebat; alijs diebus pane ueſcebatur hordeaceo, uilioreq. legumine, ac parce admodum: in oratione autem pernoctabat: uirginitatis uero cultor egregius, perpetuo cilicij uſu corporis ſenſum titillantem, repreſſit: peruagata cæleſtis uitæ ſuæ fama, cum magnus fieret concurſus, uarie morbis affectos, mirabiliter diuineq. ſanauit: et mortuum ad uitam reuocauit. Quibus miraculis, et uitæ ſanctiſſimæ laude clarus, quieuit in Domino. Coloniæ, ſancti Euergiſti epiſcopi, et martyris. In Vertano monaſterio, ſancti Martini abbatis, et confeſſoris. Hoc ipſo die, ſancti Vitalis etiam confeſſoris.*

Octauo calendas Nouembris. Luna. xi. D.

11 22 3 14 24 6 17 27 9 20 1 12 23 4 15 25 7 18 29
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctorum martyrum, Chryſanthi, et Dariæ. Hi coniuges, nobili genere nati, fide etiam clariores, Romæ innumerabilium hominum multitudinem, hic uirorum, illa mulierum, ad chriſtianam religionem a falſo cultu conuerterunt. Quare Celerini præfecti iuſſu comprehenſi, multiplici crucia- 25.

mentorum genere affecti, tandem uia ſalaria lapidibus obruti, parem martyrij coronam adepti ſunt. Romæ item, ſanctorum martyrum, Quatraginta ſex: qui ſimul ab ſancto Dionyſio pontifice baptizati, mox, Claudij Cæſaris iuſſo, capite plectuntur, uia ſalaria ſepulti. Romæ præterea, uia ſalaria, ſancti Bonifacij papæ; qui, eccleſia Dei tribus annis adminiſtrata, ſancte factorum laude inſignis, obdormiuit in Domino. Petragoricæ, ſancti Frontonis: qui presbyter ab ſancto Petro inſtitutus, ad eam urbem profectus, magnam hominum multitudinem ab idolorum ſuperſtitione, ad chriſtianam religionem perduxit: miraculisq. clarus, et meritis cumulatus, abijt ad Dominum. Florentiæ, ſancti Miniati, Decio Imperatore, egregia pro fide concertatione nobilis, martyrio coronati. Sueſſione in Gallia, ſanctorum martyrum, Criſpini, et Criſpiniani. Hi in Diocletiani perſecutione, primo uarijs torti cruciatibus pro gloria C HRISTI, *demum forti, atque adeo gaudenti animo ceruices dederunt. In Græcia, ſanctorum martyrum, Marciani, et Martyrij: qui, catholicæ fidei propugnatores, a Philippo prætore, Ariano, diu excruciati, in tenebricoſum includuntur carcerem, ut fame, et tenebris conficiantur. Inde eductos, ſpe, et pretio, et promiſſis ille adortus, poſtquam omnia conſtantis uirtutis præſidio ſepta eſſe expertus eſt, ad parietis crepidinem adductos, gladio iugulari iuſſit. Gaualis, ſancti Hilarij epiſcopi, et confeſſoris. Rhemis, ſancti Celſini presbyteri, et confeſſoris.*

Septimo

Septimo calendas Nouembris. Luna. xix. E.

12	23	4	15	25	7	18	28	10	21	2	13	24	5	16	26	8	19	1
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſancti Euariſti pontificis, et martyris: qui, Domitiano, Nerua, et Traiano, Imperatoribus, pontificatum geſſit. Eccleſiarum titulos urbis Romæ presbyteris diuiſit: ſeptemq. diaconos inſtituit, qui epiſcopum prædicantem, diligenter cuſtodirent. Matrimonium publice celebrari, ſacerdotisq. benedictionem adhiberi ſanciuit. Plebis, uulgariumq. hominum in epiſcopum accuſationem recipi uetuit: alia præterea ſalutariter decreuit. Cum autem cuncta ſancte, pieq. adminiſtraſſet; et eccleſiam pietatis ac uirtutum exemplis auxiſſet; martyrio coronatus, prope ſepulcrum Principis Apoſtolorum, in uaticano ſepultus eſt. In Africa, ſanctorum martyrum, Rogatiani presbyteri, et Feliciſſimi: qui, Decio, et Valeriano Imperatoribus, in confeſſione cæleſtis gloriæ fortes, et ſtabiles, ingreſſiq. uiam Dominicæ dignationis, religioſa uirtute ad martyrij coronam peruenerunt. In Africa item, beatorum martyrum, Luciani, et Martiani: qui, in ipſo etiam Decianæ perſecutionis impetu, pro fide dimicando, inuictæ pietatis defenſione coronantur. In Græcia, ſanctorum martyrum, Marci, Soterici, et Valentini. Hi admirabili quodam ad pietatem omnem ſtudio incitati, CHRISTVM palàm profitebantur: hominesq. a fide alienos, chriſtianæ religioni adiungere omni officio ſtudebant. itaque comprehenſos impij Græci, uarieq. excruciatos, immanibus clauis confoderunt: deinde humi ſtratos, hac, atque illac, miſerabilem in modum 26.

raptantes, certatim uiri, mulieres, et pueri indigniſſime proculcarunt, quoad animam Deo fortiſſimi martyres reddiderunt. Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Luciani, Marciani, Floriani, Heraclij, Flori, et Vrſæ uirginis. Narbonæ, ſancti Ruſtici epiſcopi. In India, ſancti Frumentij epiſcopi, ab ſancto Athanaſio ad religionem eruditi: qui regis Indorum ſtudio munitus, Dei in ea prouincia cultum propagauit. Papiæ, ſancti Fulchi epiſcopi, et confeſſoris. Traiecti, ſancti Amandi epiſcopi, et confeſſoris; cuius uita, et mors, multis miraculis clara fuit.

F. Sexto calendas Nouembris. Luna.

13 24 5 16 26 8 19 29 11 22 3 14 25 6 17 27 9 20 2

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

27. *Vigilia ſanctorum Apoſtolorum, Simonis, et Iudæ. Abulæ in Hiſpania, ſanctorum martyrum, Vincentij, Sabini, et Chriſtetæ: qui uſque adeo crudeliter equuleo torti ſunt, ut membrorum commiſſuræ disiungerentur; deinde eorum capita, ſaxis ſubiecta, ita uectibus contuſa ſunt, ut martyrij curſum conſtantia admiranda, Diocletiano Imperatore, confecerint. In Cappadocia, ſanctarum martyrum, Capetolinæ, et Eretoidæ. hæc ſerua, illa domina, Diocletiano Imperatore,* CHRISTI *fidem libere, conſtanterq. confeſſa, neque ullo cruciamento a religionis chriſtianæ propoſito depulſa, tandem profuſo ſanguine, utraque coronatur. In Opido Tyle, ſancti Florentij martyris. In Britannia, ſancti Iuouis confeſſoris. Hoc ipſo die, Inuentio ſancti Vincentij leuitæ, et martyris.*

Quinto

Quinto calendas Nouembris. Luna. viii.G.

14	25	6	17	27	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	28	10	21	3
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Sanctorum Simonis, et Iudæ, Apoſtolorum. Simon Chananæus, Zelotes, et Iudas, qui, Thadeus etiam uocatur; hic Meſopotamiam, ille Aegyptum euangelica peregrinatione peragrauit. Poſtea in Perſidem ambo conuenientes, cum innumerabiles homines euangelio genuiſſent; doctrina, et miraculis, ac denique glorioſo martyrio, ſimul ſanctiſsimum IESV CHRISTI *nomen illuſtrarunt. Romæ, ſanctæ Anaſtaſiæ uirginis, et martyris: quæ inauditis excruciata ſupplicijs, germanam ueræ erga Deum pietatis religionem omni cruciamentorum genere teſtificata, demum abſciſsis ceruicibus, pro nobili certamine coronatur. Nouocomi, ſancti Fidelis martyris. Hic, a beato Materno, Mediolani epiſcopo in fidei myſterijs inſtructus, ut Maximiani Imperatoris crudelitatem, quam contra Chriſtianos grauiſsimam ille exercebat, declinaret, Nouocomum uenit: ubi ab illius ſatellitibus comprehenſus, cum immolare idolis noluiſſet, ſecuri percuſſus, perpetua fidei confeſsione coronatur. In Phrygia ſanctorum martyrum, Tharſi, Polycarpi, Caij, Eumenij, Ianuarij, Tarrei, et Florentij. In Græcia, beatorum martyrum, Africani, Terentij, Pompeij, Maximi, et aliorum triginta ſex: qui, in perſecutione Deciana, Fortunati præſidis iuſſu; exquiſitis affecti ſupplicijs, ſecuri denique feriuntur, magna chriſtianæ pietatis teſtificatione. Hoc ipſo die, ſancti Ferrutij martyris. Rauennæ, ſancti Probi epiſcopi, et confeſſoris: qui mirabilium rerum ſplen-* 28.

dore clariſsimus, morbos difficiles, quiq. curari non poterant, prepellebat ingenti miraculo. Cum ad extremum perueniſſet, Angelorum agmina uidiſſe teſtantur, illisq. comitem in cælum euolaſſe. Vercellis, ſancti Honorati epiſcopi, et confeſſoris. Hic ſanctiſsimi martyris Euſebij ab ineunte ætate diſcipulus, uirtutum imitator, ac laborum ſocius, fidei uinculo cum eodem coniunctiſsimus, in Ariana perſecutione, non minas, non carcerem, non exilium extimuit: quæ omnia pertulit admiranda religioſi animi uirtute. Meldis, ſancti Pharonis epiſcopi, et confeſſoris; qui illuſtri genere ortus, ſancti Chilini, et ſanctæ Pharæ frater, ſex, et ſexaginta annis eccleſiæ Meldenſi præfuit magna cum laude ſanctitatis ſuæ.

A. Quarto calendas Nouembris. Luna.

15 26 7 18 28 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 29 11 22 4

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

29. *In Lucania prouincia, ſanctorum martyrum, Hiacynthi, Quinti, Felicianæ, et Lucinij. In urbe Sidone, ſancti Zenobij presbyteri, in Diocletiani perſecutione, martyrio coronati. Mopſiſtiæ, ſanctorum martyrum, Claudij, Aſterij, et Neonis. Hi germani fratres, Diocletiano Imperatore, a nouerca apud Lyſiam, Ciliciæ præfectum, chriſtianæ religionis accuſati, comprehenduntur. itaque interrogati, ſe* CHRISTVM *colere, libere conſtanterq. reſponderunt: quare in theatrum producti, nudatiq. tum in equuleum acti, fuſtibus primo cæduntur: poſt ungulis ferreis acerbiſſime dilaniantur, tum multis alijs affecti cruciatibus, una conſtricti cathena, extra urbem trahuntur: ubi lignis in altum erectis demum*

affixi

affixi, martyrij curſum cæleſti conſtantia confecerunt. Hieroſolymæ, ſancti Narciſi epiſcopi, fide, patientia, ſanctitate, ac rerum mirifice, diuineq. geſtarum, gloria clariſſimi. Bergomi, ſanctæ Euſebiæ uirginis, et martyris. Auguſtoduni, ſancti Ioannis epiſcopi, et confeſſoris. In Diœceſi Vienneſi, ſancti Theodori confeſſoris. Mediolani, ſancti Quintini confeſſoris.

Tertio calen. Nouembris. Luna. xvi. B.

16 27 8 19 29 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 5

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

In Africa, ſanctorum martyrum, Ducentorum, et uiginti. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Epimachi martyris: qui cum illius urbis præfectum aliquando ui diſſet, ui tormentorum ſanctos ad idolorum ſacrificia compellere, religionis chriſtianæ ſtudio exardeſcens, impetu facto, propoſitum falſorum deorum altare ſubuertit. quamobrem captus, in cuſtodiam traditur: ſed nec in uinculis finem faciebat, eos, qui ſimul incluſi erant, cohortandi ad ſubeundum fortiter pro CHRISTI nomine martyrium. Educti igitur ſancti e carcere, cum multò etiam liberius, quàm conſueuerant, præfectum accuſarent; admiratus ille, unde tantos ſibi animos ſumpſiſſent, cognouit huius rei auctorem Epimachum fuiſſe: quem propterea in ſublime arreptum, ungulis ferreis primum excarnificari; deinde gladio feriri iuſſit. Alexandriæ item, ſanctæ Eutropiæ martyris. Hæc, cum magnus martyrum numerus in cuſtodia eſſet, nunc ipſa præſens, nunc per alios, neceſſarium illius uictum ſuppeditabat. Ad Apallianum igitur præſidem perdu- 30.

cta

cta, illius iuſſo in carcerem truditur: unde poſt aliquanto educta, tribunali ſiſtitur; chriſtianamq. ſe eſſe profeſſa, in equuleum agitur, et facibus ardentibus exuritur. Quo in cruciatu, dum precabatur, animam Deo reddidit. In urbe Tingitana, ſancti Marcelli centurionis: qui, multis exantlatis pugnæ, pro fide ſuſceptæ, laboribus, demum, capite præciſo, martyrium expleuit. Pariſijs, ſancti Lucani martyris. Calari in Sardinia, ſancti Saturnini martyris: cuius, in Diocletiani perſecutione, concertatio in fide tuenda illuſtris extitit. Altini, ſancti Theoneſti epiſcopi, et martyris. Hic, tumultuantibus Arianis, catholicæ fidei propugnator egregius, exilio ab illis mulctatus, ad Damaſum pontificem Romam confugit: inde Mediolanum permittente pontifice profectus, ad Ambroſium epiſcopum diuertit: Arianosq. multos ab impietatis opinione diſputationibus ſuis reuocauit. poſt, Gallia, et Germania peragrata, multiſq. populis ab eo CHRISTI *fide, et uera pietate informatis; demum ad urbem Altinum uenit: ubi, dum rite populum inſtituit, magna hominum, a fide abhorrentium, ui concitata, martyrio coronatur. Papiæ, ſancti Criſpini epiſcopi, et confeſſoris: cuius res ſancte actæ leguntur. Capuæ, ſancti Germani epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita omni rerum pie, diuine, mirificeq. actarum claritate enituit. Terracinæ, ſancti Leontij confeſſoris. Antiſiodori, ſancti Fraterni epiſcopi, eo die martyrio a barbaris coronati, quo epiſcopus conſecratus eſt.*

Pridie

Pridie calen. Nouembris. Luna. v. C.

17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 6
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Vigilia omnium Sanctorum. *Romæ, uia Appia, ſancti Nemeſii martyris, et Lucillæ filiæ: qui a ſancto Stephano Pontifice baptiZati, a fide* CHRISTI, *cum depelli nullis tormentorum machinis poſſent, uia Appia ad templum martis, Valeriani, et Gallieni, Imperatorum iuſſu, ſecuri percuſſi ſunt. Sed hoc ipſo die, quo a Xyſto pontifice eorum corpora honeſtiori loco ſepulta ſunt, illorum memoria celebratur. In Græcia, ſancti Zenobij epiſcopi, et martyris. Is, Diocletiano Imperatore, chriſtianis ortus parentibus, cum ætate ſimul, et in Dei pietate progrederetur, Aegeæ epiſcopus factus, Lyſiæ præſidi ſiſtitur: cuius iuſſu primum cæſus, et lecto ferreo candenti impoſitus, deinde in feruentem cacabum, pice plenum, iniectus, ab omni ſupplicio incolumis diuinitus euaſit. Præſes autem, qua erat uecordia, iterum cogit impuris dijs ſacra illum facere: quem e piæ mentis gradu cum dimouere non poſſet, capite mulctauit. In Græcia item, ſanctorum, Stachis, Amplij, Vrbani, et ſociorum. Stachys enim, ab Apoſtolo Andrea epiſcopus BiZantij creatus, cum eccleſiam Arginopoli ædificaſſet, in qua chriſtianorum duo millia docebat, præfuiſſetq. annis quindecim, quieuit in Domino. Amplius autem, Vlixipolis in Macedonia epiſcopus, pro fide ab impijs necatus eſt. Porrò Vrbanus, et ipſe una cum multis ſocijs, pro* CHRISTI *nomine contrucidatus, martyrio coronatur. Viromandi, in Gallia, ſancti Quintini martyris. Hic, Maximiano Imperatore,* 31.

ratore, martyrium pertulit: cuius corpus quinquaginta poſt annis, Dei admonitu inuentum eſt. Romæ, ſancti Natalis confeſſoris, Zepherino pontifice. Mediolani, ſancti Antonini epiſcopi, et confeſſoris. Veronæ, ſancti Lucilli epiſcopi, uiri in omni uita admirabilis, epiſcopaliumq. uirtutum laude inſignis. Ratiſponæ, ſancti Volphangi epiſcopi, et confeſſoris. Foſſis, in diœceſi Leodienſi, ſancti Foillani epiſcopi, et martyris.

NOVEMBER.

D. # Calendis Nouembris. Luna.

18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 7
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Die 1. *OMNIVM Sanctorum. Hæc Dei genitricis Mariæ, et omnium ſanctorum martyrum celebritas, à Bonifacio, ſummo Pontifice, ita inſtituta eſt, ut quotannis Romæ ageretur: ſed Gregorius Quartus, Ludouici regis rogatu, ad honorem omnium ſanctorum, in uniuerſa eccleſia, eam perpetuo coli ſtatuit. Nicomediæ, ſanctæ Mariæ martyris: quæ equuleo torta, unguibus ferreis dilaniata, martyrii poculum hauſit. Terracinæ in Campania, ſanctorum martyrum, Iuliani presbyteri, et Cæſarii Diaconi. Hic multos dies, Claudio Cæſare, in carcere cruciatus, demum unà cum Iuliano in ſaccum coniectus, in mare deiicitur. In Gallia, ſancti Benigni presbyteri: qui ad eam prouinciam prædicationis cauſa àb ſancto Polycarpo miſſus, Terentij Præſidis iuſſu comprehenſus, primò teterrimis*

17 Martij

mis affectus cruciamentis, denique corpore haſta tranſuerberato, capite uectibus ferreis contuſo, et confracto, ſumma fidei conſtantia, ad martyrij gloriam peruenit. In Perſia, ſanctorum martyrum, Ioannis epiſcopi, et Ioannis presbyteri: qui, Saporio Perſarum rege, cum non paucos ab impura ſuperſtitione ad ſacroſanctam CHRISTI *religionem perduxiſſent, eam ob cauſam comprehenduntur: tum uario præterea afflictati cruciatu, gladio deinde tranſuerberati, ad martyrij palmam commigrarunt in cælum. Tharſis, ſanctarum martyrum, Cyrienæ, et Iulianæ. A Ciliciæ præfecto in turbolenta Maximiani perſecutione, capta Cyriena, ad id compellitur, ut,* CHRISTI *religione repudiata, idolorum cultui adhæreſceret. A quo nefario ſcelere abhorrens, tonſo capite, et ſupercilio abraſo, aſino imponitur: ab otioſis pueris cæditur ferulis: et a mimis, petulantibusq. militibus per urbem nudata traducitur: cum autem oraſſet, ut ne nuda conſpiceretur, diuinitus obtecta eſt. Demum cum Iuliana, pia ſanctaq. muliere, in fornacem coniecta, gaudenti animo utraque martyrij curſum confecit. Auernis, ſancti Auſtremonij epiſcopi, et martyris. Pariſijs, ſancti Marcelli confeſſoris: cuius uitam uirtutibus, et miraculis illuſtrem, Fortunatus epiſcopus præclare conſcripſit. Tiburi, ſancti Seuerini monachi, et confeſſoris. Mediolani, ſancti Magni epiſcopi, et confeſſoris: qui epiſcopali munere perfunctus religioſe, miraculorum laude clarus, obijt in Domino, ſepultus in baſilica ſancti Euſtorgij. Alexandriæ, ſancti Primi epiſcopi: qui ab Apoſtolis, ſucceſſione quartus, miniſterium illius eccleſiæ capeſcens, cum duodecim annos ei præfuiſſet, quieuit in Domino. Romæ, ſancti Maturini presbyteri: cuius corpus inde ad Senonas translatum, miraculo-*

rum uirtute ſplendeſcens, pia ueneratione colitur. In Hiſpania, ſancti Ermegaudi epiſcopi, et confeſſoris. Pictauis, Tranſlatio, ſancti Hilarij epiſcopi, et confeſſoris. Hoc ipſo die, ſancti Vigorij epiſcopi Baiocenſis.

xiii. E. Quarto nonas Nouembris. Luna.

19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 8
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

2. *Commemoratio omnium fidelium defunctorum. Tergeſti, ſancti Iuſti martyris: qui, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, Manatij præfecti iuſſu, horribili uerberum cruciatu affectus, demum, cum in fidei propoſito perſiſteret, in mare mergitur. Pictauis, ſancti Victorini epiſcopi: qui, in doctrina inſtructus, cæleſtibusq. uirtutibus ornatus, in ipſa Diocletiniana perſecutione non modo conſtanter, ſed etiam cum ſummo gaudio mortem pro* CHRISTI *nomine ſuſcepit. Sebaſtæ, ſanctorum martyrum, Carterij, Stiriacij, Tobiæ, et Nicopolitani: qui ſtipendia cum ſub Licinio, chriſtiani nominis hoſte, mererent, id conſilij ceperunt, ut per omnem militiam in fide* CHRISTI *manerent. itaque Marcelli ducis iuſſu, fuſtibus mulctati, in carcerem contruduntur. Inde poſt educti, crudis neruis uerberati, tum baculis confracti, alijsq. affecti ſupplicijs, demum in flammam coniecti, generoſi, et inſignes Dei athletæ, coronantur. In Perſia, beatiſſimorum martyrum, Acindymi, Pegaſij, Aphthonij, Elpidephori, Anempodoſis, et ſociorum quàm plurimorum. Hi ſeparatim in cellula uitam agendo, cum ad ueram pietatem homines inſtituerent, à Perſarum Rege comprehenſi, ſcipionibus primum*

uer-

uerberati, poſt in lebetes, plumbo feruenti plenos, iniecti, inde incolumes diuina ope mirabiliter euaſerunt. Qua perſpecta re Aphthomius miles, uehementer commotus, CHRISTI *fide ſuſcepta, ſanguinem pro eo; abſciſſis ceruicibus, libenter profudit. Illi uerò, culeis inſuti, in mare proiecti ſunt. Militibus autem, qui in mare præcipites martyres dederant, chriſtianam religionem amplexis, manus præcidi rex iuſſit. Elpidephorus, tot mirifice factis impulſus, ſenatorij ordinis uir, regem accuſauit; et cum eo chriſtianæ fidei ſe adiunxerunt ſepties mille homines: qui omnes propterea capite damnati, necem libenter pro* CHRISTO *obierunt. In Africa, ſanctorum martyrum, Publij, Victoris, Papiæ; et Hermetis. Laodiceæ, ſancti Theodoti epiſcopi, re ipſa, et proprio nomine, a Deo dati: qui illius eccleſiæ epiſcopus factus, ſe uere epiſcopum oſtendit: charitatis enim, morum probitatis, clementiæ, commiſerationis, et ſtudij cauſa; quod illis præſtitit, qui opem ab eo poſcebant, facile omnes ſuperauit. In ſacris denique diſciplinis multus erat ei uſus, et crebra in omni pietate exercitatio. Agauni, ſancti Ambroſij abbatis, uitæ innocenter, diuineq; actæ, laude clari. Viennæ, ſancti Georgij epiſcopi, et confeſſoris.*

Tertio nonas Nouembris. Luna. iii F.

20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 9
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Quarti: qui fuit unus e ſeptuaginta diſcipulis, Berythi epiſcopus, inde in Hiſpaniam profectus, chriſtianæ religionis diſciplinam, poſt Iacobum Apoſtolum, hiſpanis tradidit. 3.

didit. Cæſareæ in Cappadocia, ſanctorum martyrum, Germani, Theophili, Cæſarij, et Vitalis: qui in perſecutione Deciana, nullis crudelitatis ſupplicijs, pro C*HRITO* *recuſatis, ad necem denique abducti, inuicta pietatis defenſione, martyrij palmam tulerunt. Cæſaraugustæ, ſanctorum innumerabilium martyrum: qui pro* C*HRISTI* *laude dimicantes, confutata Daciani præſidis petulantia, primum contrucidati, deinde combuſti ſunt. In Perſia ſanctorum martyrum, Acepſimæ epiſcopi, Ioſephi presbyteri, et Aithalæ diaconi: qui, Saporio* REGE*, pro* C*HRISTI* *gloria uarie, horribilemq. in modum excruciati, cum in eadem mentis conſtantia permanerent, demum nece obita, diuinæ pietatis uim, ac uirtutem declararunt. Viterbij, beatorum martyrum, Valentini presbyteri, et Hilarij diaconi: qui in tyberim præcipites dati, inde diuinitus erepti, demum, præciſis ceruicibus, ad martyrij coronam perueniunt. In Britannia, ſanctæ Venefridæ uirginis, et martyris. Leodij, ſancti Huberti epiſcopi, et confeſſoris: qui multis excultus uirtutibus, ac ſanctitatis, multis miraculis declaratæ, gloria inſignis, obijt in Domino. In Hibernia, ſancti Malachiæ epiſcopi. Viennæ, ſancti Domni epiſcopi, et confeſſoris.*

G. Pridie nonas Nouembris. Luna.

21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 26 10
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

4. *S anctorum, Vitalis, et Agricolæ, martyrum: qui in perſecutione Diocletiani, et Maximiani, Bononiæ ob* I*ESV* C*HRISTI* *prædicationem comprehenſi ſunt. Vitalis, omni*

tormen-

tormentorum genere cruciatus, conſtanter omnia perferens, in oratione ſpiritum Deo reddidit. Agricola uero, illius exemplo uehementius confirmatus, cum a IESV CHRISTI *fide dimoueri nullo modo poſſet, cruci ſuffixus, illius fuit ſeruus, et nobilis martyrij particeps, ac ſocius. Puteolis, ſancti Patrobæ epiſcopi: qui unus e ſeptuaginta diſcipulis, illius urbis epiſcopus factus, cum in ſua populi gubernatione, multas moleſtias, et incommoda a gentibus, fidei aduerſarijs, pertuliſſet; prædicationeq. euangelij plurimos ad religionem chriſtianam perduxiſſet; meritorum laude clarus, ad præmium migrauit in cælum. Philippopoli, ſancti Hermæ epiſcopi; Epheſi, ſancti Caij epiſcopi; ſancti item Philologi epiſcopi: qui tres etiam, diſcipulorum ſeptuaginta numero aſcripti, in ſua quique adminiſtratione, epiſcopali munere ſollicite perfuncti, in Domino obdormierunt. In Africa, ſanctorum martyrum, Primi, Cæſarij, Gregorij, Porphyrij, Amantis, Saturnini, et Victorinæ. Alexandriæ, ſancti Pierij presbyteri: qui in diuinis litteris, ſanequam eruditus, ſingulari uitæ innocentia, et ſanctitate inſignis, migrauit ad Dominum. Auguſtoduni, ſancti Proculi martyris. Apud Rhedones in Gallia, ſancti Amantij epiſcopi, et confeſſoris. Albæ in Vngaria, ſancti Emerici confeſſoris: qui e parentibus regibus natus, ab incunte ætate,* CHRISTI *Domini charitate ardenti incenſus, a ſecunda uigilia noctis, uſque ad lucem totus erat in meditatione pſalmorum, in ſanctisq. precibus. Vt uero ætate procedebat, ſic mirifice ad pietatis, et religionis uirtutes progrediebatur. Virginitatem diuino admonitu, perpetuò ita coluit: ut non ſolum ipſe uirgo permanſerit, ſed ſponſam, quam, paterno rogatu uictus, duxerat, integram, caſtamq. conſeruarit. In ipſo ætatis*

tis flore, cum ex hac uita ad cæleſtem migraſſet; trigeſſimo poſt obitum die, miraculorum, quæ magna, multaq. ad eius ſepulcrum edita ſunt, ſplendore Deus illuſtrauit ſanctum ſuum. Treuiris, ſanctæ Modeſtæ uirginis. Velaumi, ſancti Flori epiſcopi, et confeſſoris. In pago Vulcaſſino, ſancti Clari presbyteri, et martyris.

x. A. **Nonis Nouembris.** Luna.

22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 11
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

5. *Sancti Zachariæ prophetæ, patris ſancti Ioannis Baptiſtæ. Terracinæ in Campania, ſanctorum martyrum, Felicis presbyteri, et Euſebij monachi. Hic ſanctos martyres, Iulianum, et Cæſarium cum ſepelliſſet, et ad fidem quàm plurimos adduceret, quos Felix presbyter baptizabat: uterque comprehenſus, et in carcerem coniectus, eadem nocte, cum diis cultum tribuere nollet, capite plectitur. In Græcia, ſanctorum martyrum, Domnini, Theotini, Timothei, Philothei, Dorothei, Carterij, et Siluani; qui, Maximino Imperatore, cum uerbum Dei palam prædicando, multos ad* IESV CHRISTI *fidem conuerterent, delati ad tyrannum, et comprehenſi, inauditisq. affecti ſupplicijs, damnantur ad metalla. Multo autem poſt tempore educti ex ergaſtulo, ſiſtuntur tribunali. Quos in fide* CHRISTI *Domini conſtantiſſime perſeuerantes, ille iuſſit in equuleum actos, crudeliſſime excarnificari. Horum autem ſummam in tormentis tolerantiam Pamphilus quidam cõſpicatus, ſecumq. reputans, non niſi firma maximarum rerum ſpe nixos, ſanctos poſſe tam grauibus cruciamentis pares eſſe, a*

conta-

contaminata ſuperſtitione ad CHRISTI fidem tranſiuit cum tribus uirginibus. quare pudore ſuffuſus tyrannus pronunciauit, omnes capite plecti: qui, datis libenter ceruicibus, animas Deo reddiderunt. In Palæſtina, ſancti etiam Siluani epiſcopi, et martyris, et aliorum ſociorum: quos Vrbanus præſes, diſertus improbitatis excogitator, et callidorum contra CHRISTI doctrinam conatuum inuentor, inauditis excogitatis ſupplicijs primum excruciauit, tum acerbiſsima nece affecit. In diœceſi Aurelianenſi, ſancti Læti presbyteri, et confeſſoris. Brixiæ, ſancti Dominatoris epiſcopi: qui omni chriſtiana uirtute, populo ſibi commiſſo, præluxit.

Octauo idus Nouembris. Luna. B.

13 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 12
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Theopoli ſanctorum decem martyrum: qui, in Saracenorum perſecutione, fidei chriſtianæ propugnatione nobiles, ſuperata cruciatuum ui, et acerbitate, coronantur. Tuneti in Africa, ſancti Felicis: in cuius celebritate, beatus Auguſtinus epiſcopus, pſalmum centeſimum ſeptimum populo expoſuiſſe legitur. Barcinonæ in Hiſpania, ſancti Seueri epiſcopi, et martyris: qui a barbaris Gothis, Cathaloniam incolentibus, martyrio coronatur, capite clauis confoſſo. In Phrygia, ſancti Attici. In Aquitania, ſancti Leonardi confeſſoris; qui loco nobili natus, beati Remigij diſcipulus, omnem eam prouinciam peragrauit uerbi Dei prædicatione. Inde religionis cauſa in ſiluam quandam ſe abdidit: ubi exædificato a ſe monaſterio, miraculorum magnitudine, et uitæ ſanctitate clarus, obdormiuit 6.

miuit in Domino. Fauentiæ, ſancti Aemiliani epiſcopi, et confeſſoris. Is e Scotia Romam pietatis cauſa peregrinatus, Fauentiam, peregrinatione ſancte confecta, diuertit: ubi, cum ex hac uita exceſſerit, a ciuibus Fauentinis honorifice ſepultus, multorum miraculorum claritate poſt obitum eluxit. Apud Bergas, ſancti Vuinoci abbatis: cuius uita, uirtutibus, et miraculis plena, teſtatam, ac notam fecit ſanctitatem ipſius egregij CHRISTI *confeſſoris.*

xviii. c. Septimo idus Nouembris. Luna.

24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 13
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

7. *Pataui, ſancti Proſdocimi epiſcopi. Is, in Græcia natus, beati Petri, Apoſtolorum Principis, Romæ ab eo epiſcopus Patauij conſecratus, crebris concionibus, diuinaq. miraculorum uirtute perfecit, ut Vitalianus, ciuitatis Princeps, et coniunx, uniuerſusq. populus Patauinus, repudiata impura idolorum ſuperſtitione,* CHRISTI *fidem amplexus, baptizaretur. Demum nonaginta tribus annis epiſcopali munere ſancte perfunctus, quieuit in Domino. Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Euſebij, Rogatiani, et Donati. Melitenæ in Armenia, ſanctorum martyrum, Hierenis, Nicandri, et aliorum triginta: qui in turbulenta Diocletiani perſecutionis tempeſtate, cum in omne chriſtianorum nomen, per cædes ſæuiretur, a Melitenæ præfecto, uarijs tentati ſupplicijs, ut a* CHRISTI *cultu ad idolorum impietatē traducerentur, cum in eadem fidei conſtantia perpetuò perſiſterent, primum uerberibus horrendum in modum cæſi, poſt in caminum coniecti, pe-*

neq.

neq. confecti, demum ſecuri feriuntur. Ancyræ, ſanctorum martyrum, Melaſippi, Antonij, Caſinæ, et quatraginta puerorum: qui, Iuliano Imperatore, coronantur. In Aquitania, ſancti Amaranthi martyris: qui, in Deciana perſecutione confecto martyrij curſu, Ambiani ſepultus, æternæ uitæ gloria in cælis fruitur. Peruſiæ, ſancti Herculani epiſcopi, et martyris: de quo calendis Martij ſcriptum eſt. Coloniæ, Engelberti epiſcopi, et martyris: qui in ſumma innocentia, ab impijs crudeliter contrucidatus eſt. Alexandriæ, ſancti Achillæ, fide, doctrina, morumq. ſanctitate clariſſimi. In diœceſi Treuerenſi, ſancti Vuillibrodi epiſcopi, et confeſſoris; qui a ſummo pontifice, Sergio, epiſcopus factus, in Germaniam ad euangelium propagandum miſſus, abiecto idolorum cultu, gentes Friſiam incolentes chriſtiana religione inſtituit. Metis, ſancti Rufi epiſcopi, et confeſſoris. Argentinæ, ſancti Florentij epiſcopi, et confeſſoris.

Sexto idus Nouembris. Luna. vii. D.

25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Octaua omnium Sanctorum. Romæ, uia Lauicana, ſanctorum quattuor coronatorum fratrum; Seueri, Seueriani, Carpophori, et Victorini: qui, in perſecutione Diocletiani, falſorum deorum cultum libere, palamq. deteſtati, plumbatis acerbe horribiliterq. cæſi, in uerberum cruciatu, necem pro CHRISTO *Domino obierunt. Eorum nomina, diu ignota, diuinitus poſtea patefacta ſunt. In Pannonia, beatorum martyrum, Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtoris, et Simplicij. Hi* 8.

primò in carcerem incluſi, poſt ſcorpionibus tetre cæſi, in fide cum admodum conſtantes eſſent, Diocletiani iuſſu loculis plumbeis concluſi, in mare præcipites dantur. Ambiani, ſancti Godefridi epiſcopi, et confeſſoris; cuius uitam, in ieiunijs, orationibus, religioſiſq. pietatis exercitationibus actam, et omnium ſanctarum uirtutum claritate illuſtrem, tribus libris conſcriptam, Eccleſia Ambianenſis aſſeruat. Bremæ, ſancti Vuillehadi, epiſcopi, et confeſſoris: qui, propagandæ C HRISTI *religionis ardore incenſus, e Britannia in Friſiam uenit; ubi mirifice in diſſeminanda euangelij diſciplina profecit: poſt Bremæ primus epiſcopus fuit; in cuius muneris functione pie admodum, ac religioſe ſe geſſit: perpetuoq. doctrinam, qua alios imbuere ſtuduit, egregijs ſanctiſſimæ uitæ ſuæ exemplis ornauit; ac uirtutum ſtudia auxit. Virduni, ſancti Mauri epiſcopi, et confeſſoris. Maſſiliæ, Translatio ſancti Ludouici epiſcopi, et confeſſoris.*

E. Quinto idus Nouembris. Luna.

26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 15

A b c d e f g h i Kl m n o p q r ſ t

9. *Romæ, Dedicatio Baſilicæ ſancti Saluatoris: quam a Conſtantino Magno exædificatam, et multis muneribus, doniſq. ornatam, Siluester pontifex conſecrauit. Amaſeæ, ſancti Theodori martyris. Hic miles, Maximiano Imperatore, eo nomine comprehenſus, quòd idolorum fanum incendiſſet, cum a legionis præfecto pœna ei remitteretur, ſi pœnitens facti, a chriſtiana fide deſciſceret; in illius confeſſione conſtans admodum, in carcerem truditur: inde poſt eductus, ungulis excarnificatur;*

nificatur; demum in ardentem rogum iniectus, diuinas laudes celebrando, animam CHRISTO *reddit. Theſſalonicæ, ſancti Alexandri martyris: qui, eodem Imperatore, comprehenſus, cogebatur idolis immolare. Quod facinus execratus, diuino Zelo uehementer exarſit; factoq. in eorum menſam impetu, eaq. pede diſturbata, atque euerſa, inſpectantem Imperatorem uehementiſsime commouit. quare extremo illum ſupplicio ſtatim affici iuſsit. cum igitur diſtricto carnifex gladio beati martyris collum peteret, repentino mentis ſtupore oppreſſus, cum obiurgaretur ab Imperatore, quòd mandatum non exequeretur, ſe iuſsione quadam magno percuſſum metu eſſe reſpondit: ſed cum martyr orandi horam impetraſſet, tum demum a carnifice cæſus eſt. Apameæ in Syria, ſancti Antonini martyris; qui ſæpe pro* CHRISTI *religione certamine ſuſcepto, tandem membratim conciſus, fortiter omnem cruciatum ſuſtinendo coronatur. In Cappadocia, ſancti Oreſtis martyris: Hic, idolorum contemptor, ac fidei chriſtianæ præclarus propugnator, Maximiani iuſſu primum uirgis grauiſsime cæſus: deinde in carcerem rurſus detruſus; poſt, cum ad gentium ſuperſtitioſum cultum tranſire nullo modo uellet, traiectis per illius talos immanibus clauis, extra urbem uiginti quattuor millia paſſuum raptatus, martyrij curſum inuicto animo egregie confecit. Bituricis, ſancti Vrſicini epiſcopi: qui Apoſtolorum diſcipulus, a beato Petro Apoſtolo epiſcopus illius urbis conſecratus, ſancto Aphrodiſio ſuccedens, admirandis uirtutibus eluxit. Berythi in Syria, ſacra imago Domini noſtri,* IESV CHRISTI, *a Iudæis cruci affigitur: cuius rei liber, a beato Athanaſio Alexandrino conſcriptus, extat. Mediolani, ſancti Aurelij epiſcopi, et confeſſo-*

ris: qui Riditianæ urbis in Armenia epiſcopus, ad eam urbem profectus, multis miraculis ſanctitate eius diuinitus teſtificata, quieuit in Domino.

XV. F. ## Quarto idus Nouembris. Luna.

27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 16
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

10. *Niceæ, ſanctorum martyrum, Tryphonis, Reſpicij, et Nymphæ uirginis. Trypho, Imperatore Decio, cum Abſadi in Saxonia, fidei chriſtianæ myſteria doceret, omnes ad* CHRISTI *cultum ab impietate conuertere conabatur. Itaque a Decij ſatellitibus captus, equuleo tortus, ungulis dilaceratus, poſt, ſublimibus pedibus, candentibus clauis confixus, fuſtibus cæditur: tum facibus ardentibus admotis, aduritur. Martyris diuinam animi cōſtantiam admiratus Reſpicius tribunus, ad* CHRISTI *fidem conuerſus, uarie cruciatur unà cum Triphone: ac rapitur ſimul ad Iouis idolum, quod, orante Triphone, concidit. Eo miraculo commota Nimpha uirgo,* IESVM CHRISTVM *uerum eſſe Deum teſtata eſt. quare duo illi uiri, cum uirgine plumbatis horrendum in modum contuſi, nobili martyrio coronantur. Romæ, ſanctorum, Olympæ, et Rhodionis: qui, beati Petri, Apoſtolorum Principis, diſcipuli, et imitatores, Neronis iuſſu, ſecuri pro* CHRISTI *nomine feriuntur. In diœceſi Agathenſi, ſanctorum martyrum, Tyberij, Modeſti, et Florentiæ: qui in Diocletiani perſecutione, multiplici cruciatuum genere affecti, ſtrenue ſuperato fidei aduerſario, palmam tulerunt. Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Demetrij epiſcopi, Aniani diaconi, Euſtoſij,*

et ſo-

et ſociorum uiginti. In Britannia, ſancti Iuſti epiſcopi, et confeſſoris: qui unà cum Melitto, et alijs, ab ſancto Gregorio Pontifice in eam inſulam miſſus ad obeundum euangelicæ prædicationis munus, primò Brocenſis epiſcopus, deinde Archiepiſcopus Cantuarienſis factus, ſanctarum actionum gloria clarus, quieuit in Domino. Aureliæ, ſancti Monitoris epiſcopi.

Tertio idus Nouembris. Luna. iiii. G.

28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 17
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Martini epiſcopi, et confeſſoris. Qui Turonenſium epiſcopus, rerum diuinarum ſtudio inflammatus, omni ſanctæ uirtutis genere præluxit: tum miraculorum multitudine, magnitudineq. clarus, iam unum, et octoginta annos natus, animam Deo reddidit, quam Angelorum chorus excepit. In Phrygia, ſancti Mennæ martyris. Hic, Diocletiano Imperatore, repudiata militari uita, in ſolitudinem ſe abdidit: ubi in Dei, diuinarumq. rerum contemplatione multus erat. Poſt, in publicum prodiens, ſe chriſtianum eſſe, palam, libereq. profeſſus, primùm grauiter excruciatus, poſtremò, dum precabatur, Chriſtoq. Domino, flexis genibus gratias agebat, ſecuri percuſſus eſt. In Græcia, ſanctorum martyrum, Vincentij, Victoris, et Stephanidis. Victor enim, Antonino Imperatore, cum adduci nullo modo poſſet, ut ab CHRISTI *fide deficeret; primo, luxatis membrorum articulis, in fornacem proijcitur: deinde letali medicamento, quod ſibi Magus porrexerat, epoto, cum nihil inde detrimenti ſenſiſſet, illum ad* CHRISTVM *conuertit. Quæ res Stephanidem ſpectantem eo perpulit, ut* 11.

CHRI-

CHRISTI fidem amplecteretur. itaque comprehenſam, et palmis duabus, quæ in unū immani uirium contentione contortæ erant, alligatam, præciſis repente uinculis, martyrem dilaniarunt, Vincentius item, quoniam chriſtianus eſſet, ab eodem iudice capitis damnatus, fortiter ceruices præbuit. Rauennæ, ſanctorum martyrum, Feliciani, et Victorini. Lugduni, ſancti Verani epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita, fidei, uirtutumq. claritate mirifice ſplenduit.

A. Pridie idus Nouembris. Luna.

29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 18
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

12. *Sancti Martini papæ: qui ob catholicam fidem, Imperatoris hæretici, Conſtantis iuſſu, per fraudem ab Theodoro Calliopa captus, Conſtantinopolimq. perductus, poſt ad urbem Cherſonam, quæ eſt Lyciæ prouinciæ, in exilium pulſus, multis miraculis clarus, ſanctiſsime eo loci curſu huius uitæ confecto, abijt ad Dominum. In prouincia Senonenſi ſancti Paterni martyris. Auinione, ſancti Rufi epiſcopi: qui Pauli Sergij diſcipulus, eam ciuitatem primus chriſtianæ fidei inſtitutis, ac præceptis imbuit. In Africa, ſanctorum martyrum, Aurelij, et Publij. In Africa item, ſanctorum martyrum, Arcadij, Paſchaſij, Probi, Euterchiani, et Paulini: qui, in perſecutione Vandalica, cum a fide catholica deſciſcere nollent, ab Arianis in exilium pulſi, grauiſſimisq. affecti ſupplicijs, poſtremo uarie necati, nobili martyrio coronantur. Paulinus autem puer, frater martyrum, Paſchaſii, Eutychiani, diu cæſus, impiam etiam, immanemq. Vandalorum barbariem, fortiter*

titer fidei conſtantia ſuperauit. In Hiſpania Tarraconenſi, ſancti Aemiliani presbyteri, et confeſſoris: cuius uitam, mirifice, ſancteq. actam, Braulio, Cæſaraugustæ epiſcopus, libro complexus eſt. Viennæ, ſancti Iſicij epiſcopi, et confeſſoris. Mediolani, ſancti Arſacij epiſcopi. Coloniæ, ſancti Cuniberti epiſcopi: qui, eccleſia Colonienſi, quatraginta annis religioſe adminiſtrata, ſanctarum uirtutum meritis clarus, quieuit in Domino. Ad portum Gandenſem, ſancti Liuini epiſcopi, et martyris. In oppido Milleduno, ſancti Leonij confeſſoris. Bergomi, ſancti Adelberti epiſcopi, et confeſſoris: cuius res admirandæ leguntur. In Belgis, ſancti Lebuini, presbyteri, et confeſſoris.

Idibus Nouembris. Luna. xii. B.

30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 19
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Toleti, ſancti Eugenij epiſcopi, et martyris: qui, beati Dionysij Areopagitæ diſcipulus, cæleſtem fidei doctrinam, qua gentes imbui, prædicando contendit, in Domitiani perſecutione, et miraculis, et nece, quam inuicto animi robore ſubijt, præclare comprobauit. Rauennæ ſanctorum martyrum, Valentini, Solutoris, et Victoris: qui in grauiſſima illa, quam Diocletianus chriſtianis intulit, perſecutione egregium pro CHRISTI *nomine concertationem ſuſtinendo, inſigniter coronantur. In Palæſtina, ſanctorum martyrum, Antonij presbyteri, Zebinæ, et Germani: qui, tyrannicis Maximini edictis teterrima contra chriſtianos concitata perſecutione, nullis terroribus perterrefacti, uno animorum conſenſu, Firmilianum præſidem* 13.

immo-

immolantem, ab idolorum errore deſiſtere hortantur: rogatiq. ſe christianos libera uoce profitentur. quamobrem præſes, ſine ullo alio ſupplicii genere, illos capite ſtatim mulctari iuſſit. Quo die, ſanctæ etiam Ennathæ uirginis: quæ non ultro, ut illi, ſed per uim ad iudicem perducta, poſt uerbera, et graues, contumelioſosq. cruciatus, cum conſtantiſsimam animi firmitudinem in fide tuenda præſtitiſſet, uiua concrematur. In Græcia, ſanctorum, Antonini, Nicephori, et ſociorum: qui, fidei uirtute proſtrato aduerſario, uictores, martyrii coronam acceperunt. Apud Turonenſes, ſancti Britii epiſcopi, et confeſſoris. Hic beati Martini diaconus, illius hortatu, et conſiliis ad chriſtianæ perfectionis laudes progreſſus, in illius locum epiſcopus eccleſiæ Turronenſi præficitur: quam ubi ſuſcepit, in multa pericula, multasq. improborum inſidias incidit. At ex iis, ope diuina, liberatus, cum eccleſiam, ſibi commiſſam, ſeptem, et quatraginta annis pie adminiſtraſſet, quieuit in Domino. Cremonæ, ſancti Homoboni confeſſoris: cuius uita, ſancte acta, et miraculis cognitis, Innocentius Tertius pontifex maximus, eũ in ſanctorum numerum retulit, maxima cum celebritate, ac religione. In diœceſi Atrebatenſi, ſancti Niliani epiſcopi, et confeſſoris. Aruernis, ſancti Quintiani epiſcopi, et confeſſoris; cuius res admirandæ, cum ſanctiſſimæ uitæ diſciplina coniunctæ, ad poſteritatem, litteris traditæ, leguntur. Placentiæ, ſancti Antonini martyris: qui unus e militibus thebanis, pro CHRISTO *in ea urbe necatus, aliquot poſt annis, diuino admonitu a beato Sabino epiſcopo, hoc ipſo die inuentus, ad ſepulcrum ſancti Victoris delatus, pie reconditur.*

Decimo octauo calen. Deceb. Luna. C.

1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 20

A b c d e f g h i K l m̄ n o p q r ſ t

Alexandriæ, ſancti Serapionis martyris: quem, Decio principe, fidei hoſtes diris affecerunt ſupplicijs, ita ut membrorum eius commiſſuris reuulſis, ex edito, præcipitiq. loco deiectus, martyrij coronam acceperit. Heracleæ, ſanctorum martyrum, Clementini, Theodoti, et Philomini. In Gallia, ſanctæ Venerandæ uirginis: quæ e chriſtianis parentibus, ſed ſterilibus nata, precibus a Deo impetrata, uoto uirginitatis nuncupato, omnem uitam in ſuſcepto uirginali inſtituto religioſe egit. Veronæ, ſancti Andronici epiſcopi, doctrina, miraculis, et uita ſanctimonia clari. Brixiæ, ſancti Antegij epiſcopi, et confeſſoris. Churiæ in Germania, ſancti Findani confeſſoris. In Hibernia, ſancti Laurentij epiſcopi: quem, cognitis eius mirabiliter, diuineq. factis, Honorius pontifex aſcripſit in ſanctorum numero. 14.

Decimo ſeptimo calē. Decēb. Luna. D.

2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 21

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Nolæ in Campania, ſancti Felicis epiſcopi, et martyris. Hic iam inde a quinto, et decimo ætatis anno, miraculorum laude illuſtris, Martiano præſide, una cum triginta alijs martyrio coronatur. Edeſſæ, ſanctorum martyrum, Guriæ, et Samonæ: qui, Diocletiano Imperatore, ad Antoninum præfectum eo nomine delati, quòd chriſtianis, qui in uinculis eſ- 15.

ſent, ſumptus ſuppeditarent, neque a Christi *fide deſciſcere uellent, ſublimes per alteram tantum manum horis quinque pependerunt. Deinde depoſiti, iterum ſollicitati, ut ad idolorum cultum tranſirent; conſtanter tamen in fidei confeſſione perſiſterent; ſublimibus contra pedibus diutius torti ſunt. Poſt uero demum in tenebricoſum carcerem incluſi, gladio pro* Christi *gloria feriuntur. In Græcia, ſancti Demetrij martyris. Hic chriſtianæ fidei accuſatus, ad Publium præfectum perducitur: apud quem non ſolum magna dicendi libertate, religionem chriſtianam profeſſus; ſed falſorum deorum ſuperſtitionem, uehementer inſectatus, illius iuſſu capite obtruncato, expetitam a ſe tantopere martyrij palmam tulit. In Africa, ſanctorum martyrum, Secundi, Fidentiani, et Varici. In Britannia, ſancti Machuti epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita ab ineunte pene ætate miraculorum ſplendore eluxit. Veronæ, ſancti Liberij epiſcopi; meritis pietatis, uereq. epiſcopalis erga egentes liberalitatis laude clari. Argentinæ, ſancti Amandi epiſcopi, et confeſſoris: qui illius ciuitatis primus epiſcopus, ſancte factis Euangelijq. propagatione fidelem* Christo *Domino, eccleſiaq. operam præſtitit. In Auſtria, ſancti Leopoldi confeſſoris: quem uitæ, ſanctiſſime actæ, miraculorumq. gloria clariſſimum, Innocentius Octauus, pontifex maximus, in ſanctos retulit.*

ix. E. Decimo ſexto calē. Nouemb. Luna.

3.14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

16. *In Africa, ſanctorum martyrum, Rufini, Marci, Valerij,*

lerij, Pauli, et Honorij; Vitalis item, et Ianuarij. Antiochiæ in Syria, ſancti Barlaæ martyris: qui confectus iam ætate, chriſtianæ fidei cauſa a præfecto uinctus, adduci nulla arte potuit, ut dijs immolaret: quare neruis bubulis grauiſſime cæſus; deinde unguibus euulſis, admotus iterum idolorum aræ, explicata per uim manu, thus ſimul cum igne accipere compulſus eſt. ſed is conſtanti animo, uultuq. interrito, paſſus eſt potius, ignem, paulatim conſumpta perforataq. manu, in terram decidere, quàm quicquam de chriſtiana conſtantia remittens, idolo ſacrificare: quo in tormento grauiſſimo animam Deo reddidit. Lugduni, ſancti Eucherij epiſcopi, et confeſſoris: qui a rebus ſenatorijs cum ad religioſæ uitæ diſciplinam ſe contuliſſet, diu in ſpelunca latens, Dei contemplationi deditus, mortuo epiſcopo, Lugdunum profectus, Angeli admonitu in epiſcopali ſede ſolenniter collocatus, eccleſia ſibi commiſſa, pie adminiſtrata, ſancte obdormiuit in Domino. Cantuariæ in Anglia, ſancti Edmundi epiſcopi, admirabili abſtinentia uiri: cuius ſanctitatem Deus declarari ſignificariq. uoluit miraculorum magnitudine. Churiæ in Rhetia, ſancti Othmari abbatis. Hic parſimoniæ ſectator eximius, creberrimo macerans ieiunio corpus, bidui abſtinentiam continuabat frequentius, uigilias amabat; in oratione aſſiduus, erga pauperes benignus; humilitate, omniq. chriſtiana uirtute florens, quieuit in Domino.

Decimoquintocal. Nouemb. Luna. F.

4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 23

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Neocæſareæ in Ponto, ſancti Gregorij epiſcopi: qui doctri- 17.

na illuſtris, miraculisq. multo illuſtrior, unde Thaumaturgi nomen accepit, cum innumerabiles homines perduxerit ad fidem C H R I S T I, *et populum præſertim Neocæſarienſem; cui epiſcopus præerat; uirtutum admirabilium, et uitæ meritis cumulatus, quieuit in Domino. In Palæſtina, ſanctorum martyrum, Alphæi, et Zachæi: qui poſt uerbera, et nouaculas, poſt uincula aſpera, grauesq. in eiſdem dolores, poſt alias diuerſas in tormentis quæſtiones, poſt pedes diu noctuq. compedibus ligneis, quattuor foraminum interuallo interiecto, diſtractos,* I E S V C H R I S T I *fidem libere conſtanterq. confeſſi, capitibus abſciſsis, ad præmium migrant in cælum. Alexandriæ, ſancti Dionyſij epiſcopi: qui turbulentis perſecutionum procellis quàm uehementer. uarieq. exagitatus ſit, ipſe in epiſtola, ad Germanum ſcripta, oſtendit. uir fuit omni doctrinæ laude, ueræ fidei confeſſione, religioſis officijs, ſanctisq. actionibus admodum celebris: eccleſia autem Alexandrina decem, et ſeptem annis adminiſtrata, magna cum teſtificatione ſanctitatis, obdormiuit in Domino. Cordubæ in Hiſpania, ſanctorum martyrum, Aciſcli, Victoriæ: qui, Diocletiano, et Maximiano, Imperatoribus, Dionis iudicis decreto excruciati, atque necati, tanto munere eluxerunt, ut ibi ob teſtimonium præclari eorum martyrij eodē die roſæ diuinitus ortæ dicantur. Aureliani, ſancti Aniani epiſcopi: cuius mortem in conſpectu Domini pretioſam, crebra teſtantur miracula. Apud Turonenſes, ſancti Gregorij epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita religioſe, diuineq. acta, à clericis Turonenſibus ad poſteritatem litteris prodita, rerum admirabilium, cæleſtiumq. uirtutum ſplendore mirifice luceſcit. Lincolniæ, in Anglia, ſancti Hugonis epiſcopi, et confeſſoris: cuius res magna cum*

laude

laude ſanctitatis, geſtæ, et a multis conſcriptæ leguntur. In Anglia item, ſanctæ Hildæ uirginis, admiranda pietate inſignis. Churiæ in Rhetia, ſancti Florini.

Decimo quarto cal. Decemb. Luna. xvii. G.

5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 24
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, Dedicatio, baſilicarum, ſanctorum Apoſtolorum 18.
Petri, et Pauli. Quas baſilicas, a Conſtantino Imperatore magnificentiſſime extructas, et ampliſſimis donis ornatas, ſanctus Silueſter hoc ipſo die ſolemniter conſecrauit. Antiochiæ, ſancti Romani martyris: Is, in Maximiani perſecutione, obuiam factus Aſclepiadi præfecto, quo tempore, idolis ille immolaturus, fanum ingrederetur, chriſtianæ religionis incenſus ſtudio, conatus eſt eum ab impura illa ſuperſtitione auertere. Cui præfectus iuſſit colaphos infringi; tum raptum in equuleum, depecti. Hic, dum torqueretur, conſtantius CHRISTUM *Deum prædicabat. Quare poſt exciſam linguam, in uincula coniectus, utroque pede ad quintum foramen in compedibus diſtracto, demum diuturnis carceris cruciatibus ſuperatis, ibi ſtrangulatus, martyrio decoratur. In eadem urbe, ſancti Baralæ pueri: qui, dum beatus Romanus uel infantium teſtimonium in chriſtianæ fidei prædicatione afferret, in medium productus, et interrogatus, quem coleret, accuſata prius præfecti inſana ſuperſtitione, eum, inquit, quem chriſtiani colunt. uerberibus igitur horribiliter cæſus, demum capite plectitur. Sancti prætereà Eſychij: qui ibidem, quoniam, abiecto militari cingulo, chriſtianæ fidei adhærens, cultum dijs denegauit,*

præceps

præceps in fluuium Orontem deiectus eſt. In Vandalica perſecutione, ſancti Oricoli, et ſociorum martyrum. Lucæ, ſancti Fridiani epiſcopi, et confeſſoris: cuius uita, uirtutibus, et miraculorum claritate eluſcens, litteris poſteritati tradita, legitur. In inſula Lirino, ſancti Anſelmi abbatis, et confeſſoris.

vi. A. Decimo tertio cal. Decemb. Luna.

6 17 28 9 20 1 12 25 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 25
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

19. *Romæ, ſancti Pontiani papæ, et martyris. Hic, ſanctitatis laude clarus, eccleſiæ præfuit, Alexandro Imperatore. In Sardiniam uerò ob perpetuam fidei tuendæ conſtantiam cum Philippo presbytero relegatus, ibi multis affectus incommodis, ac laboribus, fuſtibusq. cæſus, ad martyrij palmam peruenit. Eius corpus, Fabiano pontifice, Romam tranſlatum, in Cœmiterio Calixti ſepelitur. Romæ præterea, ſancti Fauſti diaconi. Hic, ingraueſcente ætate, multa pro religione chriſtiana, Decio Imperatore, perpeſſus, præclara, perpetuaq. confeſsione nobilis, demum, capite abſciſſo, martyrij curſum inuicta uirtute confecit. In urbe Aſtiagenſi, ſancti Criſpiani epiſcopi, et martyris: qui in ipſo Diocletinianæ perſecutionis tempeſtate, multis pro fide contumelijs exagitatus, denique ſecuri percuſſus, martyrio coronatur. In Græcia, ſanctorum, Azæ, et ſociorum martyrum. Comprehenſus Azas, qui in ſolitudine deliteſcens, ſanctiſſimæ uitæ, et miraculorum laude nobilis erat, a militibus Diocletiani, tribunali ſiſtitur Aquilini præfecti: cuius iuſſu de ſublimi per capillos appenſus, unguibus ferreis excarnificatur: deinde in fornacem ar-*

dentem

dentem coniectus, cum inde incolumis diuina ope exiſſet, hocq. miraculo coniugem, et filiam præfecti ad fidem conuertiſſet, unà cum eiſdem, et militibus item, quos centum quinquaginta alio miraculo ad chriſtianam religionem perduxit, capitis damnatus eſt. Viennæ, ſanctorum, Seueriani, Exuperij, et Feliciani: quorum corpora multis poſt annis mirabiliter diuino admonitu inuenta, ab epiſcopo, clero, uniuerſoq. populo ſublata, honeſtò, et ſacro loco religioſe recondita ſunt. Auguſtoduni in Gallia, ſancti Simplicij epiſcopi, et confeſſoris. Aruernis, ſancti Patrocli confeſſoris. Hoc ipſo die, ſanctæ Eliſabethæ reginæ: quæ, pietatis operibus aſſidue intenta, uitæ huius curſu magna cum ſanctitatis laude confecto, ad cæleſtem patriam migrauit multis miraculis clara. Romæ item uia Appia, ſancti Maximi presbyteri, et martyris: qui, Diocletiano Imperatore, pro C HRISTO *fortiter pugnans, coronatur.*

Duodecimo cal. Decembris. Luna. B.

7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 26
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Meſſanæ in freto ſiculo, ſanctorum martyrum, Ampeli, et Caij. Heraclea, ſanctorum, Baſſi, Dionyſij, Agapiti, et quatraginta ſociorum martyrum. In Doroſtolo urbe, ſancti Daſij martyris: qui pro C HRISTI *nomine, Diocletiani, et Maximiani iuſſu, multis affectus ſupplicijs, demùm gladio feritur. In Perſia, ſanctorum martyrum, Nerſæ, et Ioſephi, epiſcoporum: qui epiſcopali uigilantia cum operam darent, ut mortalium mentes, magnis ſuperſtitionis, et impietatis tenebris implicitas, ad euangelij lucem perducerent, ab fidei* 20.

hoſtibus

hoſtibus Perſis comprehenſi, ad regemq. ducti, a CHRISTI *religione ſe abduci nullo modo poſſe affirmarunt; itaque gladio percuſſi, martyrio coronantur. Cæſareæ in Palæſtina, ſancti Agapij martyris. Hic magnus diuinæ pietatis athleta, tyranno Maximino ſiſtitur: apud quem libera uoce palam profitetur, ſe pro* CHRISTO *libenter, et cum gaudio omnia, uel grauiſſima ſupplicia ſubiturum. Itaque ſtatim, urſo in eum dimiſſo, ex aduerſo ueluti curriculo factus obuiam, ſe ipſum libentiſſime teterrimæ feræ obijcit. Poſt adhuc ſuperſtes, in carcerem truditur: ubi per diem commoratus, poſtridie lapidibus ad pedes eius appenſis, in medium mare demerſus, nobilis martyrij coronam tulit. In Perſia, item ſanctorum martyrum, Ioannis, Saberij, et Iſachi, epiſcoporum; Dapij præterea, et Iſachi, presbyterorum. Hi perſæ omnes, cum ſollicite munus ſuum obirent, populum inſtituendo, erroreſq. impios depellẽdo, ad regem pertrahuntur: cuius iuſſo uincti, et nudati, uirgis conciduntur: tum unguibus ferreis depectuntur. quo in cruciatu cum fidem conſtantius tuerentur; tandem lapidibus obruti, ad martyrij præmium abeunt in cælum. In Taurinis, ſanctorum martyrum, Octauij, Solutoris, et Aduentitij: de quibus ſermo beati Maximi Taurinenſis extat. Edeſſæ, ſanctorum martyrum, Samonis, et Guriæ: qui* CHRISTI *prædicatione cum orbem peragrarent, comprehenſi primò, tum inedia pene enecti, uarijsq. deinceps tormentis affecti, demum gladio percuſſi, palmam martyrij acceperunt. Conſtãtinopoli, ſancti Stephani abbatis, et martyris. Hic ſexaginta annis in monaſterio incluſus, multis chriſtianæ pietatis uirtutibus clarus, iuſſu impij Imperatoris Conſtantini Iconomachi, rudenti raptatus, ac diſcerptus, in catholicæ fidei conſtantia migrauit ad Dominum.*

num. In Anglia ſancti Edmundi regis, et martyris. Cabillone, ſancti Silueſtri epiſcopi, et confeſſoris. Mediolani, ſancti Benigni epiſcopi, et confeſſoris. Veronæ, ſancti Simplicij epiſcopi, et confeſſoris.

Vndecimo calen. Decemb. Luna. xiiii. C.

8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 27
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Hieroſolymæ, Præſentatio beatæ Mariæ, uirginis. Romæ, ſancti Mauri martyris. Hic ab infantia chriſtianus, orationi, et ieiunio deditus, Numeriano Imperatore, et Celerino præfecto, uarijs tormentis excruciatus, demum capite plectitur. Romæ item, beatiſſimorum martyrum, Celſi, et Clementis. Hoſtiæ, ſanctorum martyrum, Demetrij, et Honorij. Hoc item die, ſancti Rufi: quem a Deo electum, beatus Paulus Apoſtolus ſcribit: cuius item admirandam patientiam Polycarpus commemorat. Veronæ, ſancti Mauri epiſcopi, et confeſſoris. Hic, præter ceteras uirtutes, admirabili quadam humilitate, et egregia, uereq. epiſcopo digna, erga pauperes liberalitate, præſtitit: depoſito autem ſponte epiſcopali munere, in ſolitudinem ſe abdidit: ubi ieiunio, uigilijs, precibuſq. aſſidue deditus, declarata miraculis eius ſanctitate, quieuit in Domino. Bobij, ſancti Columbani abbatis: qui multis extructis monaſterijs, multorum monachorum pater, et mirificæ pietatis uir, uitæ, ſanctiſſime actæ, et miraculorum gloria clarus, obdormiuit in Domino. 21.

iii. D. Decimo calen. Decemb. Luna.

9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 28
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

22. *Romæ ſanctæ Cæciliæ uirginis, et martyris. Hæc uirgo Romana nobilis, a prima ætate, chriſtianæ fidei præceptis inſtituta, Valerianum ſponſum, et Tiburtium fratrem ad* CHRISTI *Domini fidem perduxit: tum ad martyrium incitauit. Demum ipſa comprehenſa, in balneo comburi iubetur. Quo in loco, cum diem noctemq. ita fuiſſet, ut ne flammam quidem attingeret; eò intromiſſus eſt carnifex, qui uirginem, ter ſecuri ictam, cum caput præcidere non potuiſſet, ſemiuiuam reliquit. Quæ triduo poſt, Alexandro Imperatore, duplici, et uirginitatis, et martyrij palma decorata, abijt in cælum. Antiochiæ in Piſidia, ſanctorum martyrum, Marci, et Stephani: qui in certamen pro* CHRISTI *fide, Diocletiano Imperatore, eo pietatis ardore deſcenderunt; ut cum eos, qui ſe conueniebant, ſumma libertate uerbo ueritatis inſtituerent; tum Chriſtianam fidem paſſim prædicarent. quamobrem uincti, ad præfectum in iudicium ducti, nulla tormentorum ui atque acerbitate, cum de pia ſententia depelli poſſent; una cum alijs compluribus martyribus in cuſtodiam traditi ſunt. Qui omnes, in ſancto propoſito perſeuerantes, poſt uaria cruciamenta, capitis obtruncatione, martyrij curſum præclare confecerunt. In Palæſtina, ſancti Procopij martyris. Auguſtoduni, ſancti Pragmatij epiſcopi, et confeſſoris.*

Nono

Nono calen. Decembris. Luna. E.

10 21 2 13 2 4 5 16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 29
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Clementis Papæ, et martyris. Hic, beati Petri, Apoſtolorum principis, diſcipulus, apoſtolica doctrina imbutus, multa ſcripſit, et accurate, et utiliter: quibus illuſtrauit eccleſiam Dei. Relegatus autem in inſulam a Traiano Imperatore, quoniam quàm plurimos ad CHRISTI *fidem perduceret; ibi cum in ueneratione eſſet ob ſanctitatem, miraculo declaratam; illius iuſſu beatus pontifex, et martyr, alligata ad collum anchora, in mare deiectus eſt. Paulò autem poſt eius corpus, in littus eiectum, ibiq. ſepultum, deinde Romam, Nicolao primo, pontifice, translatum, in eccleſia, quæ ab eo nomen accepit, reconditum eſt. Romæ, ſanctæ Felicitatis, ſeptem filiorum martyrum matris: cui etiam, Antonino Imperante, caput pro* CHRISTI *gloria præciſum eſt. Apud Metenſes, ſancti Clementis epiſcopi: qui, e conſulari familia natus, beati Clementis pontificis patruus, in Galliam cum Cæleſto, et Felice prædicationis euangelicæ cauſa miſſus, eccleſiam Metenſem, cui primus epiſcopus præfuit, cum aliquot annos imbuiſſet euangelicis, Apoſtoliciſq. inſtitutis, ac præceptis; demum ſanctiſſime quieuit in Domino. Alexandriæ, ſanctæ Fauſtinæ Auguſtæ: quam a beatiſſima uirgine, et martyre Catharina ad chriſtianæ religionis cultum ab impura ſuperſtitione conuerſam, Maxentius, eius uir, capite plecti iuſſit. Emeritæ in Hiſpania, ſanctæ Lucretiæ uirginis: quæ, in Maximiani perſecutione, Datiani præſidis iuſſu, pro* CHRISTO 23.

excruciata, ſanguine etiam profuſo, martyrij corona decoratur. In pago Asbano, ſancti Trudonis presbyteri, et confeſſoris: cuius uita, et diuinę facta, litteris tradita, magna cum teſtificatione ſanctitatis, leguntur. Pariſiis, ſancti Seuerini heremitæ, et confeſſoris.

xi. F. Octauo calen. Decembris. Luna.

11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 36

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

24. Romæ, ſancti Chryſogoni martyris: qui uincula, carcerem, aliaq. ſupplicia pro CHRISTO Domino, fortiter perpeſſus, tandem, Diocletiani iuſſo, ſecuri percuſſus eſt. Eius Corpus proiectum in mare, paulo poſt in littore inuentum, Zoilus presbyter ſepelliuit. Romæ, ſancti Creſcentiani martyris: de quo in acta martyrij beatiſſimi Macelli pontificis ab notarijs relatum eſt. Alexandriæ ſanctorum martyrum, Porphyrij, et ducentorum militum: qui ſanctæ Catharinæ uirtute fidem, religionemq. amplexi, omnes, Maxentij iuſſu, ſecuri feriuntur. Cyzici, in Bythinia, ſancti Siſinnij epiſcopi, et martyris. Hic gentes, a fide alienas, a nefaria idolorum ſuperſtitione ad uerum Dei cultum conuertere, chriſtianos confirmare, et ad martyrium fortiter ſubeundum hortari, numquam non ſtudebat. Quo nomine accuſatus, Diocletiani Imperatoris decreto, uirgis primum tetre cæſus; deinde pendens, grauiſſime depexus, in carcerem truditur: ubi fame, ſiti, pœdore, ſexcentiſq. alijs cruciatibus pene confectus eſt. Inde autem eductus, atque, ut ad barbarorum ſacra tranſiret, tentatus, fruſtraq. ſollicitatus, gladio cæſus, migrauit ad Dominum. Cordubæ,

ſanctæ

ſanctæ Floræ uirginis, et martyris: quæ e patre impio, at e matre, religioſiſſima fœmina, nata, a primis annis pietatis ſtudio dedita; ut forma egregia fuit; ſic omni chriſtiana uirtute floruit. A religione, et fide frater illius, et uerberibus, et minis, et uerborum blanditijs uirginem auertere contendit: ſed fruſtra conatus, ad iudicem, hominem Arabicum, pertrahit: cuius iuſſu flagris cæſa, et in capite uulnerata, magno animi robore in fide perſiſtens; demum, capite obtruncato, ad martyrij palmam peruenit. Corduba item, ſanctæ Mariæ uirginis, et martyris: quæ eodem certaminis ſtudio, quo beata Flora, pro fide incenſa, pari contentione, coniunctiſſimaq; pij animi uoluntate, in Arabica illa perſecutione, martyrium ſubijt. Mediolani, ſancti Protaſij epiſcopi, et confeſſoris: qui in perſecutionum tempeſtatibus, pro eccleſia ſibi commiſſa, proq; religione multis perfunctus laboribus, Synodo etiam Sardicenſi interfuit. In oppido Blauio, ſancti Romani presbyteri, et confeſſoris: cuius ſanctitas multis miraculis comprobata eſt. Peruſiæ, ſancti Feliciſſimi confeſſoris. Aruernis, ſancti Portiani abbatis, et confeſſoris. Regij, Translatio ſancti Proſperi epiſcopi.

Septimo calen. Decembris. Luna: xix. G.

13 23 4 15 26 7 18 29 10 21 2 13 24 5 16 27 8 19 1
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sanctæ Catharinæ uirginis, et martyris. Hæc, nobilis uirgo Alexandrina, Maxentij Tyranni iuſſu, pro Christi fide uerberibus affecta, plumbatiſq; contuſa, dies undecim ſine cibo, et potu in carcere includitur. Inde poſt educta, ut rota ~~18.~~ 25

acutis

acutis præfixa gladijs dilaceraretur, e teterrimo illo cruciatu, machina confracta, diuinitus liberata, demum ſecuri percuſſa, ad duplicatum uirginitatis, et martyrij præmium abijt in cælum. Cæſareæ in Cappadocia, ſancti Mercurij martyris. Is, Decio Imperatore, in Aſiatico militans exercitu, cum fortiter aliquando ab Angelo adiutus, rem geſſiſſet, dux bello declaratur a Cæſare. Sed cognitus Chriſtianæ religionis eſſe, comprehenditur: iuſſuq. Imperatoris, ad quattuor palos humi alligatus, et gladijs totus conciſus, ignem ſuppoſitum, ſanguinis ui reſtinxit. Poſt, appenſo ad collum ingenti ſaxo, in ſublime per caput rapitur; direptaq; per artus cute, rurſus depoſitus, tum uinctus Cæſaream ducitur: ubi, datis fortiter ceruicibus, martyrij curſum egregie confecit. Antiochiæ, ſancti Eraſmi martyris. In Aemilia prouincia, ſanctæ Iocundæ uirginis.

A. Sexto calendas Decembris. Luna.

13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	6	17	28	9	20	2	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

26. *Alexandriæ, ſancti Petri epiſcopi, et martyris: qui Theonæ, ſanctiſſimo uiro in epiſcopatum Alexandriæ ſuccedens, magna cum dignitate illi eccleſiæ præfuit: quiq. præter ceteros ſanctos, et diuinos epiſcopos, cum uirtutis cauſa, quæ in eius uita eluxit, tum ſtudij, et uigiliarum, quas in ſacras litteras contulerat, prope miraculum extitit: cum minime expectabat, arreptus ſubito, ita ut erat, ex Maximini impij mandato, pro* CHRISTI *gloria capite plectitur. Vna cum eodem martyrium ſubierunt, Fauſtus presbyter, Didius, et alij*

ſocij

ſocij ſexcenti, ſexaginta. Patauij, ſancti Belini epiſcopi, et martyris: cuius ſanctitate diuinitus teſtificata miraculis, eum in ſanctis Eugenius Quartus, pontifex maximus, adſcripſit. Auguſtoduni, ſancti Amatoris epiſcopi, et confeſſoris. Conſtantiæ, ſancti Conradi epiſcopi: qui ex illuſtri Sueuiæ familia ortus, ab ineunte ætate, in diſciplina pietatis, et litterarum eruditione, parentum cura, inſtitutus, toti Germaniæ uirtutum ſplendore illuxit. Religionis cauſa ad ſepulcrum Domini ter Hieroſolymam peregrinatus; inde reuerſus, Nothingo, Conſtantiæ epiſcopo mortuo, in illius locum ob doctrinam, et morum ſanctitatem eligitur: quod munus, ſancti Huldrici epiſcopi Auguſtæ rogatu, ac precibus uictus ſuſcepit, cum diu recuſaſſet. Eoq. per quadraginta annos diligentiſſime perfunctus, cum nihil omiſerit, quod beatus Paulus Apoſtolus epiſcopo præſcripſit; propagatæ religionis, uirtutumq. epiſcopalium laude clarus, obdormiuit in Domino. In diœceſi Rhemenſi, ſancti Baſoli heremitæ, et confeſſoris: qui uitæ religioſæ inſtituta in ſolitudine magnopere ſecutus, miraculis, et ſanctitate præluxit.

Quinto calendas Decembris. Luna. viii. B.

14	25	6	17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	3
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Antiochiæ, ſanctorum martyrum, Baſilei, et Saturnini. In Nicomedia, beatiſſimorum martyrum, Marcelli, Petri, Numerij, Hierenæ, et Meloſi. In Perſia, ſancti Iacobi Interciſi: cui ſcilicet ob fidem rex Perſarum cum artus o- 27.

mnes,

nines primum, ſigillatim præcidi, tum caput amputari iuſsit. In Gallecia, ad Ceiam fluuium, beatorum martyrum, Facundi, et Primitiui: qui pro CHRISTI *religione cum multa ſuperaſſent ſupplicia mirifico pietatis certamine; ab Angelis duæ ijs coronæ cæleſti munere delatæ ſunt: quam rem ubi Atticus prætor accepit; capita, inquit, amputentur, ne locus ſit coronis. Sebaſtiæ, ſanctorum martyrum, Herinarchi, Acacij presbyteri, et mulierum ſeptem: quas pro* CHRISTO, *in Diocletiani perſecutione, cum forti, uiriliq; animo Herinarchus dimicare uidiſſet; fidem amplexus, palam ſe chriſtianum eſſe profitetur: quamobrem Maximi præſidis iuſſu comprehenſus, in ſtagnum præceps deijcitur: unde cum incolumis exiſſet; in ignem ponitur: e quo diuina ope admirabiliter exeptus; demum ſecuri cum Acacio presbytero, qui illum baptizauit, percuſſus, martyrij corona uterque decoratur. Regij in Gallia Ciſalpina, ſancti Maximi epiſcopi, et confeſſoris: qui ab ineunte ætate, omni uirtutum genere excultus, primum Lirinenſis monaſterij pater; deinde Regij epiſcopus factus, miraculis clarus, quieuit in Domino. Nouiomi, ſancti Acharij epiſcopi, et confeſſoris.*

c. Quarto calendas Decembris. Luna.

15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	4
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

28. *Corinthi, ſancti Soſthenis. Is fuit unus e ſeptuaginta diſcipulis: cuius aliquando mentio eſt in ſacris litteris. Romæ ſancti Rufi martyris: quem Diocletianus Cæſar, una cum tota familia pro* CHRISTI *fide fortiter dimicantem, con-*

trucidari iuſsit. Romæ item, ſancti Gregorij papæ Tertij: qui, Romæ ſynodo habita, Leonem Imperatorem, ſacras imagines oppugnantem, damnauit: baſilicas Romanas multis ornamentis, auro, et argento confectis, exornauit: earum tecta reſtituit: templa multa exædificauit: cœmiteria inſtaurauit, ac donis auxit: Diaconias addidit: multa pro Eccleſia Dei ſancte religioſeq. egit. uir fuit diuinarum litterarum ſcientia eruditus, et ſanctitate præclarus, multisq. meritis cumulatus, ad præmium euolauit in cælum. Conſtantinopoli, ſanctorum martyrum, Stephani, Petri, et Andreæ: qui apud Conſtantinum, ſacrarum imaginum cultui infenſiſsimum aduerſarium, eo nomine accuſati, quòd illas uenerarentur; primum uarijs excruciantur ſupplicijs; deinde, uarie necati, datis ueræ pietatis præclaris teſtimonijs, martyrio coronantur. In Africa, ſanctorum martyrum, Papinij, et Manſueti, epiſcoporum: qui, in Vandalica perſecutione, pro catholica fide, candentibus laminis aduſti, forti, conſtantiq. animo, martyrij curſum confecerunt. quo ipſo tempore, Quoduultdeus, Valerianus, Vrbanus, Creſcens, Euſtochius, Creſconius, Creſcentianus, Felix, Hortulanus, et Florentianus, acerrimi catholicæ religionis propugnatores, in exilium pulſi, ac multis iniurijs affecti ab Eccleſiæ aduerſarijs, quieuerunt in Domino.

Tertio calendas Decembris. Luna. xvi. D.

16 27 8 19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 5
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli. Romæ, beatiſsimorum 29.
martyrum, Saturnini, et Siſinij: quos, Maximiano Impe-

ratore, urbis præfectus, primum æquuleo torqueri; deinde fuſtibus, et ſcorpionibus cædi; tum facibus ardentibus aduri; poſtremo capite obtruncari iuſſit. Tholoſæ in Gallia, ſancti Saturnini item martyris; qui ab infidelibus in capitolio illius urbis incluſus, e ſumma arce per omnes gradus præceps deiectus, confracto capite; excuſſo cerebro, laniato toto corpore, animam Deo reddidit. Ancyræ in Galatia, ſancti Philomeni martyris; qui, Aureliano Imperatore, chriſtianæ religionis cauſa uinctus, ſiſtitur illius urbis præfecto: apud quem cum de Deo uno, eoq. omnium creatore libere, grauiterq. diceret, confixis manibus, et pedibus contunditur ſcipionibus: deinde e ligno depoſitus, in feruidum conijcitur furnum: ſed nihil Dei munere offenſus, traiectis iterum manibus, pedibus, et capite clauis, contento curſu conficere ſtadia triginta cogitur. quo cruciatu diuturno confectus, Deo, cuius cauſa tanto perfunctus erat martyrio, ſpiritum reddidit. In Aegypto, ſancti Ammonis abbatis, religioſiſsimi uiri: cuius animam ſanctus Antonius ab angelorum choro, in cælos ferri uidit. Traiecti, ſancti Rutholdi epiſcopi, et confeſſoris.

v. E. Pridie calendas Decembris. Luna.

7 28 9 20 1 12 23 4 15 26 7 18 20 10 21 2 13 24 6
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

30. *Sancti Andreæ Apoſtoli. Is Bethſaidæ in Gallilea natus, frater beati Petri Apoſtoli maior, primum Ioannis Baptiſtæ diſcipulus, deinde cum Petro fratre a* CHRISTO *Domino uocatus, relictis retibus, eum ſecutus eſt. Poſt cuius aſcenſionem, cum maritimas Bithyniæ partes, Pontum, Thraciam,*

ciam, Epirum, Peloponeſſum peragrando, fidem ubique prædicaſſet, ad urbem Patras denique uenit: ubi Aegeam proconſulem, euangelicæ ueritati reſiſtentem, liberrime increpauit. quamobrem comprehenſus Apoſtolus, primo in carcerem truditur; poſt grauiſſime cæditur; poſtremo cruci affigitur: in qua biduum uiuus pendens, et CHRISTI *fidem prædicare nunquam intermittens, ad eum migrauit, cuius mortis ſimilitudinem concupierat. Romæ, ſanctorum martyrum, Caſtuli, et Eprepti. Romæ item, ſanctæ Iuſtinæ uirginis, et martyris. Apud Sanctonas, ſancti Troiani epiſcopi, et confeſſoris; admirandæ uirtutis uiri: qui in terris ſepultus, in cælis ſe uiuere, magnis uirtutibus oſtendit. Mediolani, Baptiſmus ſancti Ambroſij epiſcopi.*

DECEMBER.

Calendis Decembris. Luna. F.

18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	8	19	30	11	22	3	14	25	7
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

R*OMAE, ſanctorum martyrum, Diodori presbyteri, et Mariani diaconi, et aliorum complurium: qui, dum Numerianum fidei aduerſarium,* CHRISTI *confeſſione ſuperarunt, coronam nobili martyrio promeruerunt. Romæ item, beatorum martyrum, Candidæ, Lucij, Rogati, et Caſsiani. Senis, ſancti Anſani martyris. Hic, ueræ diuinæq. pietatis athleta, in grauiſsima illa, per Diocletianum, et Maximianum exci-* Die 1.

tata perſecutionis tempeſtate, ad Lyſiam proconſulem productus, conſtanti fidei teſtimonio, martyrij calicem bibit. In Græcia, ſancti Ananiæ martyris: qui fidei cauſa comprehenſus; et uſque ad necem uirgis ita cæſus, ut uix reſpiraret; ſublatis in cælum oculis, ſancte precando, animam Deo reddidit. Narniæ, ſancti Proculi epiſcopi, et martyris: qui, Totila Gothorum rege, ob catholicam fidem uarie exagitatus, demum admiranda uirtute martyrij certamen confecit. Mediolani, ſancti Caſtritiani epiſcopi, et confeſſoris: qui, in paſtoralem curam ſumma uigilantia incumbens, quæcumque, ingraueſcente Domitiani perſecutione, collapſa erant, Mediolani reſtituere contendit. Philippi, nobilis uiri, ædes, quas dono acceperat, Deo in eccleſiam dicauit. Baſilicas præterea duas, unam Portianam, alteram Fauſtinianam, conſecrauit, translatis ſanctorum martyrum, Vitalis, et Agricolæ, reliquijs. His, atque alijs pie geſtis rebus, cum unum, et quatraginta annos eccleſiam Mediolanenſem, in ſumma perſecutionum tempeſtate, gubernaſſet, multis pro Dei religione laboribus, et certaminibus perfunctus, abijt ad Dominum. Brixiæ, ſancti Vrſicini epiſcopi, et confeſſoris. Hic ſanctiſſimo uiro Apollonio, qui illius ciuitatis epiſcopus quintus numeratur, ſuccedens, propoſita eius religioſarum uirtutum imitatione, Chriſtianæ fidei cultum mirifice in ciuitate Brixienſi excitauit. Nouiomi, ſancti Eligij epiſcopi, et confeſſoris: cuius admirabilem uitæ ſanctitatem miracula declarant; quæ multa ab eo diuinitus edita, libris duobus, Audoenus, Rothomagenſis epiſcopus, conſcripſit. Hoc ipſo die, ſancti Euaſij epiſcopi, et confeſſoris.

Quarto

Quarto nonas Decembris. Luna. xiii. G.

19 11 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 8
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctæ Bibianæ martyris: quæ, Iuliani Apoſtatæ iuſſu, pumblatis horribilem in modum, atque uſque adeo cæſa eſt, quoad ſpiritum Deo reddidit. Romæ item, beatiſsimorum martyrum, Pontiani, Priminij, Dimetri, et Iubiani. In Mauritania, ſanctorum, Seueri, Securi, Ianuarij, et Victorini, martyrum. In Græcia, ſancti Abibæ diaconi, et martyris. Hic, Licinio tyranno, omnes, ad ſe accedentes, uerbo ueritatis cum inſtitueret; ob eam cauſam illius iuſſo comprehenſus, teterrime torquetur; tum in fornacem iniectus, magno animi gladio ad Dei laudes canendas attentus, abijt in cælum. In foro Cornelij, ſancti Petri epiſcopi, et confeſſoris. Is, innocentia uitæ, et doctrina præſtans, diuino admonitu, a Xyſto Tertio, pontifice epiſcopus Rauennæ creatus, tale munus, quod inuitus ſuſceperat, decem ipſos annos geſsit magno uirtutum epiſcopalium ſplendore, ac præclara ſanctitatis teſtificatione, doctrinæq. ſacræ, tum diuinæ eloquentiæ, unde Chryſologi nomen inuenit, laude: quæ et in concionibus, et in libro, quem Leonis Magni, pontificis auctoritate contra Eutychem hæreticum ſcripſit, mirifice elucet. Brixiæ, ſancti Euaſij epiſcopi, et confeſſoris. Veronæ, ſancti Lupi epiſcopi: qui admirabili pietate, ac doctrina excultus, epiſcopatu ſumma cum laude ſanctitatis adminiſtrato, quieuit in Domino. 2.

Tertio

A. Tertio nonas Decembris. Luna.

20	1	12	23	4	15	26	7	18	29	10	21	2	13	24	5	16	27	9
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

3. *Romæ, ſanctorum martyrum, Claudij tribuni; Hilariæ coniugis, Iaſonis, et Mauri, filiorum, et aliorum ſeptuaginta militum; qui, Chriſanti, et Dariæ, martyrum exemplo, diuinaq. ope, ac munere in primis ad fidem perducti, conſtantiſſimo animo in* CHRISTI *Domini confeſſione perſeuerantes, iam immanibus exantlatis cruciamentis, demum præciſis ceruicibus, ad palmam martyrij pari religionis ardore perueniunt. Claudius autem, alligato ad collum ſaxo, in mare præceps deiectus, itidem coronatur. Tingi in Mauritania, ſancti Caſſiani martyris; qui ne in Chriſtianos homines crudelitate uteretur, exceptoris officio depoſito, ob* CHRISTI *fidem, quam, ſpiritus diuini lumine colluſtratus, ardenti ſtudio ſuſceperat, unà cum illis necatus, martyrij præmium cæleſte conſequitur. In Nicomedia beatorum martyrum, Ambici, Victoris, et Iulij. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Theodori epiſcopi, et martyris. Alexandrinus enim populus, maxime omnium crudele chriſtiano nomini bellum infeſto diu odio intulit. quare plurimi in ea urbe extiterunt martyres: in quorum numero eſt Theodorus epiſcopus. Hic cum eam, quam ipſe profitebatur,* CHRISTI *fidem paſſim omnibus prædicando, ad Dei cultum infideles à dementi, impuraq. ſuperſtitione conuerteret; facto Alexandrinorum concurſu, atque furenti impetu comprehenſus, horrendum in modum cæditur: deinde contexta ſpinis corona, in caput adacta, oculisq. grauiter contuſis, per iocum*

uulgo

uulgo irridetur. Poſt rurſus uinctus, in mare proijcitur: unde incolumis ope diuina cum extitiſſet, iuſſu præfecti, capitis damnatus, commemorabili chriſtianæ pietatis uirtute, datis pro Christo *ceruicibus, ad martyrij palmam migrat in cælum. In Africa, ſanctorum, Claudij, Criſpini, Maginæ, Ioannis, et Stephani, martyrum. In Pannonia, ſancti Agricolæ martyris. Mediolani, ſancti Mirocletis epiſcopi, et confeſſoris: cuius aliquando ſanctus Ambroſius meminit. Dorceſtriæ in Anglia, ſancti Birini epiſcopi, et confeſſoris: qui ab Honorio pontifice legatus, ad eam inſulam miſſus,* rege *ab idolorum cultu, ad chriſtianam religionem reuocato, declarataq. poſt obitum miraculis multis eius ſanctitate, relatus eſt in ſanctorum numerum. Hoc ipſo die, Sophoniæ prophetæ.*

Pridie nonas Decembris. Luna. x. B.

21 3 13 24 5 16 27 8 19 1 11 22 3 14 25 6 17 28 10
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Nicomediæ, ſanctæ Barbaræ uirginis, et martyris: quæ, pro 4.
fidei chriſtianæ propugnatione, ad durum crudelemq. iudicem, patre impio procurante, producta, cum in eius animo altiſſimis defixa pietatis radicibus chriſtiana uirtus ineſſet, non terroribus, non ui, non promiſſis, non ſpe, non facibus, non ullis denique tormentorum machinis, e piæ mentis gradu depulſa: ſed Christi *armatura uirgo induta, cæleſti animi robore cum contra omnes cruciatus uim chriſtianæ religionis declaraſſet; demum ab impio patre, ſecuri percuſſa, multis uirtutibus, et miraculorum gloria illuſtris, ad duplicatum uirginitatis, et martyrij præmium abijt in cælum. Romæ, beatiſſimorum*

marty-

martyrum, Symphronij, et Olympij: qui, Valeriano, et Galieno, Imperatoribus, pro CHRISTI confeſſione certo acerbiſſimæ mortis ſupplicio propoſito, non deterriti; uerum chriſtianæ uirtutis magnitudine, et conſtantia roborati, ſuperata cruciamentorum immanitate, neci tandem obiecti, martyrij coronam acceperunt. In Ponto, ſancti Meletij epiſcopi, et confeſſoris. Hic doctrinarum laude clarus, tum uirtutibus, quæ magno cum ſplendore in illius uita elucebant, ac ſanctitate inprimis longe illuſtrior fuit. Alexandriæ, ſancti Clementis presbyteri: qui, Panteni martyris opera in ſacris litteris uerſatus, illarum ſcientia maxime floruit. Parmæ, ſancti Bernardi epiſcopi, et confeſſoris. Coloniæ, ſancti Annonis epiſcopi.

C. Nonis Decembris. Luna.

22 4 14 25 6 17 28 9 20 2 12 23 4 15 26 7 18 29 11

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

5. Nicomediæ in Bithynia, ſanctorum martyrum, Trophimi, et Eucharionis: qui in Deciana perſecutione, Martiani præſidis iuſſo, graues cruciatus perpeſſi, præclaris confeſſionibus fidei in CHRISTVM inſigniter nobilitati, demum, nece obita, martyrio coronantur. Niceæ in Bythinia item, ſancti Baſſi epiſcopi: qui in magno eiuſdem perſecutionis impetu, pro uero chriſtianæ religionis cultu, quem ſermonibus profeſſus eſt, et tormentis, quæ fortiter ſuſtinuit, et profuſo ſanguine, aſſeueranter teſtificatus, martyrij palmam conſequitur. In Africa, ſanctæ Criſpinæ martyris. Hæc in Diocletiani, et Maximiani perſecutione, cultum falſis dijs cum tribuere conſtanter

ter

ter plane recuſaret; Anolini proconſulis iuſſu, capite plectitur: in cuius martyrij anniuerſaria celebritate, ſanctus Auguſtinus pſalmum decimum tertium populo explicauit. Tauchiræ in Africa, ſanctorum martyrum, Criſpini, Felicis, Iulij, Potamiæ, Grati, et ſociorum ſeptem. Pedona in regione, ſancti Dalmatij martyris: qui doctrina, uitaq. exemplis cum multos ab impietatis tenebris, ad fidei lumen perduxerit: tum grauibus pro CHRISTO *tormentis exhauſtis, ac nece, quam gaudenti animo ſubijt, omnibus perhibuit teſtimonium chriſtianæ fidei. Papiæ, ſancti Criſpini epiſcopi, et confeſſoris: cuius multis in rebus ſpectata eſt doctrina, et ſanctitas. In Cappadocia, ſancti Sabæ abbatis. Hic nobili genere natus, ut primum e pueris exceſſit, repudiatis paternis bonis omnibus, in monaſterium ſe contulit: ubi monachus factus, quantum ætate procedebat, tantum ad omnem uirtutis uiam progrediebatur: poſt abbas creatus, monachorum cura pie adminiſtrata, ſanctis uirtutibus, et miraculis prælucens, totus contemplationi deditus, quieuit in Domino.*

Octauo idus Decembris. Luna. xviii. D.

23	5	15	26	7	18	29	10	21	3	13	24	5	16	27	8	19	1	12
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Sancti Nicolai epiſcopi, et confeſſoris. Is adoleſcens, parentibus orbatus, patrimonium pauperibus in eleemoſynam contulit. Deinde Myreæ epiſcopus, Dei admonitu factus, in eo munere gerendo caſtitatem, quam perpetuo coluit, grauitatem, orationis aſſiduitatem, uigilias, abſtinentiam, liberalitatem, hoſpitalitatem, in adhortando manſuetudinem, in re- 6.

hendendo ſeueritatem ſemper adhibuit. Viduis, et orphanis, pecunia, conſilio, opera non defuit: oppreſſos ſubleuauit: In Diocletiani, et Maximiani perſecutione, ob catholicam fidem ab Imperatorum ſatellitibus comprehenſus, et longiſſime in carcerem adductus, ibi fuit uſque ad Conſtantinum Cæſarem: cuius iuſſu e cuſtodia ereptus, Myream rediјt; mox ad Nicænum concilium ſe contulit: inde, dannata hæreſi Ariana, reuerſus ad epiſcopatum, non multo poſt, miraculorũ multitudine, et ſanctitate clarus, migrauit ad cæleſtem patriam. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Macharij martyris, Decio Imperatore, egregia pro fidei CHRISTI *dimicatione nobilitati. In Africa, ſanctarum uirginum, Dionyſiæ, Datiuæ, Leontiæ; et ſanctorum præterea, Aemiliani, Tertij, Bonifacij, Seruilij, Victoris, et Maiorij: qui omnes, in perſecutione Vandalica, ob catholicam fidem teterrimis excruciati tormentis, in confeſſorum numero adſcripti ſunt.*

vii. E. Septimo idus Decembris. Luna.

24	6	16	27	8	19	1	11	22	4	14	25	6	17	28	9	20	2	13
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

7. *Mediolani, Ordinatio ſancti Ambroſii epiſcopi: qui, diuino admonitu, epiſcopus declaratus, animo cum eſſet ſimplici, et aperto, tum magno etiam, atque excelſo, præſertim diuinæ pietatis zelo motus, ita ſe geſſit, ut patrum, et latinorum, et græcorum, qui etiam illius tunc feſtum diem celebrant, iudicio, illius ſanctitate, et doctrinæ ſplendore uniuerſa illuſtretur eccleſia. Alexandriæ in Aegypto, ſancti Agathonis martyris. Hic, Decio Imperatore, cum præſto eſſet ſanctis hominibus,*

minibus, pro Christo *Domino dimicantibus; prohiberetq. ne a quibuſdam martyrum corpora, iniurioſius tractarentur; uulgi clamore ſublato, in iudicium raptus; chriſtianæ fidei uirtute roboratus, poſt multas in tormentis quæſtiones, perpetuo ſibi in religionis propoſito conſtans, demum, capite obtruncato, coronatur. Apud Baiocas in Gallia, ſancti Genebaldi epiſcopi, et confeſſoris: ſanctæ Faræ item uirginis. Apud ſanctonas, ſancti Martini abbatis: ad cuius ſepulcrum creberrima diuinitus fiunt miracula. Hoc ipſo die Octaua ſancti Andreæ Apoſtoli.*

Sexto idus Decembris. Luna: F.

25 7 17 28 9 20 2 12 23 5 15 26 7 18 29 10 21 3 14
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Conceptio beatiſſimæ uirginis Mariæ, Dei genitricis. 8.
Romæ, uia appia, ſancti Eutychiani papæ, et martyris. Hic cum multa pro eccleſia Dei grauiter ſancteq. conſtituerit; tum martyres trecentos, et quatraginta duos manu ſua ſepeliſſe traditur. Demum is, in Aureliani perſecutione, martyrio coronatur. In Meſopotamia Syriæ, ſancti Athenodori martyris: qui, Diocletiano Imperatore, chriſtianæ religionis accuſatus, primo ad duas columnas alligatus, candentibus aduritur facibus: deinde globulis ferreis ignitis, in humeros contortis, tetre percutitur: poſt in boue æneo, ſubiecta flamma, includitur. E quibus ſupplicijs, ope diuina, mirandum in modum liberatus, ad Christi *fidem omnes, qui aderant, conuertit: quamobrem præfectus, qui propterea iratior factus erat, gladio martyrem feriri iubet. Carnifex igitur, eo diſtricto,*

ceruici imminebat ; cum manus,quæ collum petebat , repente ab humeris auulſa,reliquos omnes à cæde ſancti deterruit: qui tamen præclari martyrij curſum ſumma conſtantia confecit. Treueris , ſancti Eucharij epiſcopi : Is, beati Petri , Apoſtolorum principis, diſcipulus , ab urbe Roma, in Galliam, Germaniamq. prædicationis euãgelicæ cauſa ab eo miſſus, primus Treuerenſium epiſcopus factus , cum à tenebris impiæ ſuperſtitionis , ad fidei chriſtianæ lucem perduxiſſet, in pace confeſſor Domini obdormiuit . Veronæ, ſancti Zenonis epiſcopi : cuius dies natalis , ut ſupra narratum eſt, pridie idus Aprilis agitur : hodie conſecratio celebratur. In monaſterio Luxouienſi , ſancti Romarici abbatis, et confeſſoris.

xv. G. Quinto idus Decembris. Luna.

26	8	18	29	10	21	3	13	24	6	16	27	8	19	1	11	22	4	15
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

9. Toleti in Hiſpania, ſancta Leocadiæ uirginis : quæ, Aureliano Imperatore, a Datiano præfecto, Toleti in cuſtodiam incluſa, ibiq. grauiter affecta , cum ſanctæ Eulaliæ , reliquorumq. martyrum cruciamenta audiſſet ; genibus flexis orando, ſpiritum Deo reddidit . In Africa, beatorum martyrum, Petri, Succeſſi, et Baſſiani . Aruernis in Gallia, ſancti Neſtorij presbyteri, beati Petri, Apoſtolorum principis, diſcipuli . Apud Lemouicas , ſanctæ Valeriæ uirginis , et martyris : cuius beatus Martialis in epiſtola, ad Toloſanos ſcripta , meminit . Papiæ, ſancti Syri epiſcopi, et confeſſoris: qui primus illius urbis epiſcopus, populum uniuerſum, hoc maxime expetentem, ut ſalutaribus uitæ præceptis informaretur, ab impie-

taiis

tatis erroribus ad Chriſti fidem conuertit. Peragratis autem prædicationis cauſa compluribus Italiæ urbibus, cum et ſanctè, et admirabiliter plurima geſſiſſet; meritorum laude clarus, ad præmium abijt in cælum. In Gallia, Petragorijs, ſancti Cypriani abbatis, admirandæ ſanctitatis uiri, omniumq. religioſarum uirtutum laudæ præſtantis: Veronæ, ſancti Proculi epiſcopi, et confeſſoris; cuius dies feſtus etiam agitur decimo calendas Aprilis. Hic, illius ciuitatis epiſcopus quartus, in perſecutione, quam Mediolani teterrimam Maximinus excitarat; martyrij deſiderio exardeſcens, ſanctis uiris, Firmo, et Ruſtico, fidei cauſa in uincula coniectis, ſe quoque Chriſtianum eſſe, libera conſtantiq. uoce affirmabat. Sed non aſſecutus, quod perpetuo expetierat, ut martyrio ex hac uita migraret; nihil tamen, quod pro C H R I S T I *gloria epiſcopo accidere poſſet, intolerandum cum putaret; in peregrinatione Hieroſolymitana, forti animo multa perpeſſus, Veronam demum redijt: ubi abſtinentia, orationibus, aſſiduiſq. uigilijs confectus, quieuit in Domino, uirtutibus, et miraculis clarus.*

Quarto idus Decembris. **Luna.** iiii. A.

27	9	19	1	11	22	4	14	25	7	17	28	9	20	1	12	23	5	16
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſancti Militiadis papæ, et martyris: qui ſanctitate, 10.
et ſcientia prælucens, Maxentij, Licinij, et Maximini temporibus, eccleſiæ Dei præfuit: qua religioſe adminiſtrata, tandem Maximini iuſſu, martyrio coronatus, ſepelitur uia Appia, in cœmiterio Calixti. Spoleti ſanctorum martyrum, Carpophori presbyteri, et Abundij diaconi: qui perſecutionis

Diocle-

Diocletianæ temporibus, Martiani præſidis decreto, primum fuſtibus cæſi; deinde in carcerem ſine cibo, et potu, incluſi; diuq. uinculis conſtricti, tum rurſus equuleo torti, poſtremò ſecuri percuſſi ſunt. Emertitæ in Hiſpaniæ ſanctæ Eulaliæ uirginis, et martyris. Hæc, treſdecim annos nata, ob Chriſti fidem, Datiani præfecti iuſſu, in illa ipſa perſecutione, multis affecta ſupplicijs, demum unguibus ferreis excarnificata, facibus ſemiuſtulata, hauſto igne, martyrij curſum confecit. In qua item urbe, ſanctæ Eulaliæ uirginis: quæ beatæ illi martyri; eiuſdem certaminis, et gloriæ conſors, ac ſocia fuit. In Græcia, ſanctorum martyrum, Menæ, et Hermogenis. Cum enim Alexandriæ res quædam in diſceptationem uocarentur, miſſus eò ab Imperatore Maximiano Menas, qui de hiſce rebus tranſigeret; ut ijs, qui et ſapientia, et eloquentia plurimum poſſet, ſedata omni controuerſia; chriſtianos promptiores, erectioreſq. reddidit; et eos, qui morbo aliquo laborarent, mirabiliter curauit. Qua quidem re cognita, Imperator mandauit Hermogeni, ut omni cruciamentorũ acerbitate ſtuderet Menam a Chriſtiana fide ad gentilium ſacra traducere. Exequitur ille diligenter mandata; Menæ, et oculos effodit, et linguam præcidit. At Dei beneficio reſtitutis occulis, ac lingua martyri, credidit ipſe Hermogenes; a Menaq. baptizatus, epiſcopus creatur ab ijs, qui conuenerant, epiſcopis. Id ubi imperator cognouit; illos unà cum notario, fidem amplexo, occidi iuſſit. Viennæ, ſancti Sindulphi epiſcopi, et confeſſoris.

Ter-

Tertio idus Decembris. Luna. B.

28 10 20 12 2 23 5 15 26 8 18 29 10 21 3 13 24 6 17
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Damaſi papæ. Is, concilio Conſtantinopolitano primo indicto, nefariam Eunomij, et Macedonij hæreſim extinxit: Ariminenſem conuentum condemnauit: Baſilicas duas ædiſicauit, alteram ſancti Laurentij ad theatrum Pompeij, alteram uia ardeatina ad Catacumbas. His, atque adeo multis rebus, ſancte geſtis, cum ad eccleſiæ gubernacula ſediſset annos decem, et octo, menſes tres, dies undecim, uirtute, doctrina, et prudentia clarus, obdormiuit in Domino. Romæ item, ſanctorum martyrum, Pontiani, Prætextati, et Tarſonis: Hic, opibus circumfluens, chriſtianis hominibus, qui fidei cauſa in uinculis eſsent, uictum pie ſuppeditabat. Cuius rei nomine accuſatus, Maximiani iuſsu una cum ijs ſocijs duobus comprehenditur. Quamobrem pro Chriſti confeſſione hic, et illi uarie excruciati, demum fortiter nece obita, martyrij palmam tulerunt. Ambiani, ſanctorum martyrum, Victorici, et Fuſciani: in quorum nares, et aures Rictiouarus, præfectus ſudes ferreas immiti iuſſit, tum clauis candentibus tempora transfigi, deinde oculos erui, poſt confodi corpora, poſtremò caput abſcindi una cum beato Gentiano, eorum hoſpite. In Perſia, ſanctorum martyrum, Apſei, et Athalæ. Hic, morbo affectus, cum in eam ſpem ueniſset, ut ſi aliquem chriſtianorum epiſcopum adhiberet, ſtatim curaretur; idq. ſibi ex animi ſententia cecidiſset, Christi *fidem amplexus eſt, reuerſuſq. in patriam, hoc maximopere ſtudebat, ut propinquos* II.

quos

quos ad chriſtianam religionem perduceret. Comprehenſus igitur a præfecto, abſciſſis manibus, in uincula conijcitur. Deinde cum Apſeo diacono, uerberibus affecto, mittitur ad magorum principem. Sicq. ambo. introducti ad regem, cum a propoſito dimoueri non poßent, nobili martyrio illuſtres, ad præmium cæleſte commigrant. In Hiſpania, ſancti Eutycij: cuius admirabiliter, ſancteq. facta, litteris prodita, extant. Placentiæ, ſancti Sabini epiſcopi, et confeßoris: de quo item alio loco in martyrologium relatum eſt.

xii. C. Pridie idus Decembris. Luna.

29	11	21	3	13	24	6	16	27	9	19	1	11	22	4	14	25	7	18
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

12. Narbonæ in Gallia, ſancti Pauli Sergij, qui illius urbis epiſcopus, a beato Apoſtolo Paulo creatus; deinde in Hiſpaniam cum eodem profectus, euangelicæ prædicationis munere in ea prouincia ſancte perfunctus, miraculis clarus, quieuit in Domino. Alexandriæ, ſanctorum martyrum, Epimachi, et Alexandri. Ii, Decio Imperatore diu in uinculis cum fuiſſent; uarieq. et grauiter cruciati, ſummam in fide conſtantiam præſtitißent, demum combuſti, ſempiterna martyrij gloria perfruuntur. Alexandriæ item, ſanctarum, Ammonariæ, Mercuriæ, Dionyſiæ, et alterius Ammonariæ, martyrum: quæ, in illa ipſa Deciana perſecutione, quo fortiores pro fidei confeſſione ſe præbuerunt, eò uehementius ira iudex ardens, exquiſita tormenta adhibuit, quibus illæ necarentur. at ijs cæleſti uirtute ſuperatis omnibus, tandem gladio percußæ, martyrij corona donantur. Romæ, ſancti Synetij martyris.

Hic

Hic ab ineunte ætate ſacris litteris imbutus, lector deinde factus, præclare in chriſtianæ religionis præceptis tradendis ſe geſſit, non ſine magno idolorum contemptu. Quare ad Aurelianum imperatorem delatus, comprehenſusq. cum nulla tormentorum acerbitate, quibus uariè excruciatus fuerat, a uera certaq. de CHRISTO *ſententia deterreri poſſet, capitis damnatus, ad martyrij præmium abijt in cælum. Alexandriæ item, beatorum martyrum, Hermogenis, Donati, et aliorum uiginti duo. In Pago Vimacenſi, ſancti Vualerici presbyteri, et confeſſoris.*

Idibus Decembris. Luna. i. D.

3 11 2 22 4 14 25 7 17 28 10 20 1 12 23 5 15 26 8 19

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sanctæ Luciæ uirginis, et martyris: quæ Syracuſis nata, genere, et chriſtiana fide nobilis, pice, reſina, atque oleo feruenti perfuſa, at Dei beneficio non læſa tamen; poſtea multis excruciata tormentis, præciſo gutture, præclara cum fidei teſtificatione, ſpiritum Deo reddidit. In Græcia, ſanctorum martyrum, Euſtratij, Eugenij, et Mardarij. Hic perſecutionis Diocletianæ excitato ubique terrarum incendio, nullis non tentatus ſupplicijs, ut a chriſtiana religione diſciſceret, cum illud tantum identidem ſæpe repeteret, libereq. profiteretur, ſe chriſtianum eſſe; tandem perforatis talis, ſublimibuſq. pedibus, ac membris poſterioribus, in ignem poſitus, martyrio pro gloria Chriſti coronatur. Porrò Eugenius, primum lingua, et manibus præciſis, deinde cruribus confractis, aſſeuerãter Chriſti fidem teſtificatus, per martyrium migrauit ad Dominum. 13.

num. Euſtratius deniquc, indignis laceratus modis, ac ſexcentis affectus ſupplicijs, poſtremo in caminum demiſſus, præclaris fidei confeſſionibus inſigniter nobilitatus, illuſtri martyrio coronatur. Cameraci, ſancti Autberti epiſcopi, et confeſſoris; qui omni pietate in Chriſto adhereſcens, propagandæ religionis deſiderio ita exarſit, ut cum multos, ad ſancte agendi ſtudium, tum Hannoniam prouinciam ad fidem Chriſti ſuſcipiendam plane inflammarit. Rauennæ, ſanctorum confeſſorum, Leucadij, et Vrſonij.

E. Decimo nono cal. Ianuarij. Luna.

2 13 23 5 15 26 8 18 29 11 21 3 13 24 6 16 27 9 20
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

14. *Alexandriæ, beatiſſimorum martyrum, Arſenij, Iſidori, et Dioſcori pueri; quos in Decij perſecutione uarie cruciatos, demum iudex comburi iuſſit. At Dioſcorus multiplici ſuppliciorum genere affectus, diuina ope mirabiliter e morte ereptus eſt. Thebis, ſanctorum martyrum, Philemonis, Apollonij, et ſociorum triginta: quos, in fide tuenda conſtantes, Diocletianus Imperator, exquiſitis ſupplicijs uarie tortos, demum culeis inſutos, in mare deijci mandauit. Antiochiæ, ſanctorum, Druſi, Socini, et Theodori, martyrum. Aſcalone, ſanctorum, Aris, Promi, et Eliæ: quorum primus ob fidei confeſſionem in rogum coniectus; reliqui duo ſecuri percuſſi, egregie, ac præclare martyrium ſubierunt. Remis, ſancti Nicaſij epiſcopi, et martyris: qui, Vandalicæ perſecutionis facibus accenſis, catholicæ fidei defenſor acerrimus, in Baſilica Remenſi ſacris confectis, ab eccleſiæ hoſtibus capite plectitur. Sanctæ*

item

item Eutropiæ uirginis, ſororis beati martyris Nicaſij; Bergomi, ſancti Viatoris epiſcopi: qui Narno, illius ciuitatis epiſcopo primo ſuccedens, Bergomatem populum chriſtianæ religionis inſtitutis uehementer conformauit. Papiæ, ſancti Pompeij epiſcopi, beati Syri ſucceſſoris. In Cypro inſula, ſancti Spiridionis epiſcopi; qui fuit unus ex ijs confeſſoribus, qui dextero oculo eruto, et ſiniſtro poplite ſucciſo, ad metallũ relegati ſunt. Hic propheticam uitam cum ageret, miraculorum etiam uirtute clarus extitit. Neapoli, ſancti Agnelli abbatis. Rauennæ ſancti Vrſicini epiſcopi, ſumma uiri innocentia, ac religione. Viennæ, ſancti Lupicini epiſcopi, et confeſſoris. Mediolani, ſancti Matroniani hæremitæ, et confeſſoris.

Decimooctauo cal. Ianuarij. Luna. xi. F.

3	14	24	6	16	27	9	19	1	12	22	4	14	25	7	17	28	10	21
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Romæ, ſanctorum martyrum, Irenæi, Antonij, Theodori, Saturnini, Victoris, et ſociorum ſeptemdecim: qui Valeriano Imperatore, tormentis eximie nobilitati, præclaris in omni cruciatu teſtimonij fidei datis, demum cæleſtibus coronis, martyrij curſu confecto, donantur. 15. Romæ item ſancti Eleutherij martyris. Hic ineunte ætate a matre imbuitur Christi fide, quam ab ſancto Paulo Apoſtolo illam didicerat: deinde chriſtianorum litteris a beatiſſimo Aniceto pontifice inſtitutus, poſt, clericatu, diaconatu, et presbyteratu perfunctus, in Adriani perſecutione comprehenditur: ob fideiq. conſtantiam grauiſſime tortus, in ardentem furnum detruditur, ſed egreſ-

ſus incolumis, præfectum traxit ad fidem: qui etiam ipſe illæſus, ultro citroq. commeans, ad CHRISTVM perduxit. Quare poſtea, et Eleutherius, a carnificibus fœde conciſus, et is ſecuri percuſſus, martyrij nobilis corona uterque redimitus eſt. Sanctorum præterea martyrum; Fauſtini, Lucij, Candidi, Cæliani, Marci, Ianuarij, et Fortunati. In Africa, ſancti Valeriani epiſcopi. Is octoginta, et amplius annos natus, in Vandalorum perſecutione, ſolus ab urbe eiectus, omniq. hoſpitio prohibitus edicto Genſrici regis; in uia publica ſub die iacens; catholicæ eccleſiæ propugnator egregius, multis calamitatibus afflictatus, reliquæ uitæ curſum ſumma tolerantia, ſanctitatiſq. teſtificatione confecit. In diœceſi Aurelianenſi, ſancti Maximini confeſſoris.

¶ G. Decimoſeptimo cal. Ian. Luna.

4 15 25 7 17 28 10 20 2 13 25 5 15 26 8 18 29 11 22
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

16. Trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, et Miſaelis: quorum corpora Babyloniæ recondita ſunt in ſpecu quodam. Rauennæ, ſanctorum martyrum, Valentini, Concordij filij, Noualis, et Agricolæ, ſociorum: qui ob CHRISTVM Dominum acerbiſſime necati, coronantur. In Græcia, ſancti Martini martyris: qui illuſtri loco natus, integra iam ætate, fidei chriſtianæ cauſa comprehenſus, in equuleum raptus, gladijs laceratur; igne peruritur; ſartagine torretur; teterrimiſq. beſtijs obiectatur. A quibus periculis diuinitus ereptus, cum in fidei confeſſione perſiſteret, conſtanti, immenſoq. charitatis ardore, demum capitis damnatus, datis fortiter ceruicibus, animam

Deo reddidit. In Thuſcia, ſanctæ Barbaræ uirginis, de qua alio loco ſcriptum eſt. Gazæ in Syria, beatorum martyrum, Floriani, Calanici, et aliorum quatraginta: qui in Sarracenorum perſecutione martyrium pertulerunt, Heraclio Imperatore. Viennæ, ſancti Adonis epiſcopi, et confeſſoris. Veronæ, ſancti Luperij epiſcopis. Is et multiplici rerum cognitione præſtans, et ad eos, qui in egeſtate uerſabantur, plena paternaq. manu ſubleuandos propenſus, illis temporibus, egentium parens habitus eſt. In Hibernia, ſancti Beani epiſcopi, et confeſſoris. 8 1

Decimo ſexto cal. Ianuarij. Luna. xvii. B.

5	16	26	8	18	29	11	21	3	14	24	6	16	27	9	19	1	12	23
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Maſſiliæ in Gallia, ſancti Lazari epiſcopi. Hic patre Syro, matre Eucharia, e tribu Iuda natus, Marthæ, et Mariæ Magdalenæ frater, unus e ſeptuaginta diſcipulis, a CHRISTO IESV e mortuis ad uitam reuocatus, Tiberio Cæſare Auguſto, Maſſiliæ epiſcopus factus, illa eccleſia, cui annos undecim præfuit, ſancte adminiſtrata, meritorum laude clarus, quieuit in Domino. Antiochiæ, trnaslatio ſancti Ignatij epiſcopi, et martyris, qui Romæ martyrio coronatus, inde ad illam urbem delatus, in cœmiterio eccleſiæ, extra portam Daphniticam, pia ueneratione reconditus eſt. In Africa, ſanctorum martyrum, Victorij, Victoris, et ſociorum triginta trium. 17.

Decimo

vi B. Decimo quinto cal. Ianuarij. Luna.

6 17 27 9 19 1 12 22 4 15 25 7 17 28 10 20 2 13 24
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

18. *Philippis in Macedonia, ſanctorum martyrum, Rufi, et Zoſimi. Ii, fuerunt ex illis diſcipulis, qui, naſcente eccleſia, fundamenta iecerunt in Græcia, et in Iudæa. De quorum illuſtri martyrio beatus etiam Polycarpus litteris ad poſteritatem prodidit. In Africa, ſancti Moiſetis martyris. In Africa item, beatorum martyrum, Quincti, Pauli, Digni, et Honorati: qui, in maximo perſecutionis Decianæ impetu,* C HRISTI *Domini fide, quam profeſſi ſunt, et cruciatibus, et profuſo ſanguine præclare teſtificata, martyrii palmam tulerunt. Sanctarũ item, Anatholiæ, et Victoriæ uirginum. Hæ, in fidei chriſtianæ propugnatione, uirilis animi magnitudine nobiles, ne exquiſitiſſimis quidem ſuppliciis fractæ, ad martyrii præmium perueniunt. Apud Turones, ſancti Gratiani epiſcopi, et confeſſoris: qui ab urbe Roma, eò miſſus, memorabili, diuinaq. chriſtianæ pietatis uirtute præditus, miraculorum, quæ multa, ac magna diuinitus edidit, ſplendore eluxit.*

C. Decimo quarto cal. Ianuarij. Luna.

7 18 28 10 20 2 13 23 5 16 26 8 18 29 11 21 3 14 25
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

19. *Alexandriæ in Aegypto, ſancti Nemeſii martyris. Hic, in Diocletiani perſecutione, latrocinij falſo accuſatus, eoq.*

crimine

crimine abſolutus, mox chriſtianæ religionis nomine in iudicium uocatus; duplicatis ſupplicijs, Aemiliani iudicis decreto, affectus, unà cum latronibus comburitur, propoſito CHRISTI Domini exemplo, qui cum latronibus item cruci affixus eſt. In Mauritania, ſancti Timothei martyris: qui diaconus cum CHRISTI fidem paſſim prædicaret; et conuerſos baptizaret: impuramq. gentilium ſuperſtitionem deteſtaretur; præfecti iuſſu comprehenditur; tum carcere, fame, ſiti mulctatus, cum in ſententia pia permaneret, in ſuccenſum rogum coniectus, animam Deo reddidit. Niceæ, ſancti Darij martyris. Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Cyriaci, Palili, Secundi, Anaſtaſii, ac Siddimi. Antiſiodori, ſancti Gregorij epiſcopi, et confeſſoris. Aureliani, ſancti Adiuti Abbatis, prophetiæ ſpiritu illuſtris. 17.

Decimo tertio cal. Ianuarij. Luna. xiiii. D.

8 19 29 11 21 3 14 24 6 17 27 9 19 1 12 22 4 15 26
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli. Alexandriæ, ſanctorum martyrum, Ammonis, Zenonis, Ptolomæi, Theophili, et Ingenui: qui in iudicio cum adeſſent, et homo quidam chriſtianus, ſupplicijs tortus, metuq. affectus, titubaret admodum, atque in fide hæſitare uideretur; ij uultu, nutu, oculorum coniectu, omniq. alia ſignificatione, illum afflictum erigere, et excitare ad martyrii conſtantiam conabantur: quamobrem contra eos clamore uulgi concitato, tum ipſi in medium prodeunt, libereq. ſe chriſtianos eſſe confitentur. Quorum ob uictoriam de Satana CHRISTVS Dominus triumphans, ſuæ fidei pro 20.

pugnatoribus animi fortitudinem tribuit. In Mauritania, ſanctorum, Eugenii, et Macharii: quos Iulianus Apoſtata, cuius illi impietatem uehementer coarguerant, in foueam ſerpentibus, omniq. ferarum genere plenam, detrudi iuſſit. Sed mirabiliter, diuineq. inde liberati, in Mauritaniam uincti relegantur: ubi et uitæ ſanctitate, et miraculorum magnitudine, ac multitudine, cum ad chriſtianam fidem complures perduxerint in pace, quieuerunt, confeſſionis CHRISTI *corona decorati. In Thracia, ſancti Iulij martyris. Brixiæ, ſancti Dominici epiſcopi, et confeſſoris; qui Gregorio primo, ſanctiſſimo pontifice, pietate commemorabilis, omniq. epiſcopali uirtute florens, miraculorum, quibus Deus illius ſanctitatem teſtatam eſſe uoluit, claritate eluxit. In Græcia, ſancti Philogonii epiſcopi: cuius memoriam beatus Ioannes Chryſoſtomus præclara concione celebrauit. Magaræ in Hiſpania, ſancti Dominici confeſſoris; qui uitæ, inſtitutioniſq. euangelicæ rationes cum mirifice excoluerit; bene, religioſeq. factis, et miraculis clarus ex hac ad cæleſtem uitam diſceſſit.*

iii. E. Duodecimo cal. Ianuarij. Luna.

9	20	1	12	22	4	15	25	7	18	28	10	20	2	13	23	5	16	27
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

21. *Sancti Thomæ Apoſtoli. Hic, poſt acceptum ſpiritum ſanctum, euangelica prædicatione multas prouincias peragrauit. poſtremo ad Indos profectus, eos in chriſtiana religione inſtituit. Vitæ autem, et doctrinæ ſanctitate, miraculorumq. magnitudine cum ceteris omnibus ſui admirationem, et* IESV CHRISTI *amorem commouiſſet; illius gentis re-*

gem,

gem, idola colentem, uehementius ad iram accendit: cuius ſententia condemnatus, teliſq. confoſſus, Calaminæ Apoſtolatus honorem martyrij corona decorauit. Nicomediæ, ſanctæ uirginis, et martyris Iulianæ: quæ, Maximiano Imperatore, a parentibus Eleuſio præfecto deſponſa, præciſe negauit illius nuptias, niſi chriſtianus fieret. quamobrem pater mœſtus cœpit ſollicitare filiam, ut a CHRISTO deſciſceret, et nuberet. at conſtantiſſime eam, in fide permanentem, tradidit ſponſo, et præfecto, ut ex legibus quæſtioni adhiberetur. Is igitur uirginis corpus totum ſublime, per capillos dependens, depecti; cutem capiti detrahi; in flammam conijci; demùm ſecuri feriri iuſſit. In Lycia, ſancti Themiſtoclis martyris. Hic, Decio Imperatore, a regionis præfecto militibus ad Dioſcoridem, admirandæ pietatis hominem, comprehendendum miſſis, ſe ipſum pro ſancto, cuius latebram illi quærebant, conſtringendum tradidit, confeſsus ſe chriſtianum eſſe. Itaque perductus ad præfectum, ſupinus humi ſternitur, tamdiuq. cæditur, dum dirupto uentre difluerent inteſtina; deinde in equuleum actus, indeq. poſt depoſitus, et per defoſſos in terra murices in terra raptatus, atque interea fuſtibus contuſus, præclaris ueræ pietatis, fideiq. teſtificationibus, martyrij curſum confecit. In Thuſcia, ſanctorum, Ioannis, et Feſti. Treueris, ſancti Seuerini epiſcopi, et confeſſoris. Catalonæ in Gallia, ſancti Mennij epiſcopi; qui a beato Petro, Apoſtolorum principe, illius ciuitatis epiſcopus creatus, euangelicæ prædicationis munus executus, catalonenſem populum cum ad fidei doctrinam inſtruxerit, miraculorum laude clarus, quieuit in Domino.

F. Vndecimo cal. Ianuarij. Luna.

10	21	2	13	5	16	26	8	19	29	11	21	3	14	24	6	17	28	8	
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	

22. *Romæ, uia Lauicana, inter duas Lauros, beatiſſimorum martyrum triginta: qui in Diocletiani perſecutione, omnes uno die coronati martyrio ſunt. Alexandriæ, ſancti Schirionis martyris. Is ad idolorum cultum, et uerborum blanditijs, et iniurijs compulſus, numquam tamen nefariæ impietati aſſenſus, ſude præacuta transfixus, uictor martyrij palmam tulit. In Bithynia, ſanctæ Theodotæ, et filiorum martyrum. Hæc, celebri Anaſtaſiæ Romanæ, admiranda pietate uirginis, fama commota, pro magno habuit negotio eam conuenire, atque diutius apud illam una cum filijs commorari. Cuius coniugium cum peteret Leucadius præfectus, rogauit eam, ut pauliſper moraretur: quo temporis interuallo, hæc, erogatis in pauperes opibus ſuis, nauabat operam ſanctis, pro* CHRISTI *gloria uinctis. Diocletianus uero, quoniam carceres, et ergaſtula chriſtianorum numerum capere non poterant, edixit ubique terrarum, ut genus uniuerſum, alij ferro, alij aqua, alij igne, deleretur. Quare Leucadius Theodotam cum filijs tradidit Nicetio, Bithyniæ præfecto: cuius iuſſu mater, et liberi, in pyram coniecti, conſtantiſſima fidei confeſſione, ad martyrij palmam perueniunt. Hoſtiæ, ſanctorum martyrum, Demetrij, Honorati, et Flori. In Aegypto, ſanctorum quàm plurimorum martyrum: qui, in acerbiſſima illa Decij perſecutione, per inculta, et deſerta illius regionis loca errantes, partim fame, ſiti, et frigore enecti, partim à latronibus, partim à feris necati ſunt. Antiochiæ, ſancti Baſilei martyris.*

Decimo calen. Ianuarij. Luna. xi. G.

11 22 3 14 24 6 17 27 9 20 1 12 22 4 15 25 7 18 29
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſanctæ Victoriæ uirginis: quæ, Decio Imperatore, Eugenio cuidam, homini, a fide christiana abhorrenti, deſponſa; cum nec nubere, neque idola colere uellet; uirginitatis, quam ſponſo C h r i s t o *uouerat, tuendæ studio flagrans, et miraculorum magnitudine illustris, tyranni iuſſu a carnifice gladio tranſuerberatur. In Nicomedia, ſanctorum martyrum uiginti: quos Diocletiniana perſecutio, grauiſſimis cruciatos tormentis, martyres* C h r i s t i *effecit, eoſq. beatos cum cælestis patriæ ciuibus coniunxit. In Creta, beatorum martyrum decem, Theoduli, Saturnini, Eupori, Gelaſij, Euniciani, Zetici, Cleomenſis, Agathopi, Baſilidis, et Euaristi. Ii, in illa ipſa Deciana perſecutione, ab inſulanis christianæ fidei accuſati, cum idolorum altaribus immolare nollent, a prefecto in cruciatum, prout cuique collibuiſſet, populo traditi, circumducuntur, uerberibus afficiuntur, lapidibus obruuntur, per stercora raptantur, demum præfecti iuſſu, ceruicibus abſciſſis, coronantur. Romæ item, ſancti Seruuli: qui a prima ætate uſque ad extremam paralyticus in porticu baſilicæ beati Clementis iacuit. Eius ſanctitatem Deus notam, ac peruulgatam eſſe uoluit multis miraculis, in illius ſepulcro diuinitus editis. Pariſijs Dedicatio baſilicæ ſanctæ Crucis, et ſancti Vincentij martyris.* 23.

A. Nono calendas Ianuarij. Luna.

13 24 5 15 26 8 19 29 11 22 3 14 24 6 17 27 9 20 2
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

24. *Vigilia Natalis Domini noſtri, Iesv Christi.* *Romæ, beatiſſimorum martyrum, Metropij, Pauli, et Luciani. Antiochiæ in Syria, ſanctarum uirginum, et martyrum quatraginta; quæ uarijs excruciatæ ſupplicijs, Decio Imperatore, in omni cruciatus genere, a propoſito nunquam dimotæ, uiriliter pro* Christi *laude necem ſubierunt. Spoleti, ſancti Gregorij presbyteri, et martyris. Hic, in Diocletiani, et Maximiani perſecutionum tempeſtatibus, chriſtianæ fidei accuſatus; fuſtibus primum cæſus, deinde, poſt craticulam, et carcerem, pectinibus ferreis cruciatus, tùm facibus aduſtus, poſtremò in amphitheatrum ductus, præciſo capite martyrij palmam accepit. Alexandriæ, ſanctæ Eugeniæ uirginis, et ſociorum martyrum. Hæc, Imperatore Commodo, litteras gentilium, et chriſtianorum apprime docta, dum libros ſacros ſtudioſè euolueret, incidit in epiſtolas beati Pauli: quarum lectione conuerſa ad* Christvm, *ſpreta huius uitæ gloria, ſumptoq. uirili habitu, in monaſterio ſuſcepit baptiſmum, cum eunuchum ſe aſſimulaſſet. Poſtea autem, quæ eſſet, agnita, Philippum patrem, Alexandriæ præfectum, matrem, ac propinquos ad fidem perduxit. quamobrem paulo poſt ipſa, et ij ceteri omnes martyrio coronati ſunt. Tripoli, beatorum martyrum, Luciani, Zenoti, Theutini, et Druſi.* +

[Handwritten in margin: Die eadem vigiliæ die Romæ]

[Handwritten in margin: de sᵗᵃ Tarsilla]

Octauo

Octauo calen. Ianuarij. Luna. B.

13	24	5	16	26	8	19	29	11	22	3	14	24	6	17	27	9	20	2
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

Hebdomada ſexageſima tertia, ut eſt in Danielis prophetia, ſexta mundi ætate, toto orbe in pace compoſito, æternus Deus, æterniq. patris filius, mundum uolens ſuo pio aduentu conſecrare, de Spiritu ſancto conceptus, nouem poſt conceptionem menſibus, IESVS CHRISTVS, FILIVS DEI, IN BETHLEHEM IVDAE, EX BEATISSIMA VIRGINE MARIA NASCITVR. *Anno Cæſaris Auguſti, quatrageſimo ſecundo. Romæ, uia Latina, in Cœmiterio Aproniani, ſanctæ Eugeniæ uirginis, et martyris: quæ, in Galieni perſecutione, Niceti, urbis præfecti, iuſſo grauiſſime cruciata, in Tyberim, ſaxo ad collum alligato, præceps deiecta, inde in thermas, æſtu feruentes, incluſa, diuq. pro* CHRISTO *Domino dimicans, demum iugulata eſt. In Palmaria inſula, ſanctæ Anaſtaſiæ, et ſociorum martyrum. Ea Romæ nobilibus orta parentibus,* CHRISTI *fide a matre, et a Chryſogono, chriſtianorum doctore, litteris inſtituta; benigna, et liberalis in pauperes, et in eos, qui, Diocletiano Imperatore, chriſtianæ pietatis cauſa erant in uinculis; Publio autem uiro ſuo, quoniam a* CHRISTI *Domini fide abhorreret, nullam ſui corporis poteſtatem faciebat: quas ob res in tetram cuſtodiam ab eo primum incluſa, deinde ab Illyrico præfecto diu in carcere afflicta, et ſupplicijs torta, poſt, unà cum uiris ducentis, et mulieribus quingentis in nauim impoſita, ut in mare* 25.

Alta uoce pronuntiatur.

omnes

omnes demergerunt, ad Palmariam inſulam delata eſt: ubi ipſa, pedibus et manibus extenſis, ad palum alligata, ob CHRISTI *Domini fidem combuſta, et reliqui, uarie necati, præclara martyrij celebritate, ad præmium cæleſte peruenerunt.*

C. Septimo calen. Ianuarij. Luna.

14	25	6	17	27	9	20	1	12	23	4	15	25	7	18	28	10	21	3
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

26. *Sancti Stephani protomartyris.* *Is, ſanctorum Apoſtolorum diſcipulus, poſt* CHRISTI *Domini aſcenſum ad cælos, cum alij ſex diaconis electus, cum eſſet plenus gratia, et ſpiritu ſancto, faciebat ſigna, et prodigia in populo, dum fidem* CHRISTI *ſtudioſe doceret, et prædicaret. Cumq. cum Cyrenenſibus, atque alijs in certamen ueniſſet, ac ſuperior allatis ſacrorum librorum teſtimonijs diſceſſiſſet; illi quidem furenter irati, concurſu facto, cæperunt lapidationem facere; ipſe uero flexis genibus orare, Domine, inquiens, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Quæ cum diceret, uidit cælos apertos, et Ieſum ſtantem a dextris uirtutis Dei, et ſe compellantem: ſicq. dum lapidibus cæditur, atque adeo obruitur, primus inter nobiles* CHRISTI *martyres, præclari martyrij corona decoratus, abijt in cælum. Romæ, ſancti Dionyſii pontificis: qui Claudio Imperatore, fidei doctrina, et ſanctitatis claritate præluxit. Sancti item Zoſimi pontificis: qui Sabbato ſancto cereum benedici inſtituit. Sancti præterea martyris Marini, genere nobilis, longeq. martyrij nobilitate clariſſimi.*

Sexto calendas Ianuarij. Luna. D.

15 26 7 18 28 10 21 2 13 24 5 16 26 8 19 29 11 22 4
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sancti Ioannis Apoſtoli, et Euangeliſtæ. Hic Zebedæi filius, Iacobi Apoſtoli frater, nouiſſime omnium ſcripſit euangelium, rogatus ab Aſiæ epiſcopis. In Domitiani perſecutione relegatus ad Pathmum inſulam, ſcripſit Apocalypſim, et tres epiſtolas. Interfecto autem Domitiano, Epheſum reuerſus, uniuerſas Aſiæ fundauit, rexitq. eccleſias. Alexandriæ, ſancti Maximi epiſcopi; uitæ, doctrinaq. ſanctitate, ac fidei confeſſione clari. In diœceſi Aquileienſi, ſancti Zoeli presbyteri, et confeſſoris. 27.

Quinto calen. Ianuarij. Luna. xvi. E.

16 27 8 19 29 11 22 3 14 25 6 17 27 9 20 1 12 23 5
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Sanctorum Innocentum martyrum: quorum cædes, ab Herode facta, ex litteris Euangelicis perſpicua, notaq. eſt. Sanctorum item uiginti millium martyrum. Maximianus enim Imperator, confecto feliciter Aethyopiæ bello, uictoriæ celebritatem edixit. quare cum paſſim dijs uictimæ immolarentur, renunciatum eſt, chriſtianos ſolos, diem natalem Christi ſumma cum lætitia celebrare, neglecta dæmonum impuritate. ille igitur mandauit, ut circum illud templum, in quo uerſabatur cœtus is chriſtianorum, conſtrata ſarmentis quaque uerſus terra, ſuppoſitoq. igne omnes conflagarent. Vix dum epi- 28.

ſcopus

ſcopus ſacrum confecerat, cum ſubiecto igni hominum uiginti millia concremata, martyrium obierunt. Sanctorum præterea aliorum martyrum complurimorum. Nec uero eorum ſolum, qui combuſti ſunt, cæde ille contentus, iuſſit etiam chriſtianos omnes occidi. Igitur Gorgonius, et Petrus alligatis ad collum ſaxis, in mare demerguntur: Xenon cum Dorotheo capite obtruncantur; Mydonius altiſſima fouea obrui tur; Glycerius presbyter igni abſumitur; Theophilus, lingua præciſa, lapidibus necatur; compluresq. alij, uarie excruciati, nece obita, coronantur. In Africa, ſanctorum martyrum, Caſtoris, Victoris, et Rogatiani. Nurſiæ, ſanctorum, Eutychij, et Florentij. Hic orationi, et aſſiduis precibus deditus, ac ſimplex; ille ſpiritus Zelo, uirtutisq. chriſtianæ ardore incenſus, cohortationibus ad Deum iter quamplurimis commoſtrans, uterque miraculorum gloria ſpendeſcens, quieuit in Domino.

V. F. Quarto calen. Ianuarij. Luna.

17	28	9	20	1	12	23	4	15	26	7	18	28	10	21	2	13	24	6
A	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t

29. *Sancti Thomæ archiepiſcopi, et martyris. Hic Cantuariæ in Anglia archiepiſcopus, primum in gerendo cancellarij magiſtratu, deinde in archiepiſcopali officio ſumma uirtutum laude florens, regis inique in legibus, dignitati, utilitatiq. eccleſiæ repugnātibus, ferendis ſe gerentis, cupiditati conſtanter reſtitit. quamobrem in exilium pulſus, ac poſt inde reuocatus, dum boni paſtoris officium exequitur, a nefarijs ſatellitibus in templo contrucidatus, ad* C H R I S T I *præcepta*

cum

cum uitæ curſum perpetuò accomodaſſet, iuſteq. cum fide uixiſſet, illius ſanctitate multis teſtificata miraculis, in ſanctorum martyrum numerum ab Alexandro Tertio pontifice rite adſcriptus eſt. Arelate, ſancti Trophimi epiſcopi: qui, beatorum Apoſtolorum, Petri, et Pauli, diſcipulus, in Galliam euangelicæ prædicationis cauſa profectus, ita ſe geſſit, ut ex illius fonte, ait Zoſimus Papa, uniuerſa ea prouincia fidei riuulos acceperit. Viennæ in Gallia, ſancti Creſcentij epiſcopi. Hic, Moguntinæ ciuitatis primo epiſcopus, deinde Viennam miſſus, Viennenſem eccleſiam fidei myſterijs primus imbuit. In Africa, ſanctorum martyrum, Dominici, Victoris, Primiani, et Liboſi epiſcopi. Mediolani, Ordinatio ſancti Iacobi Apoſtoli: cum ſcilicet is ab Apoſtolis inſtitutus eſt epiſcopus Hieroſolymæ. In pago Oxinenſi, ſancti Ebrulphi confeſſoris: cuius admirabiliter, diuinituſq. facta leguntur.

Tertio calendas Ianuarij. Luna. G.

18 29 10 21 2 13 24 5 15 27 8 19 29 11 22 3 14 25 7
A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

Romæ, ſancti Liberalis, Cannarum epiſcopi, et martyris: 302
qui, Hadriano Imperatore, in urbe præclaris fidei confeſſionibus, ac martyrij gloria nobilitatus, inde a ciuibus Cannenſibus in patriam translatus, pie reconditus eſt. Spoleti, ſanctorum martyrũ, Sabini epiſcopi, Exuperãtij, et Marcelli, diaconorũ, Venuſtiani item cum uxore, et liberis. Ex ijs Marcellus, et Exuperantius, primum equuleo torti, deinde fuſtibus cæſi, poſt ungulis laniati, et facibus ſemiuſtulati, martyrio demum coronantur. Sabinus autem epiſcopus, grauiter, atque uſque adeo

caſus

caſus eſt, dum emitteret ſpiritum. Venuſtianus uerò ſecuri feritur unà cum coniuge, et liberis: idq. in Maximiani perſecutione. Alexandriæ, ſancti Manſueti martyris, et ſociorum decem. Theſſalonicæ, ſanctæ Anyſiæ martyris. Hæc, mortuis parentibus, quos diuitijs, genere, et fide nobiles habuit, congreſſus hominum ſolitudinis ſtudio fugiens, factis et uerbis Deo gratias agebat. Ibat aliquando, in illa ipſa Maximiani perſecutione, ad eccleſiam: factaq. obuiam militi, idola colenti, qui reluctantem pro uiribus ſanctam ad nefaria compellebat ſacra, ab eo irato per coſtas traiecto gladio, grauiq. accepto uulnere, concidit ſtatim; pauloq. poſt orando reddidit Deo ſpiritum. Apud Turones ſancti Perpetui epiſcopi, et confeſſoris. Mediolani ſancti Eugenij epiſcopi et confeſſoris. Rauennæ, ſancti Liberij epiſcopi: qui ſumma uir fuit pietate, aureum orationis flumen fundens, cum apud populum concionaretur. Veronæ, ſancti Crichini epiſcopi; ueræ pietatis, et morum magiſtri, egregijq. doctoris.

xiii. A: Pridie calen. Ianuarij. Luna:

19 30 11 22 3 14 25 6 17 28 9 20 1 12 23 4 15 26 8

A b c d e f g h i K l m n o p q r ſ t

31. *Romæ, ſancti Silueſtri papæ, et confeſſoris. Hic pontifex, ſapientia, et uirtute excellens, Miltiadi ſucceſſit. Suſcepta igitur eccleſiæ gubernatione, multa pro magno chriſtianorum grege ſubijt certamina. Conſtantinoq. Magno, qui primus Imperatorum, ab Apoſtolis Petro, et Paulo in ſomnis monitus, ducem ſe in uitæ chriſtianæ inſtitutione præbuit: deinde ſacra baptiſmi aqua, non lepræ ſolum, ſed animæ etiam ſor-*

des

des omnes eluit: auctorq. fuit, ut conuulſis dæmonum ſimulacris, templa Deo, Dei genitrici, ſanctis Apoſtolis, et martyribus excitaret. Romæ præterea Synhodum habuit, in qua interfuerunt ducenti, octoginta quattuor epiſcopi: Nicænam Synhodum, in qua ſancta, et catholica fides explicata eſt, Ario, Photino, et Sabellio, eorumq. ſectatoribus damnatis, confirmauit, id maxime petentibus concilij patribus uniuerſis: multa item decreta confecit, eccleſiæ Dei utilia. Demum ſumma ſenectute cum eſſet, ſanctitatis, ſancteq. factorum, et uirtutum admirandarum laude clarus, de eccleſiaq. optime meritus, e corporis uinculis ad præmium euolauit in cælum. Apud Senones, ſanctorum, Sabiniani epiſcopi, et Pontiani: qui a Romano pontifice illuc miſſi ad prædicandum euangelium, martyrij ſui gloria, et ſplendore eam urbem illuſtrarunt. Sanctæ item Columbæ uirginis: quæ, Aureliano Imperatore, ſuperato igne, gladio ibidem cæſa eſt. Romæ ſanctæ Melaniæ uirginis. Hæc, opibus, genere, et forma inſignis, ob eamq. cauſam a multis expetita uxor, uirginitatis ſtudio a nuptijs prorſus abhorrens, cum a parentibus inuita cuidam in matrimonium data eſſet, tantum dicendo profecit, ut ſponſus repudiato, exploſoq. idolorum cultu, et abiecto mundanæ uitæ inſtituto, monachus fieret. Ipſa uerò, pauperibus diſtributo, quod a parentibus amplum acceperat, patrimonio, monaſticam amplexa eſt uitam: in qua diuinitus miraculis illuſtrata, ædificato monaſterio, corporis demum cuſtodijs liberata, abijt ad Dominum. Retiariæ, ſancti Hermetis Exorciſtæ. Rauennæ, ſancti Barbatiani presbyteri, et confeſſoris: cuius uitam, ſancte religioſeq. actam, ac rerum mirificarum, diuine geſtarum ſplendore illuſtrem, Petrus Damianus

mianus

mianus præclara concione expoſuit. Et aliorum plurimorum ſanctorum, martyrum, confeſſorum, atque uirginum.
Reſp. Deo gratias.

PRETIOSA IN CONSPECTV DOMINI MORS SANCTORVM EIVS.

Oremus.

SAncta Maria, et Omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adiuuari, et ſaluari, qui uiuit, et regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

NOTATIO.

NOTATIONES.

C**ALENDIS IANVARII.**) Qui dies olim ab idolorum cultoribus omni luxu, et ſuperſtitione celebratus eſt, a quo ſuperſtitionis genere cum ceſſandum eſſe beatus Almachius ſuaderet, Præfecti Romæ iuſſu, ut in martyrologio narratur, interfectus eſt. Eo die per plateas chori ducebantur, ſtrenæ dabantur, et menſæ extruebantur dapibus; aliaq. agebantur eiuſdem generis, quæ epiſtola, ad Zachariam Pontificem ſcripta, a Bonifacio epiſcopo commemorantur, et a Burchardo item lib. 19. de pœnitentia. Ab iſta gentilium deteſtabili conſuetudine, et moribus ut populus Chriſtianus omnino abduceretur; et inquinari nullo modo poſſet impiarum epularum contagione, eſt olim ab Eccleſia inſtitutum illius diei ieiunium; ut Albinus teſtatum facit libro, quem de diuinis officijs contextuit; Iſidorus lib.1. cap. 4. de off.eccl. ſcriptumq. etiam extat in fragmento quodam codicis, qui eſt de ritibus Eccleſiæ; et in libro, qui inſcribitur Ordo Romanus. eamq. ob cauſam etiam triduo Litaniæ indictæ, et actæ ſunt, id quod Synodo Turonenſi ſecundo ſancitum eſt cap.18. ac decretum item fuit concilio Toletano, ut illo die, Alleluia, non caneretur; illudq. præterea, ut a decimo ſexto cal.Ianuarij, uſque ad Epiphaniorum ſolennitatem, continuis diebus concurſus ad eccleſiam ab omnibus fieret, ut eſt can. 4. Synodi Cæſaraunguſtanæ. Extat in calen. Ianuarij ſermo ſancti Ambroſij, et ſancti Maximi, quo maxime coarguitur deprauatus ille uſus eorum, qui gentilium more calendas Ianuarias agerent. In eandem pene ſententiam ſpectat tota officij diuini ratio, Ambroſiano ritu ad eum diem adhibita.

Circumciſio.) De Circumciſione multæ extant Homiliæ patrum latinorum, et græcorum. atque in ijs quidem præcipuus liber eſt ſancti Hieronymi, eo de genere conſcriptus: tractatio item beati Cypriani, et martyris: tum ſermones ſancti Auguſtini. Alij longe inferioris ætatis, quorum conciones hoc ipſo die habitæ, iam reperiuntur; ut huius ætatis ſcriptores mittamus, ſunt ſanctus Bernardus, Iuo, Bruno Carthuſianus, Honorius presbyter, Radulphus, Ardentius, Petrus Cardinalis Aliacenſis. De cærimonijs hoc ipſo feſto die aliquid Albinus ſcribit lib. de diuin.offic. eſt item aliquid in frag.cod.de rit.eccl. De officio præterea huius diei parum aut pene nihil Amalarius attingit: ſed infra idipſum notabimus. Nec uero hoc præterire libet, quod, cum ceteras anniuerſarias feſtorum dierum ſolennitates explicent illi antiquitatis eccleſiaſticæ ſcriptores, Iſidorus, Rabanus, Valfridus, nullam huius mentionem faciunt. neque cur factum id ab illis ſit, quicquam ab alijs affertur. At ab initio naſcentis Eccleſiæ ſacrum hunc diem perpetuo religioſe cultum eſſe, liquido conſtat, ut ex ijs quoque perſpici poteſt, quæ mox infra commemorabimus de octauæ ratione.

Octaua.) Cuius octauæ nomine hic dies olim uocatus, ritu ſolenni in Eccleſia, perpetuo celebratus eſt; ut indicant eccleſiaſticorum officiorũ interpretes, qui huius rei tractationem inſcribunt eo ſcilicet nomine, De Octauis Domini; ut Albinus lib.1.de diu.off. Amalarius lib.4. ca.32. de eccl.off.et lib.de ordine Antiph. cap.19. Bernoldus presbyter, ſiue alius auctor libri, qui Micrologus inſcribitur cap.39. Ordo Romanus, octauæ etiam nomine hunc diem uocat, Burcardus lib.19. de pœnitentia, Concil.Mogunt.cap.36. Lugd.de conſ. diſt.3. Eccleſiæ præterea Mediolanenſis ritus eodem ſpectat, ut oſtendit illa Oratio, Deus, qui nobis nati Saluatoris diem celebrare concedis octauum &c. Huius octauæ cultus, quàm antiquus ſit, cum ex ijs

quæ notauimus, tũ ex illis Almachij uerbis martyrologio adſcriptis, facile intelligitur. De ratione uero officij diuini, quod eo ipſo die adhibetur, pluribus et Micrologij auctor eo, quo ſupra, loco dicit., et Sicardus Cremonenſis lib. Mitrali, cap. de Octauis Domini, et Durandus item, qui ab illo accepit. Hoc ipſo die Romæ ſtatio eſt ad Sanctam MARIAM Trans tyberim, quæ ſtatio et ſi olim uacabat, at antiquam illam eſſe ex Micrologo cognoſci licet, quo ſane libro ratio aſſertur, cur eo die illa ibi celebretur. Octauæ autem officium quamobrem inſtitutum ſit, Amalarius exponit lib. 4. cap. 32. de eccl. off. & cap. 36. Radulphus etiam Turigenſis lib. de canon. obſ. prop. 19. eoq. loco copioſe differit de octauis, et maioribus, et minoribus. Octauæ myſterium explicat ſanctus Auguſtinus ep. 119. c. 13. Iuo ſerm. de Circumciſione, ſeu de Octaua Domini, et Beda multis locis, alijq. complures, et ij potiſsimum, quorum hac notatione meminimus.

Sancti Almachij.) Cuius martyrium cadit ſub annum circiter CCC. à nato CHRISTO, in Diocletiana perſecutione: qua grauiſsima, longeq. omnium immaniſsima per illum tyrannum excitata, innumerabiles pro Chriſtiana fide occiſi, martyrio coronantur; atque ij nomina iam in martyrum libris recitantur, Petrus, Dorotheus, Anthimus, Gorgonius, Felices duo, Adauctus, Sergius, Bacchus, Vitalis, Agricola, Caſsianus, Albanus, Quirinus, Romanus, Sebaſtianus, Pantaleo, Vincentius, Menas, Coſmas, Damianus, Mauritius, Legio Thebæorum: in qua etiam ij nominantur, Cyrus, Ioannes, Chryſogonus, Cucuſates, Carpophorus, Abundius, Cyriacus, Felix, Fortunatus, Achileus, et Antoninus, alijq. quos ſuo loco commemorabimus: ac mox infra, Iulitam, Agnetem, ceteraſq. multas percenſemus, quæ in iſtius acerrima contra Eccleſiam oppugnatione, uarie excruciatæ, martyrij palmam acceperunt. Iamuero Decius rei Chriſtianæ oppugnator maximus extitit; at hic hoſtis immanis, omniq. crudelitatis genere præſtans, ac plane ferus. eam ob cauſam fortaſſe, cum aliorum, qui res noſtras inſectati ſunt, immanitatem iſte ſuperarit; et excogitandis nouis, inauditiſq. ſupplicijs principem locum tenuerit; illum primum Chriſtianos homines contumelioſe uexaſſe, Gregorius Nazianzenus ſcribit in orat. 1. contra Iulianum. Rem autem totam huius perſecutionis meminit ſanctus Auguſtinus lib. 18. cap. 52. de ciui. Dei expoſuit Euſebius Cæſarienſis lib. 8. et 9. hiſt. eccl. Nicephorus lib. 7. cap. 17. Oroſius lib. 7. cap. 25. Zonaras tom. 2. Ann. Simeo Metaphraſtes, Michael Glycas, par. 3. Conſtantinus Manaſſes, Georgius Cedrenus, Paulus diaconus lib. x. Martinus Polonus, et alij. Is Tyrannus, multis annis occupatus in ſedandis, reprimendiſq Imperij Romani ſeditionibus, nihil ſe egiſſe putauit, niſi nomen populumq. Chriſtianum omnino deleret. hoc animo eum fuiſſe, non modo Simeo Metaphraſtes ſcribit, ſed funeſta illius edicta oſtendunt. Itaque cum odium, quo in Chriſtianos homines uehementi flagrabat, annos decem, uel, ut alijs placet, ſexdecim diſsimulaſſet, diu ac palam poſt grauiſsime exercuit. rem enim Chriſtianam infenſiſſimo, gladiatorioq. animo decem ipſos annos oppugnauit. qua ſane oppugnatione, ut nulla alia diuturnior fuit, ſic longe ceteris omnibus immanior: cum iſtius ſuæ impietatis miniſtros præſertim, et ſatellites habuerit ſane egregios, in ijsq. Maximianum in primis, imperij ſocium. Erat tum fidelium multitudo mirandum in modum aucta, atque ita quidem, ut ubique terrarum templa illam non caperent. Furore igitur accenſus tyrannus, ut euomeret uirus acerbitatis ſuæ, nefarium edictum promulgauit, quo, metu non ſolum, ac terrore in Idolorum cultum hominem Chriſtianum induci, ſed etiam ad aram pertractum, per uim adigi iuſsit. Quod edictum quam graue fuerit, animaduerti poteſt ex illo, quo Antoninus Imperator iam pridem nominatim uetuit, ne prouinciarum præſides tale quicquam auderent. Fuit ab eo Nicomediæ lex contra Chriſtianos promulgata, ac publice propoſita, uſque adeo iniqua, ut princeps quidam uir, qui in illius familia erat, eam pa-

lam

lani in conſpectuq. omnium conſciderit, nec recuſarit, quas ob id pœnas ſe ſubiturum eſſe ſciebat, conſtantiſsime perferre. Sed huius importuniſsimi tyranni, Deo bellum indicentis, duriora extant edicta. Accidit, neſcio quo caſu, ut Nicomediæ eo tempore palatium Imperatoris, incendio conflagrarit: ſtatim edictum propoſitum eſt, ut Chriſtiani, tamquam incenſionis auctores, excruciarentur. quædam in Syria, et Arabia ſeditiones motæ ſunt: continuo lex maieſtatis contra eoſdem, ut perduellionis reos, edita eſt. quid? illi damnabantur tamquam grauiſsiminis criminibus conuicti, cum ipſi plane omni ſuſpicione carerent. Decimo et nono Imperij ſui anno, hoc ubique gentium edixit, ut ubi ubi eſſent Chriſtianorum Eccleſiæ, omnino euerterentur, libri inflammarentur; Epiſcopi et Sacerdotes contrucidarentur, omnes denique, cuiuſuis ordinis, ætatis, conditionis, qui idola colere recuſarent, omni internecione occiderentur. Quo factum eſt, ut, præter eos, qui partim in inſulas relegati, partim ad metalla damnati ſunt, ſeptem et decem millia etiam hominũ Chriſtianorum in diuerſis prouincijs extiterint, qui triginta dierum ſpatio pro CHRISTO Domino martyrium ſubierint. In Phrygia, eo nomine quædam Chriſtianorum urbs obſeſſa, tandem tota incenſa eſt. Itaque toto terrarum orbe, illis temporibus, exilia, bonorum proſcriptiones, cruces, ignes, et inaudita ſupplicia alia, Chriſtianis hominibus propoſita cum fuerint; non debilitata eſt tamen, nec fracta unquam conſtantia Chriſtianorum; quorum tantam multitudinem martyrium pertuliſſe conſtat, ut Zonaræ, aliorumq. teſtimonio, infinita ſit, atque innumerabilis. Quamobrem uictus Diocletianus tyrannus, eiusq. ſocius Maximinianus tam magno martyrum numero, cum uterque putaret, ſe cruciatum excogitaſſe, quo dolor, et ſempiterna ignominia populo Chriſtiano inuri poſſet, edixit, ac iuſsit, unicuique, CHRISTI religionem colenti, oculum dexterum erui. At, diuina ope, inanis ea cogitatio, irritusq. conatus fuit. nam cum ea ſe ambo moliri cernerent, quæ perfici omnino non poſſent: non ulla commutandæ uitæ cupiditate, ut plerique ſcribunt, aut ingraueſcentis ætatis moleſtia affecti, ſed diuina CHRISTI uirtute, et miraculorum magnitudine, eo compulſi ſunt, ut imperio ſe abdicarent. quod et ſi in uulgus non dixerunt, libere hoc ipſi illis confeſsi ſunt, quibus animorum ſuorum cogitata patefacere ſolebant; ut Michaelis Glycæ annalibus proditum eſt. Atque hæc ſummatim dicta ſint de Diocletiano, ac de funeſtis eius edictis.

Alypij, urbis præfecti.) Sic in manu ſcriptis codicibus, apud Vſuardum, et infragin. libri de rit. eccl. is præfectus nominatur, at alij Olympium appellant. Almachij autem martyris meminit Anaſtaſius S.R.E. Bibliothecarius, Alcuinus de off. lib. 4. auctor lib. de rit. eccl. uet. Beda, Vſuardus, et Ado. in Martyrolog.

Sancti Concordij.) Hic ratione temporis, quam nobis ſeruandam propoſuimus, priori loco in Martyrologio noſtro collocari debuerat, cum is multis ante annis, quam beatus Almachius, martyr factus ſit, Antonino ſcilicet Imperatore, anno Domini CXL. at cum Romæ alicuius martyrium extiteit, contra a nobis fit, ut ille Martyrologij ordine, ponatur primo loco, tum deinceps ceteri pro annorum ratione. Sãcti autem Concordij uitam litteris Clerici duo mandarunt, qui illum ſepelierunt. De eo aliquid extat, manu ſcriptum, Louaniæ in ædibus Carthuſienſibus; apud Adonem item, Bedam, Vſuardum, in Martyrol. et apud Mombricium, ſcriptorem Mediolanenſem, tom. 1. de uit. Sanct. tum denique apud Surium, tom. 1.

Sanctæ Martinæ.) Hæc, uirgo, et martyr nobilis, coronatur, anno a CHRISTO nato, CCXXX. De eius martyrio extant manu ſcripti codices, quos Ado eſt in huius uita conſcribenda conſectatus. ſunt qui putent, ab Anaſtaſio Bibliothecario, eius res ſancte fortiterq. geſtas, litterarum monimentis traditas eſſe. At tu uide Surium, tom. 1. de uit. Sanct. Mambricium item, tom. 1. et eundem Adonem in Martyrol.

Sanctorum Triginta.) De quibus Anaſtaſius, Ado, Beda, in Martyrol. Eorum

martyrium, anno Domini circiter ccc.

Sancti Baſilij.) Cuius dies natalis in Græcia calendis Ianuarij colitur, ut Mediolani item; quod apparet ex uetuſtis Eccleſiæ Mediolanenſis monimentis. Quæ Eccleſia habet ſane multa, quæ ex ſancti Ambroſij inſtitutis ſumpta ſunt ab antiquorum patrum Græcorum uſu. De Baſilio ante nos pluribus ſuo loco, nempe infra, 18. Cal. Iulij. quo die, more Romano, eius celebritas agitur.

Sanctæ Euphroſynæ.) De qua item tertio Idus Feb. Sed Martyrologij R mani nos auctoritatem, et Bedæ, Vſuardiq. codices uetuſtos ſecuti, huic diei anniuerſariam illius commemorationem adſcripſimus. hocq. magis, quòd in Græcia fit etiam hoc ipſo die. Eam alij, Euphraſyam, alij Euphroſynam uocant. Cuius uita extat in libro, qui inſcribitur, De uitis Patrum; et apud Simeonem Metaphraſtem, a quo Surius illam accepit, tom. 1. de uit. Sanct. Eius item mentio a Damaſceno fit in extremo tertio libro, de imaginibus.

Sancti Fulgentij.) Cuius dies natalis anno Domini, circiter ccccxcix. De eius, uitæ ſanctitate, fidei confeſſione, doctrina, ac libris, quos docte, pieq. ille conſcripſit, aliquid litteris prodidit Iſidorus Epiſ. Hiſpalenſis in libro de uiris ill. Enucleate uero omnem eiuſdem uitam perſcripſit illius diſcipulus, ad Felicianum epiſcopum, qui in illius locum ſucceſſit, ut litteris eam grauiter exaratam, apud Surium legere licet, tom. 1. de uit. Sanct. Perite autem, ut ſolet, Ioannes Melanus de huius doctoris libris diſſeruit in præfatione, quam eiuſdem operi, per Plantinum impreſſo, adiunxit. At in ſcribendo, quem ſibi hic ad imitationem propoſuerit; quoue orationis genere uſus ſit, Xyſtus Senenſis oſtendit in Bibliotheca ſancta, lib. 4. De eo præterea in Concilio Toletano 8. et in Synodo Maguntina, Carolo Magno, imperatore.

Sancti Fulgentij Vtriculani.) Hic anno DL. obdormiuit in Domino. Cuius uitæ meminit ſanctus Gregorius lib. 3 cap. 12. Dialogorum.

Sancti Proculi.) De quo beatus Antoninus, par. 3. annalium, tit. 24. cap. 14. §. 3. 1.

Sancti Eugendi.) Ado, Vſuardus, Beda, in Martyrol et codex Romanus. Hunc plerique Augendum uocant; ſed Eugendum dici debere, nos ueterum monimentorum docet auctoritas. Illius uitam, litteris ab eiuſdem diſcipulo conſignatam, legimus apud Surium to. 1. de uit. ſanct. Eius dies natalis potiſſimum celebratur in Iurenſium monaſterio.

Sancti Clari.) Viennæ in Gallia illius anniuerſarius dies feſtus colitur; et uita, manu ſcriptis codicibus olim expreſſa, nunc typis edita, extat in Surii uolumine primo de ſanctis.

Sancti Magni.) De quo nihil plane ſcriptum comperimus, niſi martyrii diem, calendis I nuarij adſcriptum, et nomen.

Et aliorum ſanctorum &c.) Eſt clauſula, qua in ſingulos dies lectio martyrologij concluditur, ut paucis reliquos omnes ſanctos complectamur; tum quia non omnes, quorum dies natales in ſingulis, iiſq. diuerſis Eccleſijs coluntur, non ſunt martyrologio ad ſcripti; tum præterea, quia multi æterna fruuntur gloria, qui neque in ſanctorum numerum relati ſunt.

Quarto Nonas Ianuarij.

Octaua ſancti Stephani.) Quæ octaua etiam beati Auguſtini tempore celebrata eſt diuinorum officiorum cultu, ut is ſcribit in ep. ad Caſſulanum; et Amalarius meminit lib. 4. cap. 38. de eccl. off Quibus locis ratio affertur, cur ea ageretur: quæ tamen in eccleſia Mediolanenſi non agitur, ut ex priſcis illius Eccleſiaſticorum codicum

cum monimentis animaduertimus.

Sanctorum martyrum Argei, Narciſſi, et Marcellini.) Quorum martyrium incidit in Diocletiani, et Maximiani perſecutionem, quæ teterrima extitit anno Domini CCCV. Quo etiam anno martyrium ſubierunt, Iulita, Agnes, Eulalia, Catharina, Barbara, Athanaſia, et eius filiæ, Lucia, Anyſia, et complures martyris laude illuſtres. De beatis autem martyribus, Argeo, Narciſſo, et Marcellino proditum memoriæ eſt apud Adonem, Vſuardum, et Bedam.

Sancti Defendentis.) Qui martyrium pertulit anno Domini CCCVIII. eius ſuſcepta pro Chriſto certamina, litteris teſtata reliquit Theodorus, Maſſiliæ epiſcopus: cuius eo de genere liber extat in uetuſtis monimentis Eccleſiæ Bergomenſis.

Sancti Macarij.) Duo Macarij extiterunt, ſanctitatis laude, et uitæ anachoriticæ ſtudio præclari; unus Alexandrinus, alter Aegyptius: de quo fit 18. calend. Februarij. Huius uitam contexuit Heraclides monachus, ut eſt in libro, qui inſcribitur Paradiſus, cap.7. De hoc ipſo in uitis patrum, apud Ioannem Caſſianum coll.15. cap.3. Rufinum lib.11. cap.4. hiſt.eccl. Socratem lib.4. cap.18. Sozomenum lib.3. cap. 13. Caſſiodorum lib.7. cap.39. lib.8. cap.1. Nicephorum, et alios, tum denique apud Surium tom.1. de uit.ſanct.

Sancti Iſidori.) Qui martyrio coronatus eſt anno Domini circiter CCCCXIII. De eo, Beda, Ado, Vſuardus, et rerum eccleſiaſticarum annales.

Sancti Martiniani) Qui obdormiuit in Domino, anno CCCCXIIV. ſepultus eſt Mediolani in æde ſancti Stephani. Eius uita breuiter conſcripta extat in codice manu ſcripto, qui eſt de Sanctis, qui præcipue coluntur in eccleſia Mediolanenſi. De eodem item Boſſius in ſuis annalibus; tum præterea in antiquis calendarij Mediolanenſis monimentis.

Sancti Odilonis.) Cuius uitam, litteris conſignatam, poſteris primum reliquit Hugo, monachus Cluniacenſis. Sermonem præterea præclarum de eo Petrus Damianus Cardinalis habuit. Scriptum item aliquid de eodem extat apud ſanctum Antoninum par.2. annal. tit.15. cap.16. apud Sigebertum lib. de uir.ill. cap.163. et apud Vincentium Belluacenſem lib.24. cap.102. et ſeq. Spec.hiſt. Vitam totam huius ſpectare licet in tom.1. Surij.

Sancti Adalardi.) Huius uita, ab ſancto Paſchaſio Abbate contexta, apud Surium extat, tom.1. de uit.ſanct.

Sancti Spiridonis.) Sic in Romano calendarij codice: at Siridonem hunc alij uocant.

Hoc ipſo die, in eccleſia Conſtantinopolitana fit de ſancto Silueſtro pontifice: ſed pridie calendas Ianuarij fieri debere, hoc cum Eccleſiæ Catholicæ Romanæ uſu traditum eſt, tum ſcriptorum omnium conſenſu.

Tertio nonas Ianuarij.

Octaua ſancti Ioannis &c.) De hac item octaua, ut ſupra, ſanctus Auguſtinus, et Amalarius eo ipſo loco.

Sancti Antheri.) Al: Anterotis. quo nomine hunc Græci appellant: Nicephorus autem Anterium uocat. Huius epiſtola, de translatione epiſcoporum, præclare conſcripta ad epiſcopos Beticæ, et Toletanæ prouinciæ, extat tom. 1. conc. et apud Nicephorum etiam, et apud Gratianum 7. q. 1. c. mutationes. De pontificatus eius annis diſſentiunt inter ſe annalium ſcriptores. Sunt græci in ea ſententia frequentes, ut menſem unum, et dies decem illum eccleſiæ præfuiſſe opinentur; in ijſq. maxime, Euſebius,

Euſebius, Nicephorus, Zonaras, quos ſecutus eſt Haimo, et Panuinius item. Latini uero, alij tre. annos, et menſes; alij undecim, et menſes præterea aliquot; plerique alij annos duodecim pontificatui eius aſcribunt. In qua controuerſia re dirimenda unus nobis inſtar omnium eſt, ſanctiſſimus pontifex, idemq. eccleſiaſticarum rerum antiquitatis uſu peritiſſimus Damaſus: qui annis duodecim ad eccleſiæ gubernacula illum ſediſſe ſcribit, libro pont. cap.20. cui conſentientes ſunt, eccleſiæ Romanæ annales; et grauium autorum manu conſignata monimenta; ſed enucleatius rem omnem perſcribimus libro notationum, quas Platinæ adiunximus. Quod de martyrum rebus geſtis conquirendis,et ſcribendis ab illo actum eſſe dicitur; idem a beatis pontificibus, Clemente I. Fabiano, Iulio I. et Vrbano decretum eſſe animaduertimus: ut ſuo loco exponemus et diſtinctius, et uberius. De Anthero autem pontifice, et mar. Beda, Florus, Ado, Vſuardus hoc ipſo die in mart. Euſeb. lib.6. cap.22. Ruf.20.

Sanctorum martyrum, Cyrici, Primi, et Theogenis.) Vſuardus, Beda, et Petrus Equilinus lib.2. cap.41. de ſanctis. Eorum martyrium extitit anno Domini CCLVI.

In urbe Aulana, ſancti Petri martyris.) Alij, In urbe Aulona; alii, In urbe Au lone. quæ urbs maritima eſt in ſinu Hadriatico, uulgo, la Velona, uocatur. Huius beati martyris uitam, græce primum conſcriptam, Anaſtaſius, S. R. E. Bibliothecarius,latine reddidit. Hæc an ea ſit, quam Surius in codicem primum de uitis ſanctorum retulit,aliorum ſit iudicium. Quòd uerò, ille ſiue Anaſtaſius,ſiue alius ſcriptor, beatum Petrum martyrem, de quo ſcribimus, in crucem actum eſſe tradit, Maximiano; alij, Diocletiano imperatore, id factum narrant; nihil ſane intereſt, cum illius teterrimæ perſecutionis, contra chriſtianos excitatæ, ut imperij, ſocius uterque extiterit.

Sancti Gordij martyris.) De quo extat luculenta concio Baſilij, quæ eſt 19. Fuit is ciuis Cæſarienſis: ad cuius nobile martyrium concurſus multitudinis factus eſt maximus.

Sancti Florentij epiſcopi.) Qui octauus Viennæ epiſcopus fuit; ut Beda teſtatum facit in martyrol. et Ado item.

Sanctæ Genouefæ.) Cuius uitam, multis ab hinc annis ſcriptam, præclare hoc tempore contexuit Surius uolumine primo de ſanctis. De eadem item Gregorius Turon. de gloria conf. cap.91. et in lib. de reb.geſt. Gal. Sigilbertus in annal. Virgo hæc quieuit in Domino, anno circiter DXII.

Sancti Danielis Leuitæ, et martyris.) Cuius martyrium, et inuentionem cognoſci licet ex uetuſtis urbis Patauij monimentis, et ex annalibus,quos Bernardinus Scardeonius contexuit. De eo item Petrus Equil. lib.2. cap.40.

Sancti Quintini martyris.) Cuius corpus mirabiliter inuentum eſt, ac translatum ab Eligio epiſcopo. Feſti autem diei, quo ſancti alicuius reliquiæ ſacræ inuentæ ſunt, celebritas religioſe ſemper acta eſt in eccleſia Dei, ut perſpicuum ſit et ex Inuentionibus, quæ Martyrologijs quam plurimæ adſcriptæ ſunt, et ex ſermonibus, quos de inuentionibus ſanctorum Geruaſij, et Protaſij, Nazarij, et Celſi, Vitalis, et Agricolæ, beatus Ambroſius habuit, et ex ſancto Auguſtino lib. 9. confeſſionum, cap. 7. lib.22.cap.8. et ex Inuentione beati Stephani Protomartyris: quam Lucianus presbyter Hieroſolymitanus græce conſcripſit, latinamq. fecit Auitus presbyter Hiſpanus. Idq. ipſum plane cognoſcitur ex multis concionibus,quas idem ſanctus Auguſtinus de eodem protomartyre habuit. De inuentione ſancti Herculani epiſcopi Peruſini ſcribit Gregorius Magnus lib.3 dial. cap.13. De inuentione capitis ſancti Ioannis Baptiſtæ extat liber in operibus beati Cypriani martyris. Neque eſt, cur hoc loco id pluribus differamus. Translationes autem Sanctorum, pio cultu et anniuerſaria ſolemnitate celebratas perpetuo eſſe, cum ex martyrologijs cognoſcimus, tum ex ijs, quæ eccleſiaſticis monimentis a grauiſſimis uiris prodita ſunt de translationibus ſanctorum,

Ioann-

Ioannis Baptiſtæ Alexandriam; Lucæ,et Timothei Conſtantinopolim; Ignatij martyris Antiochiam; Babylæ, Meletij,et aliorum,quorum tranſlationes Alanus Copus commemorat dial.3. cap.16. et nufrius cap. 16. lib. de ritu Sepelliendi. In transferendis autem ſanctorum reliquijs, qui ritus olim adhibitus ſit, facile cognoſci licet ex ep xxiiij. ſancti Ambroſij ad Marcellinam ſororem,et ex locis multis beati Auguſtini. Hoc ipſo die fit in eccleſia Constantinopolitana de ſancto Malachia propheta: ſed nono calendas Maij, anniuerſarium eius diem adſcripſimus, adducti certa martyrologij ueteris auctoritate.

Pridie nonas Ianuarij.

Octaua ſanctorum Innocentum.) Cuius meminit Amalarius lib. 4. cap. 37. de eccl.off.auctor micrologi cap.36.qui cauſam affert,cur eorum octaua ſolennius agatur, quàm dies martyrij.

Sancti Titi.) Ad quem ſanctus Paulus epiſtolam ſcripſit,quæ extat: multis præterea locis eiuſdem meminit, ut 2.Cor.2.7.8.12. Gal.2. 2.Tim.4. Euſebius item lib.3. hiſt.eccl. cap.4. Dorotheus in Synopſi, et nos in notationibus ei adiunctis; Ignatius in ep.5.ad Philadel. Græcus etiam ſcriptor in appendice ad Hier.catal. cap.12. Iſidorus in lib.de uit.Pont. nou.teſt. Beda præterea, Vſuardus in Martyrol. hoc ipſo die; tum Volateranus lib.19.com. Eius uitam litteris mandauit Zenas, cuius idem Apoſtolus aliquando meminit.

Sanctæ Dafroſæ.) Sic in Bedæ, et Vſuardi martyrologijs, et manu ſcriptis, et emendatæ impreſſis legitur. Alij tamen Darfoſam appellant: de qua etiam memoriæ ab Adone proditum eſt, et in Geſtis item Pigmenij, et Bibianæ. Eius martyrium anno Domini circiter CCLVI.

Sanctorum Priſci presbyteri, Priſcilliani &c.) De quibus breuiter Ado, Vſuardus, Beda et alij ſcribunt: aliquid etiam extat in geſtis Pigmenij, et Bibianæ.

Sanctorum Hermetis, Aggei &c.) Vſuardus, Mart. R. Ado.

Sancti Ferrutij.) Beda.

Sanctorum Aquilini, Gemini &c.) Martyrium cadit in annum Domini circiter CCCCXXXVI. Ado, Vſuardus, Beda, M.R.

Sanctorum Septuaginta duorum &c.) Monologium græcum, et oratio, quæ extat in græcis antiquis orationibus. De ſeptuaginta autem diſcipulorum nominibus Dorotheus in Synopſi, nosq. in notationibus, illi adiunctis. Sed ſeptuagintane duo,an ſeptuaginta ſolum extiterint, diſputatio eſt. Sanctus Hieronymus in libro Manſionum ad Fabiolam ſeptuaginta fuiſſe opinatur. idem ſentit ſanctus Ambroſius, et Irenæus lib.3.c.13.et Euſebius lib.1.ca.12.at duos et ſeptuaginta ſcribit ſanctus Auguſtinus lib.2.euãg.quæſt.et Beda lib.3. in Lucam, et Clemens pontifex et martyr lib. 2.cap.59. Apoſt.Conſt. et Epiphanius auctor græcus omnis antiquitatis uſu litterate peritus in fine primi tomi contra hæreſes. quid multis? beatus Lucas Euangeliſta, totam diſputationem explicat illis uerbis: Deſignauit Dominus, et alios ſeptuaginta duos, ut eſt uulgata editio, latinorum codicum omnium antiquitate comprobata: cui ſuffragantur etiam græci libri emendatiores, et codex in primis peruetus Apoſtolicæ Bibliothecæ. Quod uero illi pro duobus et ſeptuaginta. dixerint ſeptuaginta tantum, id factum eſt, eo more, tritoq. uſu loquendi, quòd breuitatis cauſa, numero minori omiſſo, maior recenſetur. Videmus enim Bibliorum interpretes a ſcriptoribus ſeptuaginta appellari, cum tamen e ſingulis tribubus, quæ duodecim erant, ſex delectos ſeptuaginta duos extitiſſe conſtet.

Sancti Gregorij epiſcopi.) Qui Ligonenſi eccleſiæ cum annos quatraginta præfuiſſet, multis rebus religioſe geſtis, quieuit in Domino anno ſalutis DXXIIII. Eius uitam ſanctus Teticas, eiuſdem urbis epiſcopus, litteris mandauit. quam uitam poſt Gregorius Turonenſis contexuit lib. de uit. patrum cap. 7. Eandemq. Surius in uolumen. 1. retulit. Multa etiam de illo narrat, Vincentius Belluacenſis lib. 21. cap. 53. Spec. ſanctus Antoninus part. 2. an. tit. 12. cap. 8. et Boninus Mombritius part. 1. de uit. Sanct. Eiuſdem meminit idem Gr. Tur. lib. 3. cap. 19. hiſt. Franc.

Sancti Agontij &c.) Cuius uitam breuiter beatus Gregorius Magnus narrat lib. 3. dial. cap. 25. Is quieuit in Domino, anno ſalutis DLXIIII.

Sancti Petri Damaſceni.) De quo ſanctus Antoninus tit. 14. cap. 2. Annal. et Sigilbertus in Annal. Is martyrio coronatur anno Domini DCCXLIIII.

Sancti Rigoberti.) Quem alij Robertum appellat; eius uitam legimus apud Surium uol. 1. de Sanct. Eſt etiam de eodem mentio in hiſtoria, quam de Francis Paulus Aemilius ſcribit lib. 2.

Sancti Pharaildis.) De qua in Martyrol. Belg. et apud Maſſæum lib. 12. Annal.

Sanctæ Fauſtæ uirginis.) Martyrolog. M. S.

Sancti Rogerij.) De quo in litteris Gregorij Noni Pontificis, quæ Tuderti aſſeruantur.

Nonis Ianuarij.

Vigilia Epiphaniæ Domini.) Cuius meminit ſanctus Hieronymus in libro, qui inſcribitur Lectionarius, et auctor Micrologi cap. 40. et Ordo Romanus. quo libro traduntur Lectiones, quæ more Romano eo die in Eccleſia recitantur. Sicardus autem, et Durandus exponunt totam eiuſdem diei officij rationem. Antiquus ſane eſt uigiliarũ uſus, et cultus, ut pluribus Iſidorus diſſerit lib. de eccl. off. cap. 22. De nocte uigilat ad te ſpiritus meus; inquit Eſaias Propheta, cap. 26. Media nocte ſurgebam, ad confitendum tibi, ut ſcriptum eſt in Pſal. 118. quid? CHRISTVS Dominus et uerbis, et crebris exemplis, has ſacras uigilias, ac pernoctationes docuit, Matth. 12. Luc. 12. et 6. Exploſa eſt autem Vigilantij, et aliorum hæreticorum, quos Nyctazontes appellant, de his uigilijs male ſentientium, opinio; ut eodem loco idem Iſidorus ſcribit, et ſanctus Hieronymus in ep. ad Riparium presbyterum, et patres concilij Aquiſgran. cap. 130. Quàm magno pietatis ſtudio hæ uigiliæ ſeruarentur, id cum ex alijs cognoſci licet, tum ex eo, quod ad illas pie colendas ſanctus Auguſtinus hortatur con. 2. in pſal. 32. et Ser. 55. de temp. et ſanctus Ambroſius ep. 85. ad Marcellinam ſororem, et copioſe admodum oſtendit Gregorius Turonenſis lib. 10. cap. 29. Nec uero ſingulis dierum feſtorum noctibus, ſed certis quibuſdam, ab eccleſia præſcriptis, illas celebrari oportere, decretum eſt concilio Oxonienſi. Atque illæ quidem præcipuæ ſunt, uigilia ſacri Natalis diei Domini, quæ adhuc obſeruatur; uigilia Paſchæ Reſurrectionis, de qua Albinus lib. de diu. off. et nos ſuo loco, uigilia præterea Pentecoſtes, uigilia ſancti Io. Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolorum Petri, et Pauli, ſancti Laurentij, Aſſumptionis beatæ Mariæ uirginis, ſancti Bartholomæi, ſancti Matthæi, ſanctorum Simonis, et Iudæ, uigilia Omnium Sanctorum, ſancti Andreæ, ſancti Thomæ, ſancti Iacobi, et ſancti Matthiæ. Ad has uigilias ita diligenter clericos conuenire oportebat, ut ſi quis eorum, inualetudine non impeditus, ei muneri defuiſſet, non clericali ſolum ſtipendio mulctaretur, ſed excommunicationis pœnam ſubiret, ut Carthaginenſi concilio 4 cap. 49. ſancitum eſt. Illud uero ex Romano Antiphonario, et ex Amalario animaduerti licet, ad primam uigiliam initio noctis olim clerum dumtaxat

rat conueniſſe; ideoq. eam nocturni officij partem ſine inuitatorio eſſe, quoniam ad uigilias populus ea hora non inuitaretur: ad alteram autem uigiliam, cuiu a media nocte initium fiebat, et clerum, et populum frequentem concurriſſe. At ſancti Hieronymi tempore, ut ex epiſtola, ad Euſtochium ſcripta, cognoſcimus, tripartita matutinarum precum diuiſione, ſacrarum uigiliarum excubiæ agebantur. Verum in eo fidelium concurſu, qui ad illas maximus fiebat, humani generis hoſtis, Satanas, religionis progreſſui inuidens, ſubdole fecit, ut pius earum uſus, ſancte inſtitutus, ac diu religioſe ſeruatus, uiolaretur, inductis nonnullis morum corruptelis. Itaque Elibertini Concilij patribus primùm prohiberi placuit, ut ne fœminæ in Cœmiterijs pernoctarent; id quod canone 35. in eodem Concilio, et in Antiſiodorenſi Can. 2. 3. enucleate præſcriptum eſt. Quàm ualde autem deteſtabilis corruptelarum uſus: introductus eſſet ad ſacrarũ uigiliarum celebritatẽ; hoc ſanctus Auguſtinus oſtendit ſermone xxv. ad fratres in heremo. Porrò iſta corrupta morum conſuetudo Mediolani cum eſſet; rei indignitate Monica mater commota, ab ſancto Ambroſio id impetrauit, ut in eccleſia Mediolanenſi uigiliæ nocturnæ ceſſarent. At earum loco profeſtis diebus ſanctorum ieiunia colimus, uel ex inſtitutione, uel ex deuotionis ſtudio, ut præclare eodem ſermone ille exponit. Mediolanenſes in uigilijs ſanctorum martyrum, Geruaſij, et Protaſij, quos patronos pia ueneratione colunt, ieiunium ſeruant: itidem faciunt Rauennates, ſancti Apollinaris epiſcopi, et martyris: ſicq. reliqui populi profeſto die ſancti, quem patronum uenerantur. Nec uerò populi ſolum ſingulari pietate id præſtant; ſed priuati homines, qui religione ducti, ſanctum præcipua ueneratione deligunt, ad cuius patrocinium ſe precibus conferant. Theodoſium Cæſarem in ſingulari cultu, ſanctum Ioannem Baptiſtam habuiſſe, memoriæ proditum eſt: ſicut de Bonifacio etiam Comite legimus, qui beatum Stephanum protomartyrem ſibi patronum ſumpſit; cuius feſtum diem omni chriſtianæ pietatis officio coleret. Atque hæc quidem de ieiunio, quod deuotionis ſtudio, ut S. Auguſtinus ait, ſeruatur. Ieiunia uero ex inſtitutione, atque ex præcepto ſunt, quæ in aliquot ſanctorum uigilijs, et alijs certis diebus, temporibusq. præſtari oportet. Eodem loco is commemorat, quæ ſanctorum uigiliæ ſint, in quibus colitur, ſeruaturq ieiunium; nempe uigiliæ Aſſumptionis beatæ Mariæ uirginis, Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ ſanctorum Apoſtolorum. Petri, & Pauli, Simonis, et Iudæ, Matthæi, et Andreæ ac Iacobi maioris. Quo loco in reliquorum Apoſtolorũ uigilijs, et ſi is ieiuniorum non meminit; at in ijs ieiunia coli oportere, præterquam in illis, quæ beatorum Apoſtolorum, Iacobi, et Philippi, ac beati Ioannis Euangeliſtæ ſunt, hoc præcipit S. Mater eccleſia, ut eſt decretalis epiſtola, ab Innocentio Tertio, pont. max. ad Archiepiſcopum Braccharenſem conſcripta. De alijs ieiunijs, quæ coli, præſtariq. debent, loco ſuo uberius differetur, ne longior à notationum propoſito digreſſio fiat.

S. Teleſphori.) Qui, ut Irenæus li. 3. c. 3. aduerſus Hær. inquit, glorioſiſsime martyriũ fecit. De eodẽ Methodius in Chronicis, Tertullianus contra Marcionẽ, Damaſus in pont. cap. 9. Euſebius lib. 4. cap. 5. hiſt. eccl. et in Chronicis; Nicephorus lib. 3. cap. 25. hiſt. ſacræ, & in Chron. Zonaras, Ann. tom. 2. Ado in Ann. Beda, Vſuardus in Martyrol. Haimo lib. 4. cap. 17. rer. chr. mem. Marianus Scotus, et Martinus Polonus in Chron. Otho Phrigigenſis lib. 3. cap. 22. et 24. Abbas Vrſp. in Chron. Albinus de Diu Off. Amalarius de Off. Miſ. Volateranus com. lib. 22. Albertus Crantius eccl. hiſt. lib. 2. cap. 1. Nauclerus tom. 2. gen. 5. & alij præterea plurimi.

A ſancto Petro nonus.) Vſuardus, & alij item, ſeptimum putant, ſed nonum rectè cenſeri, in notationibus oſtendimus, quas Platinæ adiunximus.

Cathedram Romanam tenuit.) Quot annos ad eccleſiæ gubernacula is ſederit, diſſentiunt in hoc Latini à græcis, pontificiorum annalium ſcriptoribus. Verum nos Latinos, ut pote qui rectius id norunt, plane ſecuti ſumus, et beatum Damaſum in primis.

Ieiunium per ſeptem hebdomadas.) De quo ieiunio apud Gratianum diſt. 4. cap. Statuimus, apud Iuonem par. 4. & Burchardum lib. 13. canone cauetur. Quod ieiunium is decreuit, concilio Romæ habito: idq. ut ſeptem ante Paſcha hebdomadis, quemadmodum Rabanus ſcribit, ieiunijs corpus maceremus; ſicut rurſus alijs ſeptem poſt Paſcha hebdomadis, nempe ab eo Paſchæ die uſque ad Pentecoſten, à ieiunijs relaxamus. In illis, quæ Paſcha præcedant, luctu, lacrymis, abſtinentia, corporis afflictatione, ieiunijs, peccatorum pœnitentiam operam damus, ut Dei miſericordiam imploremus; in ijs, quæ Paſcha ſequuntur, oratione, diuinis laudibus, ceteriſq. pietatis officijs ſtudemus peruenire ad promiſſam ſpiritus ſancti gratiam. Hæc beati Teleſphori ſanctio de ſeptem hebdomadarum ieiunio, iam inde ab Apoſtolicis uſque ducta eſt temporibus, ut ex beato Clemēte lib. 5. conſt. Apoſt. ex Damaſceni libro, quem de ieiunijs ad Cometam ſcripſit, ex Athanaſio Magno ἐν τοῖς λόγοις ἑορτατικοῖς, ex Petro Patriarcha Hieroſolymitano, ex Sancto Baſilio in ſer. contra Ebrios, ex Anaſtaſio Antiocheno, ἐν τῶ ὁδηγῶ, plane animaduerti poteſt. At uero enuclate, ac docte ſimul, pieq. de hac re tota F. Turrianus diſſerit lib. 5. pro ep. pont.

Natali die tres Miſſæ à ſingulis ſacerdotibus.) Vualfridus lib. de reb. eccl. ca. 21. Albinus lib. de Diu. Off Cap. 1. Carolus Magnus in Frag. alijq. rituum eccleſiaſticorum ſcriptores. De eius autem inſtitutionis myſterio tum eodem loco Albinus, tum Sicardus Cremonenſis, eiuſq. imitator Durantius ſcripſit, tum in primis Innocentius Tertius, Pont. cerimoniarum eccleſiaſticarum, et myſteriorum litterate peritus, in ſer. 3. de Nat. Domini. Solemni præterea feſto die Natali ſancti Ioannis Baptiſtæ, ter ab unoquoque ſacerdote Miſſam celabratam eſſe, ex libro Caroli Magni accepimus. qua de re tota copioſius loco ſuo dicemus.

Hymnus, Gloria in Excelſis.) Quem hymnum, diuinis plenum myſterijs, ante ſacrificium dici, hic pontifex inſtituit. diebus uero Dominicis, et Natalibus martyrum dumtaxat cani Symmachus pontifex decreuit. Eum hymnum Angeli incoharunt, Hilarius ſanctus abſoluit, ut Albinus ſcribit.

Martyrium, Antonino Imp.) Anno Domini CXXVII. ut eſt ab Onufrio ſupputata annorum ratio, L. Aelio, Adriani Auguſti F. Vero Cæſare II. & Cælio P. F. Balbino Vibullio Pio Coſs. Alij, beati Teleſphori martyrium aſcribunt in anno Domini CXXXVIJ. Quintio Nigro, & Sulpitio Camerino, Coſs. Sed in tam diuerſa annalium, & conſulatuum ratione, quam ijs temporibus animaduertimus rem controuerſam aliorum iudicio relinquimus: illud unum affirmamus, quod omnes ſentiunt, Teleſphorum, de quo ſcribimus, Pontificem ſanctiſsimum martyrium ſubijſſe, ut in Martyrologio narratum eſt, Tito Antonino Imperatore: qui ob morum benignitatem Pius uocitatus eſt; uel, ut Euſebio placet, quia Chriſtianis, qui in Aſia crudeliter uexabantur, ſuccurrit. Hæc quarta contra Chriſti Domini eccleſiam perſecutio ab ſancto Auguſtino numeratur lib. 18. cap. 52. de Ciuitate Dei. Qua in perſecutione, ut fidei Chriſtianæ teſtimonio eſſent, clariſſimi uiri, tormenta, cruciatus, necem, omneq. ſuplicij genus obierunt, Iuſtinus Philoſophus, Dionyſius Corinthi epiſcopus, Polycarpus, Pionius, quorum præclaræ pro religione dimicationes, et illuſtria martyria commemorantur; Carpus item, Papylus, Agathonica, et alij, qui poſt eximias fidei noſtræ confeſsiones, inſigniter coronati, in litteris eccleſiæ Smyrnenſis nominantur. In Gallia ijs temporibus nihil, niſi crudeliter cogitatum, atque actum eſt; idq. et ſi minus Antonini

Cæſa-

Cæſaris, at legati, crudeli barbarie, ut infra exponemus, qui illius nomine prouinciam Lugdunenſem gerebat. Permulti enim, ut Euſebius ſcribit, in illis perſecutionum facibus, ubique terrarum in Gallia excitatis, inſigni martyrio pro Chriſti gloria coronati ſunt: quorum certamina, pro pietate fortiter ſuſcepta, litterarumq. monimentis conſignata, leguntur. Antonino Imperatore, in Africa Rufinus, Marcus, Valerius, & Honoratus; Antiochiæ, Demetrius epiſcopus, Amatus diaconus, Euſtochius, et ſocij uiginti; in Luſitania, Veriſsimus, Maxima, & Iulia, ſorores: in Nicomedia Daſius, Zoticus, Caius, & alij duodecim: in Calabria Iacynthus, Quintus, Felicianus, & Lucius: Romæ Septem fratres, Ianuarius, Felix, Philippus, Siluanus, Alexander, & reliqui duo, ac paulo poſt, eorum mater item: Romæ præterea, Arethas, & alij quinque; non multo poſt etiam, Narciſſus, Creſcens, & Candidus: uia Aurelia, Fortunatus, Saturninus presbyter, Nereus, & ſocij CCCLVX, Capuæ, Marcellus presbyter, Caſtus, Æmilius, & Saturninus alij denique pæne innumerabiles, qui in omni orbe tunc pro Chriſto Domino uarie cruciati, martyrium pertulerunt. Sed quoniam in his noſtris notationibus, cum ad Martyrologij rationem hoc ualde pertineat, propoſuimus, ſingulas perſecutiones, litterarum monimentis tradere; eſt cur breui, at enucleate tamen, perſcribamus, qualem ſe Chriſtianis hic Antoninus præſtiterit: quod ſane cum ex multis alijs, tum maxime ex Iuſtini Apologia, quam is ad illum exarauit, & ex altera item, quam Melito Sardenſis ad Lucium Verum, eiuſdem Antonini Pij filium, ſcripſit, atque ex illius ipſius edicto facile cognoſcemus. Adriano ſucceſsit Titus Antoninus, qui in Pādectis modò Antoninus Magnus, modò Diuus Pius appellatur. Marcus autem Antoninus, is eſt, qui Philoſophus uocitatus eſt. In edicto igitur, quòd hic de Chriſtianis promulgauit, mendoſe apud Euſebium initio legitur, Marcus, ut animaduerti etiam licet ex apologia beati Iuſtini martyris, qui prænomine Titum hunc appellat. Porrò Adriani, qui Chriſtianorum cauſæ aliquando cauit, reſcripto, illorum incolumitati ſatis conſultū eſſe, hic cenſuit. Nec uero putauit prouinciarum præſides quicquam contra innocentes homines ſine cauſa agere, neque aliter de eiſdem ſtatuere, quàm Adriani edicto præſcriptum eſſet. Sed certè contra factum eſt: nullaq. Cæſarum edicta, uel reſcripta, uehementius ſpreta, contemptaq. ſunt, quàm ea, quibus illi Chriſtianos adiuuare, aut ſubleuare uidebantur. Immo uerò, quò maiori benignitate Principes Romani fidelium cauſam amplectebantur; eò infeſtius, et præfecti, et gentes, à fide auerſæ, illos exagitabant, atque inſectabantur. Sin autem aliquando fortaſſe Romæ æquiores ſe noſtris magiſtratus præbuerunt: in prouincijs tamen crudeliter contra eoſdem actum eſt.

Lugdunenſem prouinciam Septimius Seuerus tunc obtinebat, cum ex edicto principum, in urbe Chriſtianis non male, neque inique fiebat: in Gallia tamen iſtius imperio, de illis quàm grauia, quàmq. inaudita ſupplicia crebro ſumpta ſint, eccleſiaſtici teſtantur annales, eccleſiaſticæq. epiſtolæ. Atqui hæ perſecutionum faces per nefarios hæreticos, quorum maximæ illis tēporibus cohortes erant, uehementer excitatæ ſunt. Cum enim ij perditiſsimi Rei Chriſtianæ helluones ſe Chriſtianos eſſe mentirentur, publicum illud gentium, à noſtra religione abhorrentium, contra noſtros odium, omni ſcelerum, flagitiorumq. genere in flammabant. Qua animaduerſa re clariſsimi uiri multi, Chriſtianæ fidei colentes, olim Quadratus, Ariſtides, Apollonius Senator, Athenagoras philoſophus, Melito Sardius, pro Chriſtianorum cauſa, conſcriptis apologiarum libris, defenſionem ardenti ſtudio ſuſceperunt: in ijſq. Iuſtinus philoſophus in primis, qui communi fidelium nomine ad hunc, de quo agimus, Antoninum Pium ſe contulit: cui ſenatuiq. Romano noſtrorum cauſam exponit; eorum innocentiam tuetur; aduerſariorum calumnias depellit; Adriani reſcriptum ad defenſionem affert. Quo Apologiæ li

bro Antoninus Chriſtianis, ut ab Oroſio ſcriptum eſt, æquior per Iuſtinum factus eſt: exemploq. Adriani patris, id quòd Melito Sardienſis narrat, Lariſſæis, Theſſalonicenſibus, Athenienſibus, et ceteris illud reſcripſit, ut contra eos nil quicquam noui decerneretur. Immo proditum memoriæ eſt, fideles ab eo uſque adeo uehementer amatos eſſe, ut beneficijs, quibus illos Adrianus affecit, etiam auctos, atque ornatos eſſe uoluerit. quamobrem aduerſus calumniatores exemplo, ut diximus, Adriani patris, eorum cauſam defendit multis reſcriptis, quæ hodie nulla extant. At edictum unum apud Euſebium, quod beati etiam Iuſtini libris adſcribitur, eiuſmodi eſt.

IMPERATOR CAESAR, TITVS Antoninus, Auguſtus, Armenius, Pont. Max. Trib. poteſt. XV. Coſ. VIII.

Communi conſilio Aſiæ. S.

Noui equidem dijs curæ eſſe, ne tales homines impuniti in obſcuro lateant. nam illi ipſi, ſat ſcio, de ijs, qui cultum tribuere ipſis recuſant, ſunt multo acerbius ſupplicium ſumpturi, quàm uos. Ac quibus hominibus iam ipſi grauem exhibetis moleſtiam, et tamquam impios, et a deorum cultu auerſos, inſimulatis, eorum plane, quam habent, confirmatis religionem. Illis enim magis in optatis eſt, ut in crimen adducti, mortem pro Deo ſuo oppetant, quàm ut uita fruantur. Vnde ſua ipſorum uita hoc pacto prodita, multo maiorem clarioremq. reportant uictoriam, quàm ſi imperata, quæ uos ab ipſis fieri poſtulatis, obirent. Ceterum de terræmotibus, qui uel præterierunt, uel iam ſunt, non alienum a ratione uidetur, uos commonefacere: quandoquidem, et cum adſint, animos dimittitis, et infelices ueſtri omnium caſus, in illorum religionem, tamquam eorumdem cauſam, transfertis. At illi, cum tale quid eueniat, conſtantius firmiusq. Deo fidunt. Vos autem toto illo tempore, Deum penitus ignorare, resq. ſacras prorſus contemnere, et non ſolum cultus, qui ſoli Deo debetur, inſcij eſſe, et expertes; uerum etiam eos, qui illum obſeruant, et uenerantur, grauiter exagitare, et ad mortem uſque inſectari uidemini. Pro quibus hominibus multi, qui noſtris præfuere prouincijs, iam ante diuiniſſimo, ſanctiſſimoq. noſtro patri ſcripſerunt. Ad quos quidem ille reſcripſit, nihil eiuſmodi hominibus nego-

negotij faceſcendum; niſi forte aliquid maleficij contra Imperium Romanum deſignare moliantur. Ad me etiam eorum cauſa ſcripſere multi: quibus per litteras, patris mei uoluntati, et ſententiæ aſſentientes, reſponſum dedi. Quod ſi quiſpiam igitur cuiquam Chriſtiano, quia chriſtianus eſt, pergat moleſtiæ quicquam, aut criminis inferre; ille, cui crimen illatum erit, etiamſi re ipſa chriſtianus deprehenſus ſit, abſoluatur: qui autem illum accuſauerit, iuſtum debitumq. ſupplicium ſubeat.

Adiunxit huic edicto Ruffinus interpres, quod in græco codice non eſt, hoc ſcilicet, ad Chriſtianorum odium, atque inuidiam publicas clades transferri. Sed quam indignum nefariumq. id eſſet, ex Iuſtini Apologia idem Antoninus cognouerat. Quod uerò multis etiam poſt ſæculis, ab fidei aduerſarijs in odium eam ob cauſam noſtri adducti ſint, intelligi licet ex Tertulliano in Apologetico, Cypriano contra Dem. Arnobio contra gentes, Auguſtino de Ciu. Dei, et Auguſtini diſcipulo Oroſio. Iam uero ad edictum reuertamur, quo Titus Antoninus plane ſtatuit, ne quis eo ſolo nomine, quod Chriſtianus ſit, reus fiat: aut, ſi fiat, abſoluatur: accuſator autem condemnetur: ſicq. Adriani patris reſcriptum confirmauit. At nihil tamen Chriſtianæ rei profuit: immo, ut narrauimus non minor, quam antea, ubique terrarum exarſit perſecutio, præſertimq. in Aſia, et in Gallia: ubi multo plures ad martyrium perducti ſunt, ut ex eccleſiæ Lugdunenſis litteris didicimus, et animaduertimus.

S. Simonis.) Alij, Simeonis: cuius mentio fit a Damaſceno lib. 3. contra imaginum oppugnatores, et in Nicæna Synodo poſteriore. Eius uita primum a quodam ſeruo Dei, Antonio conſcripta eſt: quam poſtea Nicephorus in hiſtoriæ ſuæ uolumen retulit. De eodem Theodoritus, Cypri epiſcopus, in libro, qui Philotheus inſcribitur, multa narrat. cap. 26. Euagrius item hiſt. eccl. lib. 1. cap. 13. et 14. lib. etiam 6. cap 22. ac Simo præterea Logotheta, Georgius quoque Cedrenus in hiſtoriarum epitome, quam egregie contexuit, et Glycas etiam Græcus, par. 4. annalium. Tota eius uitæ ratio enucleate perſcribitur in uolumine, quod eſt de uitis patrum cap. 45. par. 1 Fuit etiam alius, qui hanc ipſam uiuendi rationem ſecutus, Stylitæ cognomen accepit, nempe Daniel Stylita, quem idem Glicas commemorat: ſed Simo hic, omnium ſermone uſque adeo celebratus eſt, ut quod ipſe Theodoritus teſtatum facit, Romæ in officinarum ueſtibulis ubique eius imagines collocatæ, extiterint. Huius autem diuini uiri dies natalis in Græcia agitur calendis Septembris. Sed eſt, cur de Stylitis, quos Columnarios interpretemur licet, enucleatius perſcribamus. Erant enim religioſi homines, qui fide, et pietate ducti, ſacco induti, in cinere, et lacrymis, uitam duriter agebant, humi moleſte cubando, et per multos dies, ac noctes, ſæpeq. per menſes, atque adeo annos ſtando: hiq uel in locum, uel in columnam incluſi, Stylitæ appellabantur, ut hic, de quo agimus, Simo, et Daniel, atque alij item, de quibus annalium eccleſiaſticorum monimentis proditum eſt. Eos perbelle Nazianzenus Gregorius expreſſit his uerſibus græcis.

Σάκκῳ τὶς ἄλλος, καὶ σποδῷ, καὶ δακρύοις,
Εἵλκυσεν οἶκτον, καὶ χαμευνίας πόνῳ,
Στάσει τε νυκτῶν ἡμερῶν τε πλειόνων.
Μυῶν, τὸ τούτου μεῖζον. εἰ δ' εἴποιμ' ἐτῶν,

Απιςον οἶμαι. πλὴν ἐμοὶ πιςὸν λίαν,
Οσοι τ᾽ ἐπόπται τῶν φίλων τοῦ αἵματος.
Πίςις γὰρ ἐςὶ ὕλαισι καὶ φόβος θεοῦ.

Sancti Domnionis.) Qui fuit ciuis Bergomenſis, beatæ Euſebiæ uirginis frater germanus. De eo ſcriptum extat in momentis eccleſiæ Bergomenſis.

Sancti Ruſticiniani.) Hic fuit uigeſimus primus epiſcopus Brixiæ: de quo in annalibus aliquid memoriæ prodit Helias Capreolus, municeps Brixienſis. Inuentio celebratur nono calendas Auguſti.

Sanctorum Theopempti, Theonæ &c.) Quorum pro fide certamina, et ſancte, religioſeq. facta, litteris conſignata, extant in tabulis eccleſiæ Græcæ.

Sanctæ Syncleticæ.) Cuius uitam, a beato Athanaſio, epiſcopo Alexandriæ, conſcriptam refert Nicephorus lib. 8. hiſt. eccl. cap. 40.

Beatæ Aemylianæ.) Homil. 38. Gre. Magnus pont.

Sancti Eduardi regis.) Cuius uita, ab Alredo monacho Ciſtertienſi contexta, et canonizatio item, extat apud Surium tom. 1. de uitis Sanctorum De quo tamen liber, ab Osberto quodam ad Albericum legatum Innocentii Secundi, pontificis, primùm ſcriptus eſt.

Hoc ipſo die, qui eſt nonis Ianuarij, Conſtantinopoli celebritas agitur ſancti Pauli primi heremitæ: de quo infra, quarto ſcilicet idus eiuſdem menſis nos dicemus: et commemoratio etiam fit Micheæ prophetæ, ut eo ipſo die exponemus.

Octauo idus Ianuarij.

Epiphania.) De Epiphaniorum ſolemni celebritate, patrum tum latinorum, tum Græcorum commentarij, ſermonesq. plurimi extant; ſancti Auguſtini ſermones ſeptem, tomo decimo aſcripti in ijs, qui de tempore dicuntur, hi ſcilicet 29. 30. 31. 32. et qui deinceps ſequuntur: alius item ſermo eiuſdem 43. ad fratres in heremo habitus; alius præterea, numero 58. in ijs; qui nuper inuenti ſunt: ſancti item Gregori Magni, in baſilica ſancti Petri Apoſtoli, Romæ habita, quæ homilia 10. numeratur: ſancti Ambroſij ſermones tres, nempe 19. 20. 21. ſancti Hieronymi liber, quem tractatum dicunt: ſancti Leonis Magni, papæ ſermones octo, ſancti Cypriani martyris ſermo unus, de Magis, et ſtella inſcriptus: Sancti Ambroſij, quatuor: nempe 18. 19. 20. 21. Sancti Maximi Taurinenſis ſermones octo: ſancti Petri Chryſologi, conciones quinque: ſancti Fulgentij ſermo unus: Bedæ Homilia una in hyemlibus: Honorij presb. ſermo unus. Iuonis ſermo itidem unus: Innocentij papæ Tertij ſermones: Iacobi Vitriaci Cardinalis, uiri doctiſſimi ſermones: Radulphi Ardentij conciones aliquot: Sancti Brunonis ſermones item: Petri Cardinalis Aliacenſis ſermo: Guerrici Abbatis Igniacienſis, hominis religioſi, atque eruditi ſermones tres: et aliorum præterea plurimorũ patrum latinorum: qui inferiori ætate ſunt. Græcorum autem, Baſilij in primis, homilia una, quæ inſcribitur, de humana CHRISTI generatione: Gregorij Nazianzeni homil. duæ, nempe 40. 41. Chryſoſtomi ſex in Matth. Gregorij Emiſſeni una. Atque hæc quidem de homilijs, et ſermonibus ueterum, tum Græcorum, tum Latinorum.

Hoc ſolemni die Eccleſia Romana mater, tria myſteria celebrat, ut ex ſermonibus, et hymno, quem canit, perſpicuum eſt: quartum etiam, præter hæc tria, olim eccleſia Africana celebrauit: illud uero eſt de miraculo quinque panum, & duorum piſcium: ut ex S. Auguſtini ſermonibus accepimus. De quattuor item

myſte-

myſterijs, hoc die peractis, extant conciones, et Maximi Taurinenſis: et Iuoni epiſcopi Carnutenſis; et liber meminit, qui Caroli Magni nomine inſcribitur, de ritibus uet. eccl. et ordo Romanus. De ijs ipſis præterea quattuor celebrandis morem hodie adhuc eccleſia Mediolanenſis retinet, ut ex illius hymno cognoſcimus. At ſancti Ambroſij tempore, a quo omnem rituum inſtitutionem hæc accepit, baptiſmum Christi Domini hoc die celebrauit; ut itidem in eccleſiæ græcæ uſu poſitum eſſe, ex Menologio, et Gregorij Nazianzeni concionibus duabus animaduertimus, quarum una eſt xxxjx. altera xxxx. Grecos autem Syri ſecuti, itidem faciunt, ut ex eo perſpici poteſt, quòd in illorum eccleſijs hoc feſto die initium Euangelij ſancti Marci: quod de baptiſmo eſt, legitur. At uero illud in perpetuo, catholicoq. matris Eccleſiæ Romanæ uſu fuit, ut, quamuis Christi Domini, et baptiſmum, et miraculum etiam conuerſæ in uinum aquæ, ſicut narrauimus, celebret: maiorem tamen diuini officij partem in aduentu Magorum, eiuſq. rei myſterio ponat: id quod et euangelium, et homiliæ patrum, et in primis ſancti Leonis Magni ſermones illi octo, hoc die habiti, et Innocentij Tertij, Pontificis, conciones de Magis, et alia præterea oſtendunt. Porro olim chriſtiani, Aegyptum incolentes, uſque adeo hunc ipſum diem, quemadmodum teſte Iſidoro Caſſianus narrat, in cultu, ac ueneratione habuerunt, ut hoc uno, et diem Natalem Domini, et Epiphaniorum, ſolemnem celebritatem agerent. Eſt ſane Albinus Flaccus, quem Alcuinum dicunt, in ea ſententia, ut opinetur, hanc ſecundam Natiuitatem Christi eſſe, totq. illuſtratam myſterijs, honoratiorem, quàm primam. Epiphania autem numero multitudinis dicuntur, et Theophania, et Bethphania; ut uniuſcuiuſque nominis uim, ac notationẽ cum Græci, tũ Latini exponunt; preſertim Innocentius pontifex, Durantius, et Sicardus, et in Grecis Michael Glycas potiſſimum; qui id copioſius de multorum ſententia exponit: omneſq. ſummatim ita appellari putant, quia Christvs Dominus, propriam Diuinitatem hoc die oſtendit; ut idem tradit Clemens pontifex, et martyr, in conſt. Ap. Diem feſtum regum alij appellant: Græci autem feſtum ſanctorum luminum: quo nomine inſcribitur oratio xxxx. Gregorij Nazianzeni, hoc die habita: Nicetaſq. exponit, diem luminum dici, quia Christvs baptizatus eſt, et faces propterea accenduntur. Moris fuit, hoc die, epiſtola ſcripta, ab Patriarcha Alexandrino, initium quatrageſimæ, et Paſchæ Reſurrectionis diem epiſcopi ægypti denunciari. Græci hoc die baptiſmum miniſtrant; ut nonnulli etiam fieri debere opinati ſunt; quorum damnata ſententia, Leo Magnus epiſcopis Siciliæ reſcribit, neminem niſi urgente neceſſitate, in Epiphanijs baptizari debere, ut ſcribit item Rabanus. Iam uero uſque ab Apoſtolorum ætate, hic dies feſtus, ac ſolemnis in eccleſia celebratus eſt; ut canon Apoſtolorum extat apud Clementem lib 5. cap. 13. conſt. Ap. Erant porrò Epiphaniorum dies, inquit Nazianzenus in Laudatione Baſilij, frequentia hominum celeoris. De cuius ſane diei celebritate pluribus differendum non eſt, cum res, a patribus tum latinis, tum Græcis explicata, ſatis admodum in promptu ſit; et planius oſtendatur in oratione, quam Simo Metaphraſtes habuit in translatione ſacræ manus ſancti Ioannis Baptiſtæ. De ratione autem diuinorum officiorum hoc ipſo die inſtituta ſcriptum extat in Ordine Romano, apud Iſidorum cap. 26. de Diuin. of. Alcuinum de diuin. item of. Amalarium cap. 21. de ord. antiph. Rabanum lib. 2. de inſt. Cler. cap. 32. Micrologum cap. 40. Durandum lib. 6. cap. 16. diu. off. Sichardum, et ceteros. Vbique uero ex ſancto Euangelio, Epiphania Domini, duplex maius. Mediolani, item ritu Ambroſiano, ut die Natali Domini, de nocte, maximo populi conuentu, officium matutinum hoc die celebratur, accenſis, more græco, multis luminibus. Eſt Romæ hoc ipſo die ſtatio antiquiſſima, mille abhinc annis inſtituta,

apud

apud ſanctum Petrum. Veſperarum item officium, et Miſſæ ſolemnis ſacram, pontificium; ut in cærimoniarum codice, manu exarato, legitur.

Magi.) Qui an reges fuerint, hoc a pleriſque in controuerſia poſitum eſt: ſed certe non eget diſputatione; cum patres frequentes in eam ſententiam eant, reges illos quidem fuiſſe, ut Hieron. in pſal. 71. Athanaſius, queſt. 2. ad regem Antiochum, Cyprianus in ſer. de bap. Chriſti; Tertullianus contra Iudæos; Nanzianzenus in carm. de uirg. Chryſoſtomus hom. 6. in Mat. Druthmarus, doctor antiquus in Mat. cap. 2. Anſelmus in idem cap. Quid multis? ita nos opinari, ac ſentire ſacroſancta eccleſiæ mouet auctoritas: ſi quidem illud, Ambulabunt reges in ſplendore ortus tui, antiquus ſemper eccleſiæ chorus intonuit. Tu uero uide hac de re copioſius diſſerentem, Martinum Cantapretenſem lib. 8. cap. 5. Hypotypoſeon: Melchiorem Canum, lib. 11. locorum com. & Guilelmum Iſengrinum cent 1. contra Magdeburgenſes, & Molanum lib. de pict. cap. 57. Porrò de Magis, à Petro Comeſtore multa ſcribuntur; quæ narrare nihil attinet, cum pleraque in apocryphis cenſeantur. Ii certe reges, ut in eccleſia perpetuæ traditionis eſt, ac ſapientes, Balaami uaticinio inſtructi, ab oriente, quemadmodum euangelicis litteris traditum eſt, ad Chriſtum Dominum adorandum uenerunt. Reuerſi autem in Perſiam, et ſi ea de re in Euangelio nihil ſcribitur; Chriſtum Deum ibi prædicarunt; ſicut ex uera ratione colligi, Theophylatus ſcribit. Eorũ ſacra corpora Conſtantinopolim è Perſia iampridem tranſlata, et in baſilica ſanctæ Sophiæ auguſtiſsimo apparatu collocata, inde ab Euſtorgio I. Epiſcopo, Mediolanum delata, ibiq. ſexcentis, et ſeptuaginta annis in baſilica Euſtorgiana religioſe aſſeruata, demum, Federico Aenobarbo Imperatore, Coloniam ab Reinoldo Archiepiſcopo aſportata, reconduntur. Iam uerò qua ætate eorum unuſquiſque fuerit, cum ad Chriſtum Dominum uenit id ſcribit Petrus Equilinus: nos tamen nihil quicquam in hoc genere affirmamus: ſed in illorum imaginibus exprimendis conſuetudinem eccleſiæ omnino retineri monemus. De quorum ſane pictura ſcribit Molanus itidem libro eodem.

Stella Duce.) De qua lege Chryſoſtomum, pluribus diſſerentem.

Ad Ieſum uenerunt.) Decimo tertio poſt illum natum diem, ut ſancti, Hieronymus, Auguſtinus, Thomas, ac ceteri ferè omnes auctores ſentiunt; et antiqua eccleſiæ traditio tenet. exploſa eſt enim Epiphanij, et aliorum contra opinantium, ſententia. Venerunt igitur decimo tertio ætatis Chriſti Domini die, qui dies fuit, ut pleriſque placet, feria ſexta.

Trigeſimo ætatis ſuæ anno baptizatus.) Expleto ſcilicet uigeſimo nono ætatis anno, et ineunte trigeſimo: Erat enim Ieſus, ut in Euangelio ſcriptum eſt, annorum quaſi triginta: nempe iam per tredecim dies, quot ſcilicet a die natali ad Epiphaniam intercedunt, trigeſimum annum Chriſtus Dominus attigerat, cum in Iordane a Ioanne baptizatus eſt. Et id quidem ſentiunt, Ignatius martyr in ep. ad Trallianos, Apollinaris Laodicenus, S. Hieronymus in Ezech. Beda in Luc. quamuis Chryſoſtomus, & alij plerique, anno trigeſimo primo ætatis ineunte, illum baptizatum putent. Dies autem baptiſmi fuit, VIII. idus Ianuarij: qui dies Dominicus eo anno extitit.

Trigeſimo primo.) Reuoluto uidelicet anno, hoc ipſo die, qui, illo anno, feria tertia fuit.

In finibus Rhemorum.) Qui Galliæ Belgicæ populi, Sueſſionibus proximi, eodem iure cum illis utebantur. Fidei autem chriſtianæ myſterijs, iampridem, naſcentis eccleſiæ initio, illos a ſanctis, Xyſto, Siſinnio, Amanſio, Apoſtolorum Principis, beati Petri diſcipulis, inſtitutos, litterarum monimentis proditum eſt. Atque uix quidem ullam orbis prouinciam inuenias licet, quæ, Italia excepta, tanto pietatis ardore, quanto ſanè maximo, olim Gallia religionẽ Chriſtianam amplexa ſit:

ra ſit: quæq. tot, quot plane illa, apoſtolicos magiſtros, et uirtutum chriſtianarum doctores, habuerit, ut locis ſuis hoc planius oſtendemus. Rhemorum uerò ciuitas metropolis, cum illos epiſcopos, Xyſtum primò ſcilicet, deinde Siſinnium, poſt, Amanſium, a quibus in ipſo religionis chriſtianæ primordio, Chriſti doctrina imbuta eſt, tum alios etiam, ſanctitatis doctrinæq. laude claros antiſtites, quorum epiſcopali uigilantia ad omnem pietatem excitata eſt, Dei beneficio accepit. In ijs numerantur, S. Viuentius, S. Nicaſius martyr, S. Remigius, S. Niuardus, S. Reolus, S. Rigobertus. Fuit præterea Higmarus, huius ciuitatis epiſcopus, et religionis, et uigilantiæ paſtoralis, et doctrinæ, et Eccleſiaſticæ ſcientiæ gloria nobilis: cuius lucubrationes extant, præſertim quas de concilijs exarauit. Agè uero, Synodus Rhemenſis, Leone III. pontifice cõcelebrata, et in conciliorum tomos relata, legitur: ſed longe plures extitiſſe dicuntur; quarum multi canones in iure pontificio cenſentur. Porrò ultima, Pio IIII. Pontifice habita eſt a Carolo Lotharingio, S. R. E. Cardinale, et Rhemenſis Eccleſiæ archiepiſcopo.

S. Macræ uirginis, & martyris.) Alij, S. Marcæ, ut Beda, at, Macræ, ceteri præterea omnes legunt, ut Vſuardus, Ado, Petrus Equilinus, et Vincentius Beluacenſis: itidemq. ſcriptum extat in martyrologijs antiquis, recte manu exaratis, quorum auctoritatem libenter ſequimur. Sunt, qui non in diœceſi Rhemorum, ſed Auguſtæ, illam martyrium obijſſe; indeq. Rhemos ſacrum eius corpus ad ædem ſancti Martini translatum eſſe ſcribant. quod factum eſſe legimus tertio calendas Iunij. Ab antiquis porrò auctoribus nos ſanè non diſſentimus, qui illius celebritati hunc diem adſcribunt.

Rhedonis.) Sic ſcripſimus, omnium martyrologiorum ſcriptionem conſectati. Rhedonicam urbem Gr. Turonenſis appellat: Rhedones Cæſar, lib. 3. comm. uulgo Renes en Bretaigne. Eſt una e ciuitatibus, quæ occaſum attingunt: quaſq. armoricas idem Cæſar uocat. Quæ urbs epiſcopalis eſt, in prouincia Turonenſi, et in Ducatu Britanniæ. Dicti autem ſunt Rhedones, a Rhedis, bigis ſcilicet, & quadrigis uiatorijs.

In Britannia.) Minori uidelicet: quæ Britannia appellata eſt a bruttis alendis. eſt enim ualde paſcuus ager illius regionis.

S. Melanij.) Quem Melanum plerique dicunt: nos uero Melanium ſcripſimus, ut in elegantioribus codicibus ſcribitur. De Melanio breuiter Vſuardus: ſed pluribus Gregorius Tur. lib. de gloria Confeſſorum, cap. 55. Petrus item Equilinus lib. 2. cap. 49. de ſanctis.

Altiſſiodori.) Quod Antiſſiodorum alij dicunt: frequentes tamen ſcriptores in eo ſunt, ut Altiſſiodorum uocent; quod gallicè uulgo nominant, Auxerre. Antricum à Ptolomeo appellatur; cuius etiam meminit Antoninus in itinerario. Hæc urbs, in Gallia Lugdunenſi ſita, epiſcopalis eſt, iam inde ab Apoſtolicis ferè temporibus, chriſtianæ religionis inſtitutis imbuta, prædicatione beati Peregrini, ab ſancto Xyſto pontifice, et martyre in Galliam miſſi. Multos habuit epiſcopos, ſanctitatis laude illuſtres, in ſanctorumq. numero adſcriptos: quorum memoria anniuerſario diuinorum officiorum cultu in eccleſia Altiſſiodorenſi ex ſtata Calendarij ratione celebratur. Iiq. unus, et uiginti numerantur, nempe idem S. Peregrinus, S. Marcellianus, S. Valerius, S. Valerianus, S. Amator, S. Germanus, S. Allodius, S. Fraternus, S. Cenſurius, S. Vrſus, S. Theodoſius, S Gregorius, S. Optatus, S. Eleutherius, S. Romanus, S. Etherius, S. Anacharius, S. Palladius, S. Vigilius, S. Treticus, S. Haymarus. Hic præterea, ſancti uiri, Marſus presbyter, Concodius diaconus, Contumarus ſubdiaconus, Genionus lector, in Galliam profecti, clerum eccleſiamq. inſtituunt. Quos ſanctos uiros, et epiſcopos, magnam partem, martyrologio noſtro aſcripſimus. Nobilitata item hæc ciuitas eſt patrum concilio: quod Altiſſiodo-

C renſe

renſe ab ea nomen accepit. Cuius ſane Concilij canones extant, quinque, et quatraginta.

Translatio ſancti Germani.) De translationis feſta celebritate ſupra diſſeruimus.

Sancti Germani.) Germani quatuor in ſanctorum numero adſcripti, de martyrologio pronunciantur; unus Pariſienſis, alter Altiſiodorenſis, tertius Capuanus, quartus Biſantinus. Huius dies natalis V. idus Octobris; Capuani, III. calendas Nouembris, Altiſſiodorenſis, pridie calendas Auguſti, Pariſienſis, V. calendas Iunij, agitur. Huius præterea translatio celebratur VIII. calendas Auguſti, et Altiſſiodorenſis item trāslatio prima hoc ipſo die; altera, quæ ſcilicet putatur, cum ſacræ eius, et S. Remigij fratris reliquiæ translatæ ſunt, calendis Octob. ſed illa ſancti Remigij nomine proprie nuncupatur, ut conſtat ex uerſibus Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis; hæc uerò ſancti Germani; de quo infra dicemus, nempe. pridie cal. Auguſti.

Hoc ipſo Epiphaniorum die, antiqui inſtituti fuit, in omni eccleſia per diaconum Paſchæ Reſurrectionis Domini ſolemnitatem denunciari, certa ſolemni uerborum formula: quam eccleſia Mediolanenſis, ut illud etiam inſtitutum, adhuc retinet. Barcinone hodie item eſt dies Natalis beati Raimundi confeſſoris: qui, licet in ſanctorum numero aſcriptus non ſit; conceſſu tamen Pauli Quarti, ſummi Pontificis, a Barcinonenſibus eius dies feſtus celebratur poſtridie huius diei.

Florentiæ, beati Andreæ Feſulani cuius uita, pie exarata, extat apud Surium tom. I.

In Cypro inſula, beati Petri Thomaſij, Famaguſtæ epiſcopi: cuius res, ſancte geſtas, ac uitam, religioſe actam, litteris conſignauit Philippus Mazerius, regis Cypri cancellarius.

Septimo idus Ianuarij.

Relatio pueri Ieſu) Anno ætatis ſuæ ſexto, uel, ut alijs placet, ſeptimo.

Hoc ipſo die agitur etiam dies Natalis trium ſanctorum Magorum: de quibus multa Petrus Comeſtor; quæ in apocryphis cenſentur.

Sancti Luciani presbyteri.) Cuius martyrium alij in Maximini, alij in Maximiani tempora incidiſſe ſcribunt. at longe plures in ea opinione uerſantur, ut putent illum ſubijſſe martyriū Maximino Imperatore. in ijsq. ſunt, Euſebius, Beda, Hieronymus, Vſuardus, quos maxime ſequimur. De eo S. Hieronymus lib. de uiris ill. cap. 87. in ep. aduerſus Rufi. in pref. in lib. paral. in pref. ad Dam. in Euan. Euſebius lib 9. Hiſt. eccl. cap. 5. 6. Ruffinus lib. 8. cap. 25. Suidas, Euthymius, Hermannus monachus, et alij præterea permulti. Fuit is hebraicæ linguæ uſque adeo litterate peritus, ut omnibus antiquioribus ſacrarum litterarum editionibus, a ſe cum ueritate hebraica diligentiſſime collatis, propriam græcam editionem, Euthimij iudicio, illis longe emendatiorem chriſtianis tradiderit. Qua editione eccleſiæ omnes ab Conſtantinopoli uſque in Antiochiam publice in omni lectione uſæ ſunt. Eſt ea ab Origene, et Cæſarienſi Euſebio κοινὴ, nempe uulgata, communisq. uocitata; ab alijs editio ſeptima: licet huius etiam ſeptimæ inuentorem Origenē extitiſſe, Iſidorus affirmet. Sed de hac nos editione in proœmio pſalmorum, quod ſancti Baſilij noſtri interpretationi adiunximus, pluribus diſſeruimus.

Sancti Cleri Diaconi, & martyris.) Vſuardus, Beda, Ado, Eccleſiaſticiq. annales.

Sanctorum Felicis, et Ianuarij.) Sic ſcriptum eſt apud Vſuardum: apud alios præterea nihil.

Sanctorum Timothei, & Luciani martyrum.) In Calendario peruceteri ordinis monachorum Vallis Vmbroſæ.

Sancti

Sancti Iſidori epiſcopi, & martyris.) Cuius nomen e martyrologio manuſcripto accepimus; nihilq. item aliud.

Sancti Iuliani.) In mart. Rom.

S. Criſpini epiſcopi.) Qui Concilio Mediolanenſi, ab Archiepiſcopo illius ciuitatis Euſebio conuocato, interfuit: epiſtolæq. Synodali, ad ſanctiſſimum pontificem, Leonem Magnum miſſæ, ſubſcripſit, ep. 53. in op. Leonis P. Euodius, epiſcopus Ticini, huius meminit in uita S. Epiphanij; apud Surium tom. 1. Iacobus præterea Gualla de eodem pluribus ſcribit in lib. de uit. Epp. Ticin.

Sancti Senatoris epiſcopi.) Cuius corpus Veronæ reconditum eſt in baſilica S. Stephani, ut ex arcæ marmoreæ monimentis conſtat.

Sancti Canuti.) Qui martyrium ſubijt, anno Domini M. C X X X. ut rem totam Saxo Grammaticus exponit lib. 13 hiſt. Danorum.

Sancti Stilonis.) Alij, Stillonis, duplici, l. dicunt. Ex calendario illius monaſterij.

Sancti Reinoldi.) Cuius uita, et martyrium, typis impreſſum, anno Domini, M. CCCCLXXXV. legitur.

Sanctorum martyrum Beniamini, & Maximi.) De quibus ſcriptum eſt in annalibus publicis Brixienſium. Corpora autem eorum hoc ipſo die inuenta ſunt, anno Domini, M. D. XXIX.

In eccleſia Græca dies hic ſolemnis eſt, ſancto Ioanni Baptiſtæ dicatus: quem diem Synaxis nomine dicunt. Hoc ipſo porrò die, illius ſacra manus dextera ex urbe Antiochia; frequentiſſima celebritate, Conſtantinopolim tranſlata eſt: de qua tranſlatione concio extat, a Simone logotheta, ornate habita.

Sexto idus Ianuarij.

Neapoli in campania.) Nam in Thracia Neapolis eſt alia, quam hebraice Sichem uocari, S. Hieronymus ſcribit: ad quam urbem beatus Paulus Apoſtolus unà cum S. Barnaba aliquando uenit; et eccleſiam ibi inſtituit. Hoc loco Chriſtus Dominus, de uia feſſus, ad puteum Iacob ſedens, Samaritanā mulierem conuertit. Iuſtinus item martyr ea in urbe natus. Alia item eſt Colonia in Africa minori: quæ, Tripolis de Barbaria, uulgo uocatur; olim ciuitas chriſtianæ religionis, in ea prouincia, ut ex Irenæi lib. 1. cap. 3. intelligi poteſt, iam ab initio propagatæ, per ſanctos, Simonem Chananæum Apoſtolum, Lucam Euangeliſtam, Marcum item Euangeliſtam, Lucium, beati Apoſtoli Pauli cognatum. Eſt uero alia Neapolis in Macedonia, ad quam aliquando item ſanctus Paulus appulit; ſanctis, Timotheo, Sila, et Luca, comitibus adhibitis. Alia præterea illuſtris, regiaq. urbs Neapolis hæc Campaniæ, quam Parthenopem antiqui nominarunt. Cuius urbis primus epiſcopus, a beato Petro, Apoſtolorum Principe, conſecratus, fuit Aſprenius: qui Neapolitanam eccleſiam, ſibi concreditam, euangelij prædicatione, fidei chriſtianæ præceptis inſtruxit. Sanctumq. Ignatium, beati Ioannis Euangeliſtæ diſcipulum, hoc loco, ſicut Puteolis religionem chriſtianam diſſeminaſſe, ex Simone Logotheta cognoſci licet. Immo uero, cum ſanctus Paulus Apoſtolus captiuus a Rhegyo ſoluiſſet, poſtridie Puteolos delatus, et repertis fratribus apud eos, ut in apoſtolorum actis ſcriptum eſt, ſeptem dies manſerit; id argumento eſt, non Puteolis ſolum, et Neapoli, ſed in reliqua fere omni Italia multo, ante beati Ignatij aduentum, Ieſu Chriſti fidem propagatam eſſe. Porrò in hoc Neapolitano tractu, ac Puteolis in primis plurimi martyres extiterunt: in quibus Ianuarius epiſcopus Beneuenti, Feſtus, Proculus,

lus, et Soſius diaconi: Deſiderius, Eutychius, et Achacius, numerantur: qui, Diocletiano Imperatore, Dracontio præſide, datis præclaris, diuinæ pietatis teſtimonijs, illi regioni illuxerunt mirifico fidei ſplendore. Hæc urbs hodie Metropolis, epiſcopos, Metropolitano iuri ſubiectos, quos Suffraganeos dicimus, habet quinque, Nolanum ſcilicet, Puteolanum, Cumanum, Acerranum, Iſculanum.

Sancti Seuerini.) Qui fuit, ut in martyrologio narratur, frater germanus Victorini martyris: cuius uitã, & martyrium Ado exponit nonis Septembris. Neque porrò uidemus, cur Molanus, uir ceteroquin antiquitatis eccleſiaſticæ litteratæ admodum peritus, huius diem natalem ad illas nonas reijciat, eiuſdem Adonis auctoritate ductus: qui certe, ſi illius uerba recte reputamus, non huic Seuerino, ſed Victorino fratri Nonas ſeptembris diem natalem adſcribit, ut omnes itidem ſentiunt; ſicut rurſus hunc ſextum iduum Ianuarij diem Seuerino tùm Beda, tum alij, quos ſecuti ſumus, tribuunt. In quam nos opinionem confirmant, martyrologiorum codices perantiqui, manuq. exarati. Non inficias tamen imus, hoc etiam die celebritatem agi, ut ille, ac Surius opinari uidentur, ſancti Seuerini, Noricorum Apoſtoli, Gelaſij Pontificis auctoritate, ſumma populi Neapolitani frequentia, ad Lucullanum a Victore epiſcopo tranſlati: ut res tota commemoratur ab Eugippo, illius æquali, qui libro ſingulari uitam complexus eſt; ut apud Surium extat, tom. 1.

Belluaci.) Quod Bellouacum alij dicunt, uulgo Beauuoiſin. Eſt hodie urbs epiſcopalis, in prouincia Rhemenſi ſita. Porro Bellouaci populi fuerunt olim belli laude clari: quos Cæſar, duce eorum interfecto, in poteſtatem, ditionemq. accepit. Iam inde uero ab Apoſtolicis uſque temporibus, Bellouacorum ciuitas, fidei ſacris imbuta eſt à Luciano: qui beati Petri, Apoſtolorum principis, diſcipulus, poſt a Clemente pontifice in Galliam miſſus, illius urbis conſecratus eſt epiſcopus, anno Chriſti Domini, LXIX. Galba Imperatore. Quo ferè tempore, aut paulo ante, omnis ferè Gallia religionem chriſtianam ſtudio admirabili complexa eſt; id quod ex ſancto Irenæo, priſciſq. eccleſiæ patribus animaduertimus; hocq. ipſum ſuis locis præcipue, ac plane ſignificabimus.

S. Luciani.) De quo præterea, Beda, Martinus Polonus in annalibus, S. Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 26. §. 3. Pet. Equilinus lib. 2. cap. 55. & Volaterranus lib. 16.

Maximiani.) In codice Cremonenſi, cui multum tribuimus, ſcriptum eſt, Meſſiani, ut Beda etiam legit: in alio autem peruetuſto, Maxiani. Quod non diſplicet: ſicut enim a multis, et præſertim a Græcis, Papianus, et Iuſtianus, quo nomine quidam apud Leonem Magnum epiſcopus Vercellarum appellatur; ita Maxianus uocatur; licet a pleriſque omnibus, Papinianus, Iuſtinianus, & Maximianus dicatur.

Iuliani.) Hoc nomen abeſt in Beda: at uero eſt in ceteris omnibus, qui beati Luciani martyrium conſcripſerunt.

Decreto Domitiani.) Qui Veſpaſiani filius, Titi frater, ab uno, et ab altero item longe diſſimilis extitit. Illi chriſtianorum eccleſiam, quæ in bello Iudaico, relictis Hieroſolymis, Pellam commigrauerat, non diſſiparunt: iſte rei chriſtianæ hoſtis infenſiſſimus, impietatis furore elatus, promulgatis ubique crudeliſſimæ carnificinæ edictis, ut Oroſius ſcribit, auſus eſt conuellere eccleſiam Chriſti. Porrò Melito Sardenſis in ſua ad Lucium Verum apologia, hunc cum Nerone coniungit; ſed profecto hic illum immani barbarie forte ſuperans, iniquius, & apertius contra chriſtianos egit. Si quidem Nero contra illos aliud quoddam crimen confixerat, abs religione alienum: iſte uerò, tandé publico iudicio τῆς ἀθεότητος, ut Dio inquit, uexauit: neque alio nomine, quàm quòd chriſtiani eſſent, in ius, capitiſq. iudicium uocauit. Non publicum perpetuumq. ante Domitiani tempora aliquod edictum, contra chriſtianos editum legimus: at is publice ſanciuit, ubique terrarum con-

conquiri, qui Dauidis Chriſtiq. cognationem attingerent, quiq. Chriſtianā religionem profiterentur. Quod igitur a Tertulliano ſcriptum eſt, Domitianum fuiſſe portioné Neronianæ crudelitatis; facileq. quod cœperat, repreſſiſſe; hoc ſanè ad illud tantùm ſpectat, quòd iſte uitā quibuſdā paucis chriſtianis condonauit, quos publica lege conquiſitos, uidit humiles, et abiectos. At quòd odio religionis ſolum exardeſcens, ſe ſe in omnes partes ad exagitandos chriſtianos incitarit id facile cognoſcemus: Primò Flauium Clementem, uirum conſularem, collegam ſuum, ſuum et propinquum, et affinem, propter confeſſionem religionis chriſtianæ, capitis damnat. Flauiam Domicillam relegat in inſulam Pontiam. Glabrionem conſulem, pro CHRISTI fide capite mulctat; Cletum pontificem occidit: Archilleum, Nereum, Lucianum, Nicomedem presbyterum, Hermagoram Aquileiæ epiſcopum, Fortunatum diaconum, Timotheum, Oneſimum, Dionyſium Areopagitam, Ruſticum, Eleutherium, Epaphram, beati Pauli Apoſtoli diſcipulum, Euphroſinam, Theodoram, et innumerabiles denique, ut Brutus ſcribit, chriſtiani omnis generis, ſexus, ætatis, et ordinis homines, ubique gentium uarie excruciatos, ob CHRISTI fidem neci obijci uoluit. Atque hæc quidem ſecunda eſt, contra eccleſiam commota perſecutionis tempeſtas.

Capite plectuntur.) Anno D. N. IESV CHRISTI, XC. uel ut alijs libet, XCV. Quo anno nefarijs, funeſtisq. edictis, ubique propoſitis, crudeliſſime chriſtianos Domitianus exagitauit; L. Nonio Aſprenate, et Arricinio Clemente, Coſſ.

Papiæ.) Quæ urbs, Inſubrum nobiliſſima; Ticinum a ueteribus ſcriptoribus uocitata, iam inde uſque ab Apoſtolicis prope temporibus, CHRISTI ſacris a beato Syro, ſancti Hermagoræ diſcipulo, imbuta, multos habuit epiſcopos, et ſanctitatis, et doctrinæ laude florentes: quos locis ſuis in martyrologium retulimus.

Sancti Maximi epiſcopi.) cuius uitam, ſancte actam, Paulus diaconus libro complexus eſt, quem de epiſcopis Ticini conſcripſit; Iacobus item Guallius lib. 4. cap. 4.

In Noricis.) Qui Germaniæ, populi, ab occaſu, Aeno fluuio; a Septemtrionibus Danubio; ab ortu, Cæcio monte; a meridie, Caruanca monte, continentur. Hós, et Vindelicos, et Pannonios, et Rugos, aliosq. finitimos populos, Seuerini, ſanctiſſimi, et apoſtolici uiri, quem hoc die commemoramus, ſtudio, atque opera ad CHRISTI Domini religionem tranſiſſe comperimus, pontifice Maximo Cæleſtino, Theodoſio II. et Valentiniano III. Imperatoribus: anno ſalutis CCCCXX.

Sancti Seuerini.) Cuius uitam, ab Eugippo, eius æquali, litteris commendatam, legimus apud Surium. tom. I. Eiuſdem meminit Iſiodorus de uir. ill. cap. 14. et Auentinus in annalibus; et Aequilinus lib. 2. cap. 56.

Sancti Eugeniani martyris.) Vſuardus, et Aequilinus lib. II. cap. ult. Auguſtoduni in Gallia martyrium ſubijſſe, memoriæ proditum eſt.

Sancti Erbarti.) Quem Erardū alij uocant. Eius dies feſtus potiſſimum Ratiſponæ agitur. In Baueriam is uenit anno Chriſti Domini DCCL. Quam prouinciam, iampridem, ut ſuo loco dicemus, fidei Chriſtianæ inſtitutis imbutam, prædicationis ſuæ ui, uitæq. exemplo uehementius confirmauit ad pietatis ſtudium. In illius miraculis hoc præter cætera numeratur, quòd ſanctæ Odiliæ cæcæ, ſenſum oculorum diuina ope reſtituit.

Auguſtoduni.) Alij, Aguſtoduni, ſed frequentius Auguſtodunum appellari animaduertimus, alij Auguſtidunum dicunt: de quo Aethicus in Coſmographia, et Antoninus in Itinerario. Eſt ciuitas Heduorum, ideoq. Hedua olim uocitata, in prouincia Lugdunenſi ſita; hodie gallice nominatur, Autun. Qua in urbe primum uarie excruciati, et martyrio coronati ſunt, ſancti uiri, Andochius presbyter, Thyrſus diaconus, et Felix, a beato Polycarpo, Smyrnæ epiſcopo, in Galliam prædicationis cauſa miſſi. Huius præterea urbis epiſcopus, ſanctus Leodegarius, omni

epiſco-

epiſcopali uirtute, et martyrio nobilis, et alij item extitere, quos ſingulos ſuo loco ſuo commemorabimus. Religioſe in hac ciuitate colitur memoria ſancti Lazari: et ſanctorum, Eluidij, et Iuſti ſepulcrum, pie opere extructum, cernitur.

Sancti Egemonij.) Vt ex Martyrologio, manu ſcripto; et tabulis epiſcoporum Auguſtoduni accepimus.

Sanctæ Gudulæ uirginis.) Alij, Gudilæ. cuius uitam, in codice peruetuſto conſcriptam, Surius in primum tomum retulit, quem de uitis ſanctorum contexuit. Huius uirginis dies natalis Bruxellæ ſexto idus Ianuarij celebratur; tranſlationis autem celebritas agitur octauo idus Iunij.

Sancti Patientis.) Ex martyrologio, manu ſcripto, et Calēdario eccleſiæ Metenſis.

Beati Laurentij Iuſtiniani.) Cuius uita, ſanctiſſime acta, a Bernardo Iuſtiniano ſcriptis luculenter exarata, illius libris adiuncta, legitur: tum præterea extat apud Surium tom. 1. Complura ſacra opuſcula is conſcripſit: quibus in omnibus ſingularis eius pietas, ac religio ſpectatur: et, quod mirabile eſt, cum uix ille, præ ualetudinis imbecillitate, prima litterarum rudimenta a magiſtro didiciſſet, multa tamen elegantia, eruditio, orationis cultus, et theologiæ ſplendor elucet in ſcriptis ſuis: quæ libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis Trithemius, recenſet; tum Xyſtus in Bibliotheca ſancta meminit. Is, dum uixit, a Senatu Veneto publice rogatus, ut reipublicæ cauſa, Deo preces adhiberet: illius certè ſanctis orationibus ciuitas cæleſtem in aduerſis rebus opem ſenſit. Cuius etiam, poſt obitum multis miraculis clari, et in beatorum numerum relati, nomine, altare Deo, Federico Renerio, Senatore clariſſimo, in ſanctæ Mariæ æde Venetijs extructum, riteq. a Patriarcha dicatum eſt: ad quod magna ciuium frequentia, feſtaq. celebritate, hoc ipſo die concurritur.

Quinto idus Ianuarij.

Sanctorum martyrum Iuliani, et Baſiliſſæ.) Quorum res pro CHRISTI Domini fide ſancte fortiterq acta, admirandæ leguntur: poſteritatiq. litteris ab ijs proditæ ſunt, qui illorum martyrij ſpectatores adfuerunt, ut ex Simeone logotheta, græco auctore, et alio ſcriptore latino animaduertimus. De ijs Lippomanus tomo 7. de uitis ſanctorum, et Surius tom. 1. qui, latini codicis adiumento ſedulò ſuppleuit, quæcumque ille græco deeſſe exiſtimauit. In Græcis eſt Simo Metaphraſtes: a quo, horum martyrum acta, enucleate expoſita, uterque ſuis libris excepit; in latinis Codex apud Carthuſienſes aſſeruatus, manu ſcriptus, extat: unde Surius adiumentum ſibi comparauit ad reliqua, quæ in Metaphraſte deſiderabantur, omnino ſupplenda. Duo præterea in Eccleſia Mediolanenſi reperiuntur perantiqui libri, manu exarati: quibus tota horum martyrum uita accurate narratur. Sed, adhuc certam, atque exploratam rationem non comperimus; cur horum martyrum memoria in ea eccleſia celebretur menſe Iunio. De eiſdem etiam, pluribus ſcribunt, quàm ſolent, Ado, Beda Vſuardus, S. Antoninus Archiep. par. 1. Chron. tit. 8. cap. 1. §. 20. Beluacenſis in ſpec. lib. 12. cap. 108. Mambrin. s, et Aequil.

Alij plerique.) Antoninus presbyter, Anaſtaſius, Celſus puer, et Martionilla mater, et reliqui multi.

Martyrio Iulianus coronatur.) Anno Domini CCCIII. quo anno Romæ beata uirgo Agnes martyrium item ſubijſſe dicitur.

Sanctæ Martianæ.) Vſuardus, Beda, Raphael Volaterranus lib. 17. cōm. Beluacenſis lib. 13. cap. 36. et 37. Coronatur, anno Domini CCC. Diocletiano VII. et Maximiano VII. Coſſ. Hic annus fuit XVI. Diocletiani imperij. quo anno, templa

pla chriſtianorum euerſa ſunt; Bibliothecæ librorum eccleſiaſticorum incenſæ, et priuatim libri inflammati, præter epiſtolas Alexandri epiſcopi Hieroſolymæ: mirum igitur non eſt, ſi nihil certi extat hoc tempore in annalium, et conſulatuum ratione. Veturius præterea magiſter militiæ, ut Euſebius in libro temporum ſcribit, chriſtianos milites uehementer exagitauit; ſicq. paulatim perſecutionis tempeſtas contra chriſtianos commota, uſque adeo ingraueſcere cæpit, ut menſis ſpatio ſæpe decem, et ſeptem millia illorum contrucidata ſint.

Sanctorum martyrum, Vitalis epiſcopi, Reuocati, et Fortunati.) Ex martyrologio, manu ſcripto.

Sanctorum Epitecti, et Saturnij.) Ex manu ſcripto codice.

Sancti Egilfreddi abbatis.) In martyrol. manu ſcripto.

Sancti Marcellini.) De quo S. Gregorius Papa lib. 1. cap. 6. Dialogorum.

In Anglia S. Adriani abbatis.) In Cantia ſcilicet, quæ Angliæ inſulæ regio eſt. ſancti Adriani, de quo Beda, libro 4. cap. 1. et 2. hiſt. Angl. Fuit autem Adrianus, genere afer, uir ſacris litteris apprime eruditus, et eccleſiaſticis diſciplinis inſtructus, græceq. et latine peritus admodum; cum autem monaſterij Niridani, quod Neapoli in campania non longe diſtat, abbas eſſet; Vitalliani pontificis litteris Romam acceſſitur: Cantuariæq. Archiepiſcopus ab eo fit: quod munus obnixe refutauit: Theodorum uerò monachum, ſpectata ſanctitate uirum, ſibi prætulit. itaque cum eo Archiepiſcopo in Angliam a pontifice miſſus, maxima adiumenta illi ſubminiſtrauit ad eccleſiæ Anglicanæ inſtituta, ſancte communienda.

Sancti Bertunaldi.) Cuius Beda meminit, lib. 5. cap. 9. hiſt. Angl.

Sanctæ Paſchaſiæ.) Cuius mentio eſt apud Greg. Tur. lib. de glor. conf. cap. 43. 44.

Vintoniæ.) In Anglia ſcilicet, ſancti Henrici: cuius pietatem Sigebertus in Chronicis commemorat. Nos uero ex peruetéri codice, manuſcripto, et calendario Vintonienſi, adſcripſimus martyrologio.

In Græcia celebratur memoria, ſancti Polyeuci martyris, ut eſt in menologio græco. alij, ut Simeo Metaphraſtes, ſancti Polyeucti, dicunt: cuius diem natalem Beda, et Vſuardus, Idibus Februarij aſcribunt: nos autem ſuo loco, rem totam explanabimus.

Quarto idus Februarij.

In Thebaide.) Quæ Aegypti regio eſt, in Aethyopiam uergens: unde, ut ex omni etiam Aegypto, innumerabiles martyrum cohortes, Alexandriam perductas eſſe, Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ſcribit, quam Fabio Antiochæno exarauit. Fuit olim Thebais prouincia, monaſterijs plena; et monachorum magna multitudine, monaſticæq. uitæ diſciplina, atque inſtitutis florentiſſima: id quod ex Caſſiano, Palladio, Theodorito, Euagrio, Nicephoro, et ſanctis uiris, Auguſtino, Hieronymoq. intelligi poteſt. Qui omnes de heremi Thebanæ cultoribus, eorumq. inſtituti monaſtici ratione perſcripſerunt. Nec uerò ſolum Aegyptiorum, Græcorum, Syrorumq. hominum, ſed latinorum etiam conuentus in ijs Thebanis monaſterijs freqentiſſimi erant, quemadmodum ab ſancto Hieronymo cognouimus: qui monaſticæ uitæ præcepta, diuinitus a Pachomio, Theodoro, et Orſieſio, Aegyptiace, Græceq. conſcripta, latine reddidit; ut latinis etiam monachis in illius monachalis prouinciæ quaſi ſtatione manentibus, uſui eſſent. Porrò in Thebaide fuit S. Antonius monaſticæ diſciplinæ parens, et auctor: a quo innumerabiles monachorum duces, prodierunt; et hi in primis, Ammon, Hilario, Macharius, et alij,

alij, a quibus in omnem Aſiam propagata eſt monachorum religio. In Thebaide præterea Iſiodorus extitit: qui mille monachorum curam geſſit. E Thebaide item prouincia orta eſt legio Thebæorum militum: quæ ab ſancto Zabda Hieroſolymæ epiſcopo, fidei præceptis inſtituta, in Gallia ad Sedunum, Mauritio duce, pro CHRISTI gloria martyrio in Maximiani perſecutione coronatur. Thebarum autem, a qua urbe prouincia hæc nomen accepit, epiſcopus primus Rufus extitit, unus e ſeptuaginta duobus diſcipulis.

Sancti Pauli primi Heremitæ.) Cuius dies natalis in martyrologijs latinis notatur hoc die: ſed poſt octauas Epiphaniorum transfertur, nempe ad decimum quintum huius menſis: quo die etiam in eccleſia orientali agitur, ut ex Menologio, et tabulis Græcorum cognoſci poteſt. Huius uitam beatus Hieronymus ſcripſit, uſque adeo graui ſermone, ut Gelaſius pontifex, in concilio, Romæ habito, illam ſuſcipiat magna cum ueneratione. Non igitur audiendi ſunt, qui impudentiſſimo ore dictitant, eam non ſeriò ab illo conſcriptam eſſe: qui eiuſdem uitæ meminit libro de uiris ill. cap. ult. De eodem Caſſiodorus in hiſt. Trip. lib. 1. cap. 11. et Heraclides monachus multis locis.

Primi heremitæ.) Sed heremitarum princeps, ſi altius repetere uolumus, ſanctus Ioannes Baptiſta extitit: in quam ſententiam ad Euſtochium beatus Hieronymus ita ſcribit; Huius uitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, et, ut ad ſuperiora conſcendam, princeps Ioannes Baptiſta. Porrò iam primum uſque ab apoſtolicis uſque temporibus duo monachorum genera inſtituta eſſe perſpici licet, cum ex ijs, quæ de S. Ioanne Baptiſta, a patribus græce, et latine litteris tradita ſunt; tum ex illis, quæ a Philone Iudæo eo de genere ſcripta, non modò Epiphanius, et S. Hieronymus, ſed Euſebius, eiuſq. imitator Nicephorus, et Caſſianus, ad monachos referri putant. Fuerunt autem Monachi alij heremitæ, qui hoc nomen acceperunt a loco, nempe ab intima ſolitudine, in qua uixerant, diuinis contemplationibus dediti, pane, et aqua ſolum contenti, camelorum pilis, aut caprarum pellibus, aut corijs ueſtiti; in oratione pernoctantes, ijq; ſpiritu Dei ducti, tale durioris uitæ genus amplexi, et ab omni hominum conſpectu remoti, non ſanctimonia ſolum, ſed miraculis etiam præluxerunt. Primò autem, poſt quàm diuino beneficio perſecutio omnis eſſe deſijt, in uaſtas ægypti ſolitudines ſeceſſerunt, Paulus, et Antonius: qui anachoretæ alio nomine appellati ſunt, ſeu Heſychaſtæ; quoniam ſanctioris uitæ genere ſuſcepto, ab hominum conſuetudine, ſecedentes, et ab omni rerum humanarum cura uacui, in diuinis contemplationibus conquieſcerent. Ac hi quidem duo, cum in nullis huius uitæ remotioris exercitationibus antea uerſati eſſent, primum Anachoreticæ uitæ, et monachalis initia, diuino munere pace eccleſiæ data, fecerunt. Poſtea Anachoretæ eſſe cœperunt, non qui monaſticæ diſciplinæ rudes, ſed qui in monaſterijs diutius exercitati, ſanctitatis progreſſione cæteris præibant; cum ij nullo alio duce, ſed per ſe ad perfectionem longius progredi poſſe, periculo facto, uidebantur, miſſione ab Abbate impetrata, in ſolitudinem ſecedebant; ubi cellula contenti, durius, ſanctiuſq. uiuendo, omnes Satanæ inſidias, aperto etiã certamine ſuperarent. De quibus Anachoretis Caſſianus ſcribit coll. 18. cap. 5. Palladius in Lauſiaca hiſtoria, Theodoritus in lib. de uitis patrum; Sozomenus lib. 1. ca. 12. 13. et 14. lib. item 3. cap. 13. et lib. 6. cap. 28. cum ſeq. hiſt. Eccl. et Euagrius item permulta lib. 1. cap. 21. ac lib. 4. cap. 7. alijsq. locis hiſt. eccl. S. Auguſtinus item, lib. de moribus catholicæ eccl. cap. 31. Erant ij in Aegypti ſolitudinibus per omnes partes diffuſi, quaſi innumerabiles angelorum cohortes, inquit Chryſoſtomus. Porrò ſunt alij monachi, quorum una communis domus, una cœnatio, unum cubiculum: in quo ſuum cuique cubile, aut ſua exedra: nempe ſellula adclinis, ſeu, ut in uita Pachomij Dionyſius Exiguus loquitur, reclinis ſellula. Can-

tum

tum enim lege monachali erat, ſicut a Palladio græce ſcriptum eſt,et ab eodem Pachomio item, ut monachi ſomnum caperent non iacentes, ſed ſuper inſtructas, et paululum reclines cathedras, pallijsq. ſuis uelatas ſedendo, quieſcerent. Hi quoniam,uitæ ſocietate iuncti, ſanctiſſimo illius communis diſciplinæ uinculo aſtricti, alio nomine Cœnobitæ appellantur, ac Synoditæ item eadem ſignificatione. De his monachis extat Nouella cōſtitutio v. Iuſtiani,qui eo de genere multa conſtituit. Atque horū quidem multitudo primū in Aegypto,Thebaide, Palæſtina, Arabia,ceteriſq. Orientis partibus,uſque adeo magna eſſe cæpit,ut uno in monaſterio quinque millia illorū ſimul uiuerēt. Apollonius abbas totidē monachis uno in loco præfuit. Iſidorus Abbas monaſteriū extruxit: in quo mille monachorū curam geſſit. Eorum quaſi duces primi hi numerantur, Antonius in Aegypto, Hilario in Syria, Macharius in Thebaide, Pachomius etiam, Malchus, Ammon, et alij: qui multi ab ſancti Antonij diſciplina prodierunt. Vt autem illorum omnium, quorum curæ præerat Abbas, alio nomine Archimandrita uocatus, rationem habere poſſet, certos conſtituebat Decanos, qui ſinguli monachorum decem curam gererent: Centuriones præterea deligebantur, quibus decem etiam decuriones cum monachis ſuis parerent: omnes uero abbatis iuſſa facerent. Verum cum uel ad horariū precum officia, uel ad ſpiritales exercitationes, uel ad diuinarum litterarum lectionem, uel ad opus manibus faciendum, uel ad capiendum cibum conueniebatur;diſtincti erant monachi pro ratione decurionum: quorum ſanè munus in eo poſitum erat, ut ſuam quique decuriam in omni ſancta inſtitutione, et opere erudirent, ac exercerent diligenter. Atqui de monachali habitu, qui a laicali longe alius, atque diuerſus perpetuo fuit, S. Dionyſius Areopagita, lib. de eccl. Hier. cap 6. ſcriptum reliquit; et Caſſianus libro, quem eo de genere unum edidit; ac Nicephorus item lib. 9.cap. 16. Hiſt. eccl. Monachorum uero abſtinentiam, omnemq. diſciplinam, multis locis idem Caſſianus, aliquando S. Hieronymus in ep. ad Euſtochium, Euagrius ſæpe oſtendit, tum etiam S. Petronius, qui peragrata Aegypto, monachalis uitæ inſtituta libro complexus eſt. S.Baſilius autem antiquorum illorum monachorum duriorem ritum ad meliorem formam cum redegiſſet, ſanctiſſimas regulas conſcripſit. Atque hæc quidem de hæremitis, et monachis: quorum utrumque genus a patribus, et græcis, et latinis, copioſe deſcriptum, breuiter expoſuimus.

In Cypro.) Quæ inſula, Ciliciæ ac Syriæ obiecta, Barnabam Apoſtolum, et Ioannem Marcum, illius conſobrinum, beati Pauli Apoſtoli Comites, peperit: iamq. primum euangelij lumine ab ijs colluſtrata, alios deinceps habuit apoſtolicos uiros,et epiſcopos doctrinæ,et ſanctitatis laude claros: in ijs numeratur Triphyllius, ab ſancto Hieronymo laudatus; Spiridio Tremythuntis epiſcopus, ſynodi Nicænæ prioris tempore, uirtutum multarum genere florentiſſimus; Epiphanius Salaminæ epiſcopus, multiplicis doctrinæ peritia nobilis; Sophronius, Iſacius, et Meletius, epiſcopi: et alij denique: quos ſuo loco non omittemus.

S. Nicanoris.) De quo ſcriptum eſt in actis Apoſt. cap 6. et in Synopſi Dorothei epiſcopi. Eius dies natalis in Græcia agitur quinto calendas Auguſti.

S. Agathonis Papæ.) Ex calendario, et martyrologio monachorum ordinis S. Benedicti. Græci duplici π, Pappam dicunt; nos ſimplici p, Papam ſcribimus, et pronunciamus. Bithyni eo nomine, quod nomen honoris, et uenerationis eſt, Iouem appellarunt. Fuit id olim commune omnium epiſcoporum, S. Hieronymus, Auguſtinum papam, Chromatium papam appellat: rurſus S. Auguſtinus, appellandis epiſcopis, eodem nomine utitur: Clerus præterea Romanus, litteris ad Clerum Carthaginienſem datis, S. Cyprianum papam dicit. Prudentius, de Hippolyti martyrio uerſibus,ad Valerianum epiſcopum ſcriptis, eundem papam uocat: multæ item extant Sidonij Apollinaris epiſtolæ, ad epiſcopos exaratæ, quibus

idē nomen inſcribitur. Hoc ipſum animaduerti poteſt ex Eulogij martyris lib. apologetico, et epiſt. ad Vuilieſindum, Pampilonæ epiſcopum, miſſa. Poſtea uerò perpetua conſuetudine, uſuq. inſtitutum eſt, ſummo pontifici Romano ſolum, totius eccleſiæ christianæ paſtori, ac principi, ob diuinæ illius poteſtatis, et auctoritatis præſtantiam, hoc nomen tribui: quod iam inde uſque ab ætate Inſtiniani Imperatoris ei proprie attributum eſſe conſtat ex nouella quadam conſtitutione: qua is pontificem Romanum nominat ἁγιώτατον τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης πάπαν, nempe ſanctiſsimum ueteris Romæ papam. itidemq. Conſtantinus Imperator, in litteris ſextæ Synodi, quas Diuales dicunt. Non inficias tamen imus, Cyrillo etiam, Alexandriæ Patriarchæ, hoc nomen datum eſſe, ob legationem, quam pro pontifice Romano in Concilio Epheſino geſſit: indeq. factum eſſe, ut ceteri deinceps illius urbis patriarchæ eodem uterentur; quemadmodum, Archiepiſcopi, conſtantinopolitanæ; et patriarchæ nomine, Antiochenæ eccleſiæ antiſtites, proprie aliquando appellati ſunt.

S. Ioannis Boni epiſ.) Ex uolumine antiquo, manu ſcripto: quo eccleſiæ Mediolanenſis epiſcopi, et alij, in ſanctorum numerum relati, qui potiſſimum in ea coluntur, ordine deſcripti ſunt. De S. Ioanne Bono præterea Boſſius in annalibus Med.

S. Martiani presbyteri.) Cuius uita, in omni ſanctitate, miraculis diuinitus teſtificata, præclariſq. uirtutibus eluceſcens, græce expoſita, legitur, apud Metaphraſtem, et in Horologio: quod Breuiarium Græcorum eſt, ad horarias diei preces accommodatum.

S. Guglielmi epiſcopi.) Ex calendario Eccleſiæ Bituricenſis. Hunc Biturienſem alij uocant: cuius uita, pluribus perſcripta, extat apud Surium tom. 1. de uit. ſan. et apud Beluacenſem lib 29. cap 62.

S. Theodoſij Cœnobiarchæ.) Huius uita, ſanctiſsime acta, ab Simone Metaphraſte litteris mandata eſt. Dies autem natalis eius in Euchologio adſcribitur hoc die; in Menologio autem, poſtridie huius diei.

Translatio ſancti Firmini.) Dies autem natalis agitur calendis Septembris. Fuit præterea in Ambianis etiam alter Firminus martyr: de quo ſcribitur ſeptimo cal. Octob et idibus huius menſis: quo die translatio celebratur.

In martyrologio Cremonenſi, iam inde uſque a tempore Alexandri Tertij, pont. max. conſcripto, fit etiam, hoc die de S. Iginio papa, quem Beda item huic diei in martyrologio ſuo adſcribit: at de omnium fere ſcriptorum ſententia, et quod caput eſt, Breuiarij Romani auctoritate nos in ſequenti die adſcripſimus.

Hoc die Græcia celebrat feſtum ſancti Gregorij Nyſeni: cuius in martyrologijs latinis commemoratio fit ſeptimo idus Martij.

Tertio idus Ianuarij.

S. Iginij papæ.) De quo pluribus nos in noſtris notationibus: quas breui edemus una cum hiſtoria Platinæ de uitis pont.

In Africa.) In cuius omnes fere partes ab initio naſcentis eccleſiæ per Apoſtolos lex Euangelij diſſeminata eſt: ut Saluianus lib. VII. de pronidentia Dei, affirmat. Idq. ipſum cum ex antiquo eccleſiæ ſcriptore, Tertulliano, tum ex ſancto Auguſtino cognoſci licet. Hic quatrigentis fere annis, in ea regione fidem IESV CHRISTI floruiſſe ſcribit: ille uero, ut pote qui S. Auguſtini ætatem multis annis longe præceſsit, in omni Africa populum christianum frequentiſſimos conuentus habuiſſe teſtatur: immo uero Getulos, Mauros, et alios, qui interiorē illam re-

gionem

nem incolunt, chriſtianæ fidei præceptis, atque inſtitutis imbutos eſſe ſcribit. Lybiæ eccleſiarum meminit præterea Irenæus et martyr, et ſcriptor, Apoſtolorũ penè æqualis. Epiſcopos octuaginta, atque adeo amplius, ex concilio Carthaginienſi I. in Africa fuiſſe conſtat, beati illius Cypriani martyris tempore, et Stephano I. pontifice. In omni autem perſecutione, admirabilis elucet chriſtiana uirtus Aphricanorum: qui martyres, ut ex ſancti Cypriani libris, et martyrologiorum monimentis perſpicue cognoſci licet, innumerabiles extiterunt; illiq. egregij, qui uiginti duo, Valeriano Imperatore, ita pugnarunt pro CHRISTI gloria; ut eorum martyrio diuina auxiliante miſericordia, Africa ab ipſis Apoſtolis, iam chriſtianæ fidei inſtitutis imbuta, ad illam tuendam ſit confirmata uehementius. In Vandalica porrò perſecutione, cum in Hiſpania, Gallia, et Germania plerique a uero cultu deſciſcerent, fuerunt uiri præſtantiſſimi, in Africa antiſtites, qui populum in officio religionis, ſumma contentione continebant. Atque hæc ſane cauſa fuit, cur S. Auguſtinus ſcriptionem ſuſceperit librorum de ciuitate Dei; et Saluianus de Iudicio, ac prouidentia Dei, tum Oroſius conſcripſerit libros ſeptem. Eccleſiæ uerò in Africa, quàm admirabili opere, quàm auguſtis donis excultæ fuerint, oſtendit Optatus Mileuitanus lib. 1. et 3. contra Parmenianum; et S. Auguſtinus lib. 3. cap. 29. contra Creſconium. Calices enim, et reliqua uaſa ſacra fere aurea, et argentea, in illis fuerunt: ueſtimenta autem, uel aurata, uel auro, argentoue intexta. Quot præterea baſilicæ cathedrales in ea prouincia extiterint, perſpici poteſt cum ex Synodo Mileuitana, tum ex Optato: hic quinque, et illa totidem illius Metropoles cenſet; licet Iuſtianus ſeptem prouincijs, Metropoles item ſeptem reſpondere oſtendat in codice ſuo, de offic. præf. præt. Af. itidemq. ſignificet Oroſius. At quò res eius eccleſiaſtica ſenſim præceps ruere cœperit, iam inde a Gregorio ſeptimo, pontifice max. intelligimus: qui, data ad Cyriacum epiſcopẽ Carthaginienſem epiſtola, ſcribit, ſibi delatum eſſe Africam ad id periculi deductam eſſe, ut in conſecrando epiſcopo tres non habuerit epiſcopos eo tempore: poſt uero tota perijt magno cum fidelium dolore.

S. Saluij.) Quem Siluium alij uocant: at Beda, Vſuardus, Ado, Poſſidius in Indiculo cap. 3. et ult. Saluium dicunt: quibus conſentiunt manu ſcripti codices. In baſilica Carthaginienſi eius corpus, honorifice, religioſeq. reconditũ, olim extitit.

Ss. Petri, Seueri, et Leucij.) Ado, Vſuardus, Beda, et alij ſcriptores martyrologij. At, pro Leucio, nonnulli dicunt, Leontij: nos, Leucij, retinuimus, prout in compluribus codicibus, recte exaratis, animaduertimus.

S. Pauli ſimplicis.) Qui ſancti Antonij abbatis diſcipulus, monaſticæ uitæ inſtitutis cum magiſtro contendit. De eo Nicephorus lib. 8. cap. 40. ſcribit.

S. Saluij epiſcopi, et martyris.) Cuius uitam, et martyrium breuiter S. Antoninus conſcripſit lib. 14. cap. 4. Chron. par. 2. et Sigilbertus item.

Sanctæ Honoratæ uirginis.) Ex martyrologio ſcripto, et ueteri: et calendario eccleſiæ Papienſis.

S. Eguini epiſcopi.) Brituualdus, Cantiorum epiſcopus, huius uitam edidit: quæ in eccleſia Vigornienſi legitur.

S. Anaſtaſij monachi.) Cuius S. Gregorius meminit lib. 1. cap. 8. Hunc tamen aliqui aſcribunt undecimo calendas Februarij.

In Græcia, hoc ipſo die, ſanctæ Tatianæ martyris; cuius præclara pro gloria CHRISTI dimicatio, græce ſcripta, legitur.

D 2 Pridie

Pridie idus Ianuarij.

In Mauritania.) In hac prouincia, ut in omni Africa, ab initio prædicationis euangelicæ eluxit chriſtiana religio: id quod mox ſupra expoſuimus. Pro fide CHRISTI quàm egregie aliquando Mauri pugnarunt in ſumma oppugnatione, per tyrannos excitata. Martyrio nobilis eſt Victor Maurus: inſignesq. martyres, ſunt, Seuerus, Securus, Ianuarius, et Victorinus: tum præterea, Timotheus, Polius, et Eutychius, Martiana etiam uirgo, et martyr. Mauritani item ſunt trecenti, et ſexaginta illi martyres, beati Gerionis ſocij: quorum, in Diocletiani, et Maximiani perſecutione, certamen præclarum extitit. Quid multis? Martyrologij liber ferè omnis plenus eſt martyrum Mauritanorum.

S. Arcadij.) Huius martyrium Zeno, epiſcopus Veronæ, ſermone complexus eſt; quem Surius retulit in uolumen 1. de ſanctis: et Lippomanus in uolumen 2. De eodem Aequilinus lib. 1. cap. 43. lib. 2. cap. 47.

In Arcadia.) Alias, in Achaia, ut plerique omnes codices habent: atque ita in noſtro martyrologio reponendum cenſemus. Eſt Achaia, Græciæ regio nobilis, ac pene inſula, Aegeo, et Ionio mari cincta; cuius ſæpe métio eſt in ſacris litteris, ut pote in actis Ap. cap. 8. et 9. in ep. s. Pauli, ad Ro. cap. 15. ad Cor. 1. c. 16. et ad Cor. 2. cap. 1. et 9. ad Theſ. 1. cap. 1. Eoq. nomine laudatur, quòd magno ſtudio IESV CHRISTI fidem ſuſceperit. Achaici enim, Bizantini et alij Euxini maris accolæ, iam inde primum ab S. Andrea Apoſtolo Euangelij præceptis, atque inſtitutis imbuti ſunt, anno Domini circiter XL.

S. Satiri martyris.) Qui paſſus eſt, quo primum tempore, Domitianus contra chriſtianos perſecutionem concitauit, anno Domini circiter CCCV. De Satiro martyre Vſuardus, Beda, Equilinus. uit autem is ciuis Arabiæ.

Ss. martyrum, Tigrij presbyteri, Eutropij lectoris, et Olympiæ matronæ.) De quibus ſcriptum eſt in hiſt. Trip. lib. 10. cap. 21.

S. Ioannis patriarchæ.) Qui fuit ordinis Carmelitarum: ut ſcribit Ioannes Alemannus, eiuſdem ordinis, in chron. lib. 2. cap. 67.

S. Ioannis epiſcopi.) Rauennatum, hoc nomine ſecundi: cuius opera diuinitus factum eſt, ut et urbi Rauennæ, et ciuibus, Athila, omni immanitate barbarus, parceret. Huius epiſcopi uitam, ſancte actam, Deſiderius ciuis Rauennas expoſuit libro, quem de Archiepiſcopis Rauennæ conſcripſit.

S. Probi epiſcopi.) Ex conſtitutione Synodali eccleſiæ Veronenſis.

S. Benedicti.) Cuius uitam, ſe ſcripſiſſe Beda teſtatur in extremo libr. hiſto. Angl. In die præterea eius natali, homiliam idem habuit, quæ in tomum ſeptimum operum illius relata, in homilijs hyemalibus adſcribitur.

Inuentio ſanctorum martyrum, Nainij, Iacobini, et Anſelmi.) Vt litteris exarata, extat in annalibus Brixienſium. Inuentionis autem ſanctorum dies feſtus celebris, ſicut translationis, celebris eſt, ut e multorum patrum, et ſancti Ambroſij in primis ſermonibus, perpetuaq; eccleſiæ conſuetudine, perſpicue manifeſtum eſt.

In Græcia, Sanctorum Hermili, et Stratonici, martyrum.

Idibus Ianuarij.

Octaua Epiphaniæ.) Aliàs, Octauæ Epiphaniæ, ut in libro ſcriptum eſt, qui Ordo Romanus uocatur. Octauas præterea numero multitudinis dici debere, cum aucto-

auctores omnes, qui de octauis ſcribunt, nos docent; tum Amalarius in primis, qui lib. 4. cap. 34. de huius diei ratione rituq. diſſerit, octauas Epiphaniæ nominat. De officio autem, et ritu huius octauæ, præter id, quod idem Amalarius litteris eodem loco tradidit, ſcriptum etiam extat in libro Antiphonario ſancti Gregorij papæ, et in Lectionario, quem ſancto Hieronymo adſcribunt. At uero ne hoc quidem omittendum eſt, quòd in uno lectionarij codice hoc die legitur euangelium ſecundum Ioannem: Vidit Ioannes in altero Euangelium ſecundum Matthæum; Venit Ieſus: quod in pleriſque eccleſijs hoc ipſo die legi, ſcribit Durantius lib. 6. cap. 17. quo loco rationem huius officij exponit. Extat homilia hoc item die habita a Beda, qui in martyrologio etiam octauæ huius meminit:

Romæ, uia Lanieana.) Alij Labicanam dicunt: quæ inter Eſquilinum, et Cœlium montem, per Næuiam portam exiens, ad oppidum Lauicorum ducebat. Qua in uia Cœmiterium ſanctorum martyrum, Petri, et Marcellini primò extructum, ab Honorio pontifice inſtauratum eſt, ut Bibliothecarius ſcribit.

Ss. Quatraginta martyrum.) Beda, Vſuardus, et alij ſic habent, Quatraginta militum coronæ. A quorum ſententia nos minime diſcedimus, licet dixerimus, Quatraginta martyrum: ſicut etiam in Breuiarijs perantiquis eccleſiæ Ambroſianæ, ſcriptum eſt. Aliorum quatraginta celebritas agitur VII. idus Martij: aliorum etiam totidem, in metallo phanenſi ad quartum nonas Maij. De his autem quatraginta, Ado copioſius ſcribit.

Gallieno Imperatore.) Anno Domini circiter CCLXII. Aemiliano, et Baſſo II. Coſſ. Cornelio Seculari, urbis præfecto. Sunt, qui putant, Galienum hoc anno perſecutionem, contra chriſtianos uetuiſſe. Is enim, etſi Sardanapali uitam omni uoluptatis genere exprimebat, ſuperiorum tamen tyrannorum, qui ſuæ aduerſus chriſtianos crudelitatis pœnas dederunt, exemplis deterritus, aliqua moderatione uti cœpit. Propoſitis namque edictis, et ad epiſcopos litteris ſcriptis, permiſit illos loca, quæ cœmiteria nuncupantur, recuperare, et ad ſacra religionis chriſtianæ conuenire; quodq. eiſdem in more poſitum fuiſſet, libere exequi. Exemplum unius edicti, ſeu epiſtolæ eius generis, e ſermone Romano in græcum conuerſæ, Euſebius in hiſtoriæ eccleſiaſticæ commentarios retulit, nempe lib. 7. cap. 12. Quod ita deſcripſimus, ut in martyrologio noſtro extet, tamquam huius ſcriptionis rationi ualde accommodatum.

Αὐτοκράτωρ καῖσαρ πούπλιος λικίννιος γαλιῆνος, εὐσεβὴς, εὐτυχὴς, σεβαςὸς, διονυσίῳ καὶ πιννᾷ καὶ δημητρίῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς ἐπισκόποις. τὴν εὐεργεσίαν τῆς ἐμῆς δωρεᾶς διὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἐκβιβασθῆναι προσέταξα, ὅπως ἀπὸ τῶν τόπων τῶν θρησκευσίμων ἀποχωρήσωσι. καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὑμεῖς τῆς ἀντιγραφῆς τῆς ἐμῆς τῷ τύπῳ χρῆσθαι δύνασθε, ὥς τε μηδένα ὑμῖν ἐνοχλεῖν, καὶ τοῦτο ὅπερ κατὰ τὸ ἐξὸν δύναται ὑφ᾽ ὑμῶν ἀναπληροῦσθαι, ἤδη πρὸ πολλοῦ ὑπ᾽ ἐμοῦ συγκεχώρηται. καὶ διὰ τοῦτο αὐρήλιος κυρήνιος ὁ τοῦ μεγίςου πράγματος προςατεύων, τὸν τύπον τὸν ὑπ᾽ ἐμοῦ δο εὐτα διαφυλάξει.

Idem, Latine redditum.

Imperator, Cæſar, Publius Licinius, Galienus, Pius, Fortunatus, Auguſtus, Dionyſio, et Pinnæ, et Demetrio, et ceteris epiſcopis ſalutem. Meæ munificentiæ beneficium per uniuerſum orbem diuulgari præcepi; ut qui loca illa religioſa, quæ ſpectant ad chriſtianos, poſſideant, ab illis ſtatim diſcedant. Et propterea uos mearum litterarum exemplari uti poteritis, quo nemo deinceps uobis quicquam faceſſat moleſtiæ. Atque iſtud, quod nunc libere, et pro arbitratu a uobis expleri queat, iam pridem a me erat conceſſum. His de cauſis Aurelius Cyrenius, qui ſummam rerum ſecundum me adminiſtrat, litterarum etiam exemplar conſeruabit. Atque hæ ſunt quidem Gallieni litteræ inſtar edicti: cuius edicti exequendi curam Aurelio Cyre-

nio delegauit, qui chriſtianorum cauſa nihil fecit: immo uero, eas litteras inanes fuiſſe appatet, ſi conſideremus, quod idem Euſebius proximo capite Marino martyri factum eſſe ſcribit: qui Achaij, Cæſareæ Paleſtinæ præſidis iuſſu, quoniam chriſtianus eſſet, militari dignitate, et uita priuatus eſt.

Ss. martyrum Ingenui, et Cyriaci.) Ex martyrologio, manu ſcripto.

Ss. Hermyli, et Stratonici martyrum.) Licinio Imperatore. Eorum martyrium Simeo Logotheta multis exponit: Surius autem retulit in tomum 1. de ſanctis. Eſt eorumdem mentio in Menæa, et horologio Græcorum.

S. Hilarij epiſcopi.) Parmæ ſcilicet, ex Calendario Parmenſi. S. Hilarij autem Pictauienſis, natalis dies, in martyrologijs huic diei adſcriptus, ob Octauam Epiphaniæ in ſequentem diem differtur, ut nos in eum retulimus.

S. Remigij epiſcopi.) Cuius uitam Hincmarus, Rhemorum epiſcopus, ſcripſit: ut calendis Octobris exponimus: quo die translationis celebritas ex eccleſiæ inſtituto ſolemnius agitur. Vitæ huius exemplar peruetuſtum extat in Bibliotheca baſilicæ cathedralis Bergomenſis.

S. Agritij epiſcopi.) Ex pandectis Lamberti de Legia, et Beda.

Translatio S. Firmini martyris.) Cuius dies natalis agitur VII. cal. Octob. Hoc autem die, anno Domini circiter DCCXXVI. a beato Saluio, Ambianorum epiſcopo, illius translatio, ſolemniter celebrata eſt; ut rem totam exponunt, Aequilinus, et Beluacenſis.

S. Veri epiſcopi.) Ado, et Beda.

S. Viuentij.) Aliàs, Inuentij: Cuius uitam Mombritius in tomum II. de ſanctis retulit: Ado, Beluacenſis, Aequilinus.

Proſper Aquitanicus diem natalem S. Gregorij Nazianzeni in hoc die adſcribit: ſed nos ſuo loco.

Decimo nono calen. Feb.

Pictauis.) Qui religionis chriſtianæ præceptis primum a ſancto Victorino inſtituti ſunt, anno Domini circiter CCLXXXII. Probo, et Caro. Impp.

S. Hilarij.) Huius uita, a Fortunato conſcripta, et miracula altero libro ab eodem expoſita, apud Surium extant, lib. 1. de ſanctis. Eiuſdem mentio fit in Concilio œcumenico V. et VI. meminerunt item ſummi Pontifices, Leo, et Gelaſius: hicq. in Concilio Romano illius libros comprobat; Martinus item in Synodo Romana: S. Hieronymus lib. de ſcrip. eccl. in ep. ad Deſiderium, ad Lætam, ad Florentium, ad Paulinum, ad Marcellam, in Apologia aduerſus Ruffinum ſæpe, atque adeo multis locis ſæpiſſime: Caſſiodorus lib. de diuinis lectionibus, S. Auguſtinus lib. 2. contra Iulianum; Socrates, lib. 3. cap. 10. Sozomenes lib. 5. cap. 14. Nicephorus lib. 9. cap. 16. lib. 10. cap. 17. Hiſt. eccl. Iſidorus, Beda, Vſuardus, Gregorius Turonenſis de glor. conf. Xyſtus in bibliotheca ſancta, Trithemius, et alij multi. Obdormiuit in Domino uir ſanctus, ut plerisque placet, anno ſalutis CCCLXIX. ut Trithemio, CCCLXXI. ut S. Hieronymo, in Chronicis, CCCLXXII.

S. Felicis confeſſoris.) Cuius S. Auguſtinus meminit in ep. 137. et lib. de cura pro mortuis, Ado in martyrologio, et Vſuardus item. Eius uitam Paulinus, Nolæ epiſcopus, uerſibus conſcripſit; eandemq. ſoluta oratione Beda expoſuit, ut ab eodem cognouimus in fine hiſt. Angl. Exemplar, de ſancti huius uiri uita exſcriptum, aſſeruatur in Bibliotheca Bergomenſi: eſtq. item apud Mombritium tom. 1. de ſanctis.

S. Fe-

S. Felicis martyris.) Ex martyrologio, manu ſcripto, et lib. 2. cap. 73. Acquil. de ſanctis.

Spoleti.) Quod Spolitium Aethicus uocat, urbs eſt Vmbriæ prouinciæ nobiliſſima: iam inde ab initio propè euangelicæ prædicationis, CHRISTI ſacris imbuta cognoſcitur, ex hiſtoria martyrum Pontiani, et Concordij: qui naſcente fere eccleſia illic martyrium ſubierunt. Hic præterea Sabinus epiſcopus, & ſuperatus, Marcellus, Venuſtianus cum coniuge, et liberis, martyrio coronantur, Diocletiano, et Maximiano Impp.

S. Pontiani.) Ex Calendario eccleſiæ Spoletanæ, et Surio: at Vſuardus, Ado, et Caniſius XIIII. Calendas Februarij de eo ſcribunt. Eum alij Pontium uocant: Pontianum tamen fere omnes dicunt. Illius martyrium ab fidelibus memoriæ proditum dicitur, qui eum ſepelierunt. Latius Ado, quam Vſuardus, martyris huius res fortiter pro fide geſtas commemorat, prout etiam e uoluminibus, manu exaratis, et ab eodem Surio illas uberius cognoſcimus.

SS. martyrum Euphraſij epiſcopi, Cyriaci, et ſociorum.) In perſecutione Vandalica.

Euphraſij.) Reponimus, Euſtratij; qui fuit epiſcopus Suſetanus, ut e Victore animaduertimus, in lib. 1. perſ. Vand. licet in manu ſcripto codice legatur, Euphraſij.

S. Datij epiſcopi.) Ad quem uirum ſanctiſſimum extat epiſtola, de ſubleuanda egentium paupertate, a Caſſiodoro Senatore ſcripta lib. 12. Meminit eiuſdem S. Gregorius papa in dialogis lib. 3. cap. 4. Idem aſcribitur multis locis in Litanijs eccleſiæ Mediolanenſis, et in libro peruetuſto, manu ſcripto, de ſanctis eiuſdem eccleſiæ.

S. Cadeoldi.) Aliàs, Caldeoldi, Beda.

Ss. Monachorum in Sina.) Nilus apud Metaphraſtem, et apud Surium tom. 1. de ſanctis. et Græci præterea in Menologio, et Horologio.

Decimo octauo cal. Feb.

Ss. Prophetarum Micheæ, et Abacuc.) De hoc in Græcia commemoratio fit IIII. Non. Decembris: de illo, XIX. Calè. Septemb. Vtriuſque uitam ſcripſit Epiphanius; ac deinde Iſidorus. Hoc die celebratur eorum inuentio corporum: quæ ſcilicet, Arcadio Imperatore, in Iudæa prouincia, admonitu diuino, reperta ſunt, anno Domini, ut ſcribit Sigibertus, CCCXCVI. ut alijs placet CCCCI. Hanc inuentionem ſcribit Sozomenus lib. 7. cap. 28. et Caſſiodorus lib. I. cap. 49. Trip. hiſt.

S. Maximi epiſcopi.) Qui obijt in Domino, anno circiter, CCCVI. Eius S. Paulinus Nolanus meminit in exorſu libri, quem de uita S. Felicis conſcripſit.

Sancti Macharij Abbatis.) Aegyptij ſcilicet: nam S. Macharij Alexandrini commemoratio fit quarto nonas Ianuarij, ut eo die ſupra expoſuimus. Hic natu grandior, ille minor; habitauit uterque in intima ſolitudine, quæ Scete uocatur. at ille, licet iunior, in ijs, quæ præcipua monachorum ſunt, primas obtinebat: hic uero nonaginta annis uixit, quorum ſexaginta in heremo conſumpſit. itaque triginta natus annos, monaſticæ exercitationis labores toto decennio, ita toleranter tulit, ut, quoniam longe, citius, quàm ætas ferret, in omni pietatis uirtute mirifice profecerat, παιδαριογέρων uocaretur, nempe in puerili pene ætate ſenex. multa diuino beneficio geſſit, quæ e græcorum monimentis petenda ſunt. Sicut autem ſodalibus monachis profuit exemplo: ita poſteritati prodeſſe ſtuduit, diuini ſpiritus ſui monimentis: quæ extant, quinquaginta uidelicet homiliæ, græce ſcriptæ, ad

bene

bene beateq. uiuendi rationem, euangelio conuenientem, ſane quàm opportunæ, atque utiles. De utroque Machario Palladius in hiſt. pat. cap. 19. et 20. Rufinus lib. 11. cap. 4. Nicephorus lib. 9. cap. 14. hiſt. eccl. Socrates lib. 4. cap. 18. Sozomenus libr. 3. cap. 13. Caſſiodorus libr. 7. cap. 39. libr. 8. cap. 1. Gennadius lib. de uir. ill. Iſidorus lib. 2. de eccl. of. cap. 15. et Heraclides, illius diſcipulus, in libro, qui dicitur Paradiſus, et auctor libri de uitis patrum, multis ſæpe locis. Porro in Græcia Macharij Aegyptij dies natalis agitur XIIII. cal. Feb.

S. Iſidori.) De quo ijdem, qui de Macharijs, ſcribunt.

S. Bonitij.) Cuius uita, olim ab Aegydio, et Gallo litteris exarata, commutatis uerbis, ſpendidiuſq. explicata, extat apud Surium tom. 1. De eodem Beluacenſis item lib. 7. ſpec. hiſt. cap. 97. et Aequilinus in catal. lib. 2. cap. 82.

S. Mauri.) Cuius S. Gregorius meminit lib. 2. dialo. cap. 7. Leo, epiſcopus Hoſtienſis, in Chronicis montis Caſſini; Sigebertus in lib. de uiris ill. Trithemius item. Eius uitam, Fauſtus ſocius, et S. Benedicti diſcipulus, litteris mandauit: quam, a Bonifacio pontifice, ſacroſancta apoſtolica auctoritate comprobatam, in uolumine primo Surius exſcripſit, et Hilario item monachus.

Eius corpus translatum.) De cuius inuentione, et translatione extat in Rubra ualle liber, inſcripta epiſtola Odonis abbatis.

S. Probi epiſcopi.) De quo res mirandas S. Gregorius ſcribit lib. 4. dialogorum, cap. 13. et Marolus lib. de exemplis ſanctorum.

S. Ioannis Caliniti.) Calybitæ, ſic repone: quod nomen is accepit, quia calybam, nempe tuguriolum habitauit. Fuit ciuis Conſtantinopolitanus, Eutropio patricio, et Theodora natus. eius uitam Simo Logotheta ſcripſit: quam Surius etiam huic diei adſcripſit in uolumine 1. de ſanctis. De eodem in Menologio, et Horologio Græcorum, et in Calendario Eccleſiæ Bizantinæ. Multis locis hodie feſtum celebre eſt, quod agitur de nomine IESV: idq. Clemens ſeptimus pontifex, fratrum ordinis minorum rogatu, inſtituit anno 1530.

Decimo ſeptimo cal. Feb.

Via Salaria.) Quæ a deportando ſale nomen accepit: non magnæ, inquit Strabo, longitudinis eſt, a porta collina in Sabinos ducens. Fuit olim ob uictoriam celebris, qua ibi prope Alliam fluuium, ad quartum et decimum ab urbe lapidem, ut Vibius ſcribit, uel ad undecimum, ut Liuius, contra Romanos Galli potiti ſunt. At illuſtrior eſſe cœpit frequentibus ſanctorum martyrijs, et cœmiteriorum extructionibus: quæ ibidem quatuor extitiſſe leguntur: unum omnium uetuſtiſſimum, quod oſtrianum appellant, ab urbe diſtans tria millia paſſuum: quo in cœmiterio, ut a protonotario S. R. E. in Liberij pontificis acta relatum eſt, beatus Petrus Apoſtolus baptizaſſe dicitur: alterum ab hoc non longe fuit, quod Nouellæ uocant: ubi, tamquam exul, idem pontifex Liberius habitabat: aliquandoq. eò uniuerſos presbyteros, et diaconos paſchalibus diebus, euocauit: tertium ſanctæ Felicitatis martyris: in quo Bonifacius pontifex ſepultus eſt: quartum Priſcillæ, a Marcello pontifice dedicatum; et a Ioanne pont. inſtauratum. In hoc cœmiterio dormierunt ſancti martyres, Marcellinus Papa, et ipſe Marcellus, Claudius, Quirinus, et Antonius, presbyteri: Siluester, Liberius, Siricius, et Cæleſtinus, pontifices, et confeſſores: Vigilius item Papa, Pudens cum uxore Sabinilla, et filiabus, Pudentiana, et Praxede; Baſilla uirgo, Hermes præfectus, Prothus, et Hiacynthus. Atque hactenus quidem de uia Salaria, et Cœmiterijs, in ea extructis.

S. Mar-

S. Marcelli.) De quo Damaſus lib. pont. cap. 31. Bibliothecarius, Beda, Vſuardus, Ado, et reliqui ſcribunt: at Græci, Euſebius, Theodoritus, Nicephorus, alijq. eiuſdẽ generis eũ omittunt; fortaſſe decepti nomine Marcellini, et Marcelli, non longe inter ſe diſſimili. Huius pontificis res geſtas, a S.R.E. Protonotarijs cõſcriptas, quæ ſæpe in martyrologijs recitantur, Surius habet tom. 1. de uit. ſanct.

De ſancto Marcello officium Gregorius I. pontifex inſtituit, ut in eiuſdem libro, quem Antiphonarium dicunt, extat; meminitq. præterea auctor Micrologi cap. 43. De eodem in peruetери antiphonario eſt hoc reſponſorium; Hic eſt uere famulus Dei: quod ſane diſerte explicat Amalarius, cap. 28. Antiph. rationemq. affert, cur proprie de hoc ſanctiſſimo pontifice pronuncietur; quamuis etiam diebus feſtis aliorum ſummorum pontificum canatur. Sollemni autem officio, diem natalem huius, ut reliquorum pontificum martyrum, Gregorius VII. pont. max. celebrari decreuit, ut in Micrologo ſcriptum eſt, cap. eod.

Eius ſacroſancta pontificia decreta in canonũ codicem a Gratiano hæc referuntur.

Can. II.	Diſt. XVIII.	Can. IIX.	Ibidem.
Can. XVI.	Diſt. XCVI.	Can. X.	XX. Qu. I.
Can. VI.	II. Qu. VI.	Can. XIIII.	XXIV. Qu. I.
Can. V.	III. Qu. IX.	Can. IIV.	XXV. Qu. I.
Can. III.	II. Qu. I.		

In maxima eccleſiæ perturbatione.) Iam ſeptem circiter ante annis ab Imp. Diocletiano, et Maximiano concitata, Anno ſcilicet Domini CCC.

Rem chriſtianam &c.) Non deſtitit enim pontifex Marcellus, in ſumma rei chriſtianæ oppugnatione, fidei hoſtes, Maximianum in primis, monere, atque hortari, ut, chriſtianos, non exagitarent, neque inſectarentur.

Epiſtolam ſcripſit.) Maxentio, et Maximiano conſulibus. Eius decretales epiſtolæ duæ extant; una Calend. Ap. altera XVII. calen. Septembris, ſcripta.

In urbe uiginti quinque titulos.) Anno Domini circiter CCCV. Primum autem Euariſtus urbis regiones, parœcias ue, quos titulos Romani uocant, presbyteris ſingulis diſtribuit; ut in ſuo quiſque titulo, curatione ue fideles chriſtianæ religionis myſterijs erudirent. Deinde non multo poſt tempore Iginus pont. aucta chriſtianorum hominum multitudine, cum unus in unaquaque parœcia presbyter non ſatis eſſet, plures tum clericos, tum presbyteros in illis ſingulis conſtituit. Quo factum eſt, ut, qui ceteris in parœcia præeſſet, presbyter Cardinalis nuncuparetur. Poſt Igini autem tempora, Dionyſius pontifex, Euariſti exemplum ſecutus, iterum titulos, ſeu parœcias, quas pro auctæ pietatis ratione amplificarat, presbyteris diuiſos, certis limitibus diſtinxit: in eiſdemq. ut Iginus fecerat, plures presbyteros eſſe uoluit: quorum etiam curæ cœmeteria adiunxit. Verum non longe poſt, S. Marcellus pontifex, de quo agimus, certum numerum præfiniuit titulorum, quaſi diœceſium, nempe uiginti quinque: quos, extincta perſecutionum flamma, deinceps reliqui pontifices multiplicarunt. Primo Silueſter titulum Aequitij, Marcus titulum ſancti Marci; Iulius titulum ſanctæ Mariæ transtyberim; Damaſus titulum ſancti Laurentij; Innocentius titulum Veſtinæ, conſtituit. Porrò, Zoſimo pontifice, ut ex multis rationibus conijcitur, uiginti octo titulorum numerus habetur: poſt illius uerò tempus nullus alius pontifex titulos addidiſſe legitur; ſed uel mutaſſe, uel transtuliſſe, uel reſtituiſſe, uel aliquo modo exornaſſe. Atqui illi quidem uiginti octo tituli, urbis Romæ uetuſtiſſimi, iam mille, et ſexaginta ante annis inſtituti; quos ex actionibus synodi Romanæ, Symmacho pontifice, perſpici licet, hi plane ſunt, qui ordine mox exponuntur.

1 Titulus ſancti Calixti, aliàs ſancti Iulij, alias ſanctorum Iulij, et Calixti, aliàs Calixti, aliàs ſanctæ Mariæ trans Tyberim.
2 Titulus ſancti Chryſogoni, trans Tyberim.
3 Titulus ſanctæ Cæciliæ trans Tyberim.
4 Titulus S. Anaſtaſiæ, ſub Palatio.
5 Titulus Damaſi Papæ, aliàs ſanctorum, Laurentij, et Damaſi, aliàs ſancti Damaſi, aliàs ſancti Laurentij in Damaſo.
6 Titulus S. Marci ad Palatinas.
7 Titulus Equitij, aliàs ſancti Silueſtri, alias ſanctorum, Silueſtri, et Martini, aliàs ſancti Martini in montibus.
8 Titulus ſanctæ Sabinæ in monte Auentino.
9 Titulus ſanctæ Priſcæ in monte Auentino, aliàs ſanctorum, Aquilæ, et Priſcæ.
10 Titulus ſanctæ Aemilianæ.
11 Titulus Faſciolæ, aliàs ſanctorum Nerei, et Achillei.
12 Titulus Tigridis, aliàs ſancti Xiſti.
13 Titulus Lucinæ, aliàs ſancti Marcelli.
14 Titulus ſanctæ Suſannæ ad duas domos, aliàs ſanctorum, Gabinij, et Suſannæ.
15 Baſilica ſanctorum duodecim Apoſtolorum; aliàs titulus ſanctorum Apoſtolorum, Philippi, et Iacobi. Verum hæc eccleſia poſterioribus temporibus ſola inter hos x x v i i i. titulos baſilica nuncupata eſt, non titulus.
16 Titulus ſancti Cyriaci in thermis Diocletiani.
17 Titulus ſancti Euſebij.
18 Titulus Paſtoris, aliàs ſancti Pudentis, aliàs ſanctæ Pudentianæ, omnium, qui extant, antiquiſſimus.
19 Titulus Veſtinæ, aliàs ſanctorum Geruaſij, et Protaſij, aliàs S. Vitalis.
20 Titulus ſanctæ Creſcentianæ.
21 Titulus ſancti Clementis.
22 Titulus ſanctæ Praxedis.
23 Titulus Eudoxiæ Auguſtæ, aliàs ſancti Petri ad uincula.
24 Titulus Lucinæ, aliàs, ſancti Laurentij in Lucina.
25 Titulus S. Nicomedis.
26 Titulus ſancti Matthei, in Merulana.
27 Titulus Pammachij, aliàs ſanctorum Ioannis, et Pauli.
28 Titulus ſancti Caij.

Innocentio i. pontifice, fuit titulus Bizantij: in cuius locum inſtitutus eſt a Cæleſtino, titulus ſanctæ Sabinæ, ut ex Bibliothecario cognoſci poteſt: hi præterea quinque tituli antiqui, nempe titulus S. Aemilianæ, titulus S. Creſcentianæ, titulus S. Nicomedis, titulus S. Matthæi, titulus S. Caij, eſſe deſierunt: quorum loco, Gregorio Magno pontifice, ut ex actione ſynodi Romanæ, in huius pontificatu habitæ, perſpicimus, ij quinque alij repoſiti ſunt; Titulus ſcilicet S. Balbinæ, in monte Auentino; Titulus ſanctorum Marcellini, et Petri; Titulus S. Crucis in Hieruſalem; Titulus S. Stephani in monte Cælio; ac Titulus ſanctorum Quattuor Coronatorum. Is ſane certus conſtitutus titulorum numerus, integer permanſit, ut ex Pandulpho Piſano, et ex ueteribus diplomatum ſubſcriptionibus animaduerti licet, uſque ad Honorij Secundi pontificatum. Quo tempore hic numerus titulorum, ſicut Cardinalium, paulatim minui cœpit, uſque ad Xyſti Quarti, uel Alexandri Sexti tempora: quibus rurſus augeri incœpit. Itaque cum presbyteri Cardinales antiquum illum numerum, x x v i i i. exceſſerint; nouis opus fuit titulis, qui, x x i. ueteribus illis acceſſerunt: ſupputationeq. omnium facta, hoc tempore ſunt numero x l i x. Primò titulus unus, uidelicet S. Calixti trans Tyberim, a Calixto i i i. additus eſt, unus item, qui ſancti Nicolai inter imagines nuncupatur, a Xyſto i i i i. undecim adiuncti ſunt a Leone Decimo, hi ſcilicet, Titulus S. Ioannis ante portam Latinam, Titulus S. Cæſarij in Palatio, Titulus S. Agnetis in Agone, Titulus S. Apolinaris, Titulus S. Laurentij in Pane, et Perna, Titulus S. Silueſtri

ueſtri in campo Martio, Titulus s. Thomæ in Parione, Titulus s. Pancratij, Titulus s. Bartholomæi in inſula, Titulus s. Mariæ in Capitolio; tres item a Iulio III. quippe hi, Titulus s. Mariæ in uia, Titulus s. Barbaræ, Titulus s. Simeonis; unus etiam a Paulo IIII. hic eſt, S. Mariæ ſuper Mineruam; a Pio IIII. unus item, S. Mariæ Angelorum in thermis Diocletiani; et à Pio V. præterea hi tres, Titulus S. Triphonis, Titulus S. Hieronymi Illyricorum, et Titulus S. Euphemiæ in uico Patritio. Atque hæc quidem ſummatim de titulorum urbis Romæ inſtitutione, ac numero: qui primò incertus, deinde certus, nempe XXV. ab ſancto Marcello conſtitutus, poſt a multis deinceps pontificibus auctus, diu certus, XXIIX. ſcilicet, perſtitit; poſtea imminutus aliquo tempore, rurſus cum augeri cæperit, demum uarius eſſe incepit. Erant autem ij tituli, certæ eccleſiæ, a ſummis pontificibus conſtitutæ, cum ad martyrum ſepulturam, tum ad baptiſmum, ijs miniſtrandum, qui ab falſa ſuperſtitione ad CHRISTI religionem tranſirent: nomen autem acceperunt uel a ſanctis, in quorum memoriam, honoremq. Deo dicatæ ſunt; ut S. Mariæ trans Tyberim, S. Chryſogoni, S. Cæciliæ, et ſimilium; uel ab ijs ipſis, qui titulos inſtituerunt, ut Calixti, Iulij, Damaſi, Paſtoris, Equitij, Pammachij, Bizantij, Lucinæ, Veſtinæ, Eudoxiæ, Tigridis, itidemq. aliorum. Sunt uero aliquæ eiuſmodi eccleſiæ, quæ retinuerunt nomen utriuſque, et ſancti ſcilicet, et inſtitutoris; ſicut earum presbyteri Cardinales, ſubſcriptionibus eiuſmodi olim uſi, oſtendunt, ut pote, Aſterius presb. Card. ss. Pudentis, et Pudentianæ, in titulo Paſtoris; Felix presb. Card. S. Silueſtri, in tit. Equitij, ſicq. item alij, ut ex antiquis diplomatum monimentis perſpicue demonſtratur. Atqui in ijs titulis conferendis, quemadmodum in diaconijs, ante Xyſti Quarti tempus ea ſane ratio adhibita perpetuo eſt, ut hæ diaconis, illi presbyteris Cardinalibus concederentur; neque unquam antea contra factum eſt. Subſcriptionum autem, ut ne has quidem prætereamus, quibus presbyteri Cardinales uſi ſunt, formula antiquior illa fuit, mox præſcripta, nempe N. presb. Card. in tit. ſancti Chryſogoni; poſt, omiſſa præpoſitione, in, ſubſcribi cæptum eſt; N. presb. Card. titulo S. N. Aliàs ſubſcriptum eſt ſic, N. presb. Card. tituli S. N. ſed frequentius olim, titulo, quàm, tituli, in ſubſcriptionis formula dici uſitatum eſt. Iam uero, ad rem, nobis propoſitam, martyrologij propriam, redeamus. S. Marcelli titulus, Romæ eſt unus ex illis uiginti octo antiquis, qui presbyteris Cardinalibus tribui ſolent, ut intelligimus e ueteribus ſubſcriptionum ueſtigijs, quæ in Gelaſij Primi pontificis diplomatibus impreſſa, adhuc extant; ubi eiuſmodi inſcriptio eſt; Stephanus presb. Card. in tit. S. Chriſti martyris Marcelli: ex qua inſcriptione perſpicuum etiam nobis fit, non in confeſſorum, ut in martyrologio quodam eſt, ſed in martyrum numero, ſicut res ipſa loquitur, beatiſſimum Marcellum cenſeri.

Nolæ.) Quæ urbs in Campania, Sidicinum primò uocitata, IESV CHRISTI fidem amplexa, iam inde quo tempore s. Priſcus, unus e ſeptuaginta diſcipulis, in ea prouincia Euangelium prædicauit, ſanctos epiſcopos habuit, Felicem in primis qui, Diocletiano Imperatore, pro CHRISTO martyrium ſubijt; Paulinum etiam, ſanctitatis, et doctrinæ laude clarum. Hac item in urbe, Eraſmus, Antiochiæ epiſcopus, Maximiano Imperatore martyr fuit; et Felix item, cuius hoc die martyrium celebratur: alijq. multi, quos, prout uſu uenerit, commemorabimus.

S. Felicis confeſſoris.) Ex martyrologio manu ſcripto: in quo confeſſoris nomen pro martyre poſitum animaduertimus: id quod cum ex alijs priſcis monimentis, tum ex ſancti etiam Cypriani libris cognoſcere poſſumus: in quibus is aliquos pro CHRISTI gloria tormentis, ſupplicijsq. affectos, ut pote Aurelium, Celerinum, et Numidicum, confeſſores nuncupat: et Tertullianus item. Apud Euſebium præterea legimus nonnullos fuiſſe, iterum, tertiò aut quartò confeſſores, nem-

pe ob CHRISTI confeſſionem ſemel, iterum, atque adeo ſæpius pœna publica, ſupplicioq. excruciatos: quos tamen Tertullianus modo deſignatos martyres, modo abſolute martyres appellat. Porro nemini dubium eſt, quin Euſebius, Vercellarum epiſcopus, necem acerbiſſimam pro fide ſubierit, ut ex s. Maximi ſermonibus perſpicue manifeſtum eſt: a pleriſque tamen ei confeſſoris nomen tribuitur: ſicut etiam s. Zenoni, Veronæ epiſcopo, ac præſertim in calendarijs, ceteriſq. monimentis eccleſiæ Mediolanenſis: nihilominus tamen eum martyrem, Galieno Imperatore, fuiſſe, certum, atque exploratum omnibus eſt, qui antiquitatis eccleſiaſticæ uſu litterate periti ſunt. Itaque non deſunt, qui martyris, et confeſſoris nomen olim Synominum fuiſſe contendant. At uero hodie ijs ſolum, qui pro CHRISTO cruciatum, necemq. perpeſſi ſunt, martyris nomen tribuitur; confeſſoris autem, illis, qui ſola uitæ ſanctitate, CHRISTI nomen confeſſi ſunt. Immo uero s. Cypriani etiam ætate, diſtincta aliqua appellatio fuit martyris, et confeſſoris; quamuis uno, et altero item nomine aliquando indiſtincte utatur: ſed diſtinctio tamen apparet ex illius epiſtola, de Mappalico ſcripta, quæ inſcribitur martyribus, et confeſſoribus; atque ex epiſtola item XXX. et XXXVII. eiuſdem: ſicut rem totã luculentis ſuis in Cyprianum notationibus, Pammelius erudite explicat.

Rinocororæ.) Repone, Rhinocuraræ in Ægypto, de qua urbe Stephanus: alij in Idumæa illam ponunt. Aut Rhinocurara, Aegypti regio eſt: e qua, Siluestro I. pontifice, ſeptem et quinquaginta epiſcopi conuenerunt ad Concilium Romanum, ut in illius actis ſcriptum eſt. cap. I.

S. Melantij.) Caſſiodorus lib. 8. cap. I. hiſt. Trip. Nos martyrologio illum adſcripſimus, martyrologij, manu ſcripti, auctoritatem ſecuti.

Opitergij.) Quod eſt in Carnis, Ptol. lib. 3. cap. I. Oderzo hodie in Veneta regione, et ditione.

S. Titiani epiſcopi.) Ex martyrologij codice ſcripto. Illius meminit Equilinus lib. 2. cap. 89.

S. Priſcillæ.) De qua a notarijs S. R. E. relatum eſt in acta beatiſſimi pontificis, et martyris Marcelli. Fuit alia Priſcilla, coniunx Aquilæ, Iudæi pontici, Act. 18. Rom. 16. Hæc uero matrona Romana nobilis, quæ, auctore Marcello pontifice, ſuis ſumptibus cœmeterium extruxit: de quo nos diximus.

Arelati.) Eſt Arelate, alia in Noricis urbs, ditionis Principum Auſtriæ, uulgo Lintz. Hæc uero, ſiue Arelate, ſiue Arelatum dixeris, in Gallia Narbonenſi, ad Rhodanum fluuium ſita, inter Salyes Sextanorum colonia, Arles communi Gallico ſermone uocatur. Iam inde primum, quo tempore s. Paulus Apoſtolus per Galliam iter in Hiſpaniam fecit, hæc urbs habuit, a quibus fidei myſterijs imbuta eſt, ſanctos Apoſtolicosq. uiros, Trophimum, illius Apoſtoli diſcipulum, primumq. epiſcopum; deinde Regulum, qui omnes finitimos locos prædicatione euangelica illuſtrauit. Numerantur in ſanctis epiſcopi Arelati, cum hi duo, Trophimus et Regulus; tum alij, Feliciſſimus, qui Regulo ſucceſſit; Honoratus, et Patroclus martyr. Fuerunt alij, et epiſcopalium uirtutum, et doctrinarum laude clari; Hilarius, qui ad Eucherium Lugdunenſem epiſcopum ſcripſit; Marinus, qui Arelantesi ſynodo primæ, et ſecundæ interfuit; Rauennus, ad quem Leonis Magni epiſtola 88. extat: Virgilius, ad quem Gregorius Magnus multas epiſtolas dedit. At ſane uero non defuerunt rurſus huius ciuitatis epiſcopi; qui in hæreſi uerſati ſunt; ut Martianus, diuinæ pietatis, fraternæq. ſalutis inimicus, qui ab eccleſia catholica ad Nouatianum hæreticum defecit; aliosq. ad impietatis errores abduxit, ſicut rem totam s. Cyprianus exponit epiſtola, ad Stephanum pontificem ſcripta: qua ſupplex illud ab eo petit, ut Marcianum, male de fide ſentientem, a fidelium communione eijciat, epiſcopatuq. mulctet. Fuit item Saturninus Arelatenſis epiſcopus,

pus, hæreſis Arianæ ſtudioſus: cuius factione beatus Hilarius in exilium pulſus eſt. Porrò Arelate uocatur, quaſi ara lata, ab ara ſcilicet, duabus columnis impoſita; ad quam illius incolæ humanas litabant hoſtias, antequam a Trophmo, ut narrauimus ad fidem conuerſi ſunt. Fuit olim hæc urbs regni Burgundionum primaria: ſed in imperij Romani iure eſſe cœpit, ubi primum ab Ottone primo Imp. ob iniuriam, epiſcopo ab illius rege illatam, expugnata eſt. Hodie in Archiepiſcopalibus urbibus cenſetur; epiſcoposq. ſibi ſuffragantes habet hos quattuor, Tolonenſem, Tricaſtrimenſem, Maſſilienſem, et Arauſicanum. Iam uero Arelatenſis epiſcopus, fuit Vicarius Sedis Apoſtolicæ, ut Gregorij Magni Epiſtolæ ſignificant, tùm una, quàm Chidelperico regi ſcribit, ab eoq. petit, Arelatenſi epiſcopo Vergilio, Sedis Apoſtolicæ Vicario, ſtudium auxiliumq. in ijs conferri, quæ, in illo regno deprauata, emendationem poſtularent: tum altera, eidem Vergilio ſcripta de uſu pallij, tum aliæ, ad Galliæ epiſcopos miſſæ, de Synodis habendis, de Vergilio, Arelatenſi epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Vicario, cui pareant, ac de cauſis, ad Sedis Apoſtolicæ iudicium reijciendis.

S. Honorati.) Cuius uitam, luculenta oratione ab Hilario, Arelatenſi item epiſcopo, conſcriptam eſſe cognoſcimus ex Iſidoro de uir ill. cap. 16. et ex Bedæ martyrologio, die v. Maij. Epiſcopi Honorati meminit hoc die Beda, Vſuardus, et Acquilinus item lib. 2. cap. 86. Quintus is fuit a s. Trophimo epiſcopus Arelati.

Ambiani.) Vulgo Amienſ. Eſt Ambianũ urbs Galliæ Belgicæ, epiſcopalis, Rhemenſi Archiepiſcopo ſubiecta iure Metropolitano: habuit epiſcopos circiter ſexaginta nouem: e quibus in numerum ſanctorum relati ſunt hi, Firminus martyr primus epiſcopus, Firminus confeſſor, Honoratus, Saluinus, et Berhandus. Fidem CHRISTI Domini ſuſcepit, prædicatione primùm s. Nicaſij, a beatiſſimo Clemente Romano, ad eam prouinciam miſſi, Nerone Imp. deinde, s. Firmini epiſcopi I. anno Domini CC.

S. Honorati.) Cuius etiam meminit Demochares in lib. de ſac. Miſſæ. Honorati in ſanctis aſcribuntur epiſcopi quattuor, unus Mediolanenſium, alter Arelatenſium, tertius Vercellenſium, quartus, Ambianenſium epiſcopus; de quo item a nobis ſcriptum eſt, XVII. cal. Iunij.

Regij.) Quæ urbs eſt Galliæ Ciſalpinæ, a Lepido ædificata: a quo nomen accepit, Regium Lepidi, uulgo Rezo. Numeratur in epiſcopatibus, Archiepiſcopo Rauennati ſubiectis, ut facile cognoſcitur ex Gregorij Magni, pontificis I. litteris, ad Marinianum, Rauennæ Archiepiſcopum datis, IX. cal. Ap. Romæ per manus Ioannis Leuitæ, S. R. E. Bibliothecarij. Verum Paſchalis II. Concilio, Guardaſtalli habito, a ditione, et iure Archiepiſcoporum Rauennæ, cum Regij epiſcopum, tum certos quoſdam alios, in poſterum liberos, atque immunes eſſe uoluit; decretoq. ſanciuit, quod in peruetuſto exemplari, manu ſcripto, uidimus. Priſtina tamen iura ſua Archiepiſcopi recuperarunt beneficio Honorij Tertij pont. cuius hoc de genere extant litteræ ad Simeonem Archiepiſcopum ſcriptæ. In epiſcopis Regij, et ſanctitatis, et doctrinæ laude celebrantur, Sabinus confeſſor, Fauſtus, et Proſper: qui Leonis Magni, pont. Notarius, floruit anno Domini circiter CCCCLX. ſed multo ante ciuitas Regienſis epiſcopos alios habuit, ut ex libro noſtro, quem de epiſcopis conteximus, perſpicuum fiet.

S. Fauſti.) Ex manu ſcripto martyrol. Huius libros Gennadius recenſet in lib. de uir. ill. Eſt uero alius Fauſtinus Rheginenſis: cuius opuſcula in apocryphis cenſentur ſanctione Gelaſij I. pont. max.

Fundis.) Quæ urbs Funda etiam uocatur, uulgo Fondi, in uia Appia ſita, non longe a Caieta, olim ſane florẽs, nunc uerò pene diruta, et proſtrata iacet. non multis enim abhinc annis a Caradino Turca, Piratarum duce, prope euerſa eſt. Fundenſis

denſis eccleſia, iam uſque a pontificatu Gregorij Magni, adiuncta ab eo eſt Tarracinenſi, ut ex epiſtola intelligimus: qua ad Agnellum, epiſcopũ Fundenſem ſcripta, is pontifex eccleſiæ Tarracinenſi illum præfecit. Id autẽ dubium non eſt, quin plures alios epiſcopos ante habuerit; cum planum ſit, populum Fundanum initio ferè naſcentis chriſtianæ religionis, ad CHRISTI fidem tranſiſſe: ſi quidem beatiſſimus martyr, et pontifex Soter, ciuis Fundanus, Antonino Imp. fuit. Vitalis item epiſcopus Fundanus interfuit, et ſubſcripſit ſynodo, quàm Symmachus tertiò Romæ habuit. Fuit item Andreas, eccleſiæ Fundanæ epiſcopus: cuius ſanctitatem idem s. Gregorius exponit lib. 3. dial. cap. 7.

S. Honorati.) Cuius uitam narrat s. Gregorius lib. 1. Dial. cap. 1. in quo etiam multa de monaſterio Fundano ſcribit.

In Parona monaſterio.) Sic in manuſcriptis codicibus legitur: Alij dicunt, Peronam; alij Perromam.

S. Furſci.) Beda, et Vſuardus in martirol. at ille copioſius lib. 3. hiſt. Ang. cap. 13. et Surius profecto uberrime huius uitam explicat. tom. 1. de ſanct.

Ss. martyrum, Berardi, Petri, et reliquorum.) De ijs quinque martyribus ordinis Franciſcani oratio omnis extat apud Surium tom. 1. et litteræ item Xyſti Quarti, pont. max. Narrationem autem totam primo contexuit Bartholomæus Piſanus.

Inuentio ss. martyrum Marini presb. et Stephani.) Quorum ſcilicet corpora inuenta ſunt anno Domini M. D. XXIX. ut proditum eſt annal. Brixiæ ciuitatis.

In Græcia hoc die celebritas agitur Cathenæ ſancti Petri Apoſtoli: de qua Laudatio eſt apud Metaphraſtem tom. 7. Lippomani.

Decimo ſexto cal. Febru.

S. Antonij abbatis.) Cuius uitam s. Athanaſius græce ſcripſit, ſicut a Ruffino lib. 10. cap. 8. hiſt. eccl. a Socrate lib. 1. cap. 21. et ab ſancto Hieronymo traditum eſt. Latine illam reddidit Euagrius, Antiochiæ epiſcopus, ut teſtatum nobis idem s. Hieronymus facit, cum de Euagrio ſcribit. Eandem ab ſe Pammachij rogatu conuerſam ille ipſe fatetur in epiſtola, quam de optimo genere interpretandi ad illum miſit; ſed hanc extare non putamus: magnopere tamen illam Gelaſius pontifex in Concilio Romano probauit, cum omniq. ueneratione ſuſcepit. In illius porro operibus libri extant; unus de Paulo heremita, alter de Hilarione, tertius de Malcho; de s. Antonio nullus eſt: nec uero eiuſdem meminit libro de illuſt. uiris; quo loco libros, a ſe conſcriptos, recenſet. S. Antonij autem uita, ab Euagrio ſumpta, extat apud Surium tom. 1. De eodem præterea Caſſiodorus ſcribit lib. 1. cap. 11. s. Auguſtinus lib. confeſ. 8. et in præf. de doct. chriſt. Theodoritus lib. 4. cap. 27. Chryſoſtomus hom. 8. in Matth. Sozomenus lib. 1. cap. 13. Ruffinus lib. 10. cap. 8. et lib. 11. cap. 13. hiſt. eccl. De illius etiam ſeptem epiſtolis, ægyptiace ſcriptis, græceq. conuerſis, teſtatum ſit ab s. Hieronymo, in lib. de eccl. ſcript. In Græcia etiam hoc ipſo die illius celebritas agitur.

Apud Lingonas.) Qui populi Galliæ Belgicæ, uulgo Langres, ab ineunte prope chriſtiana religione, Senatorem, uirum Apoſtolicum, habuerunt, a quo in fidei doctrina primum inſtructi ſunt. Eorum ciuitas epiſcopalis eſt, iure metropolitano, ſubiecta Archiepiſcopo Lugdunenſi: habuitq. epiſcopos, circiter octoginta nouem.

Ss. Ter-

Ss. Tergeminorum.) Sic in antiquo codice ſcribitur: ſicut etiam rectius dici aſſeueramus: Tergeminos naſci certum eſt; inquit Plinius. Sed paſſim in martyrologijs tum ſcriptis, tum impreſſis legitur, Geminorum: Quos Ado, Vſuardus, Beda, hoc die commemorant. Eorum uitam, a Turbone primum, et Neone, notariis, qui martyrij ſpectatores fuerant, accurate conſcriptam, ad Cerannium, Pariſiorum epiſcopum, Euariharius olim miſit: quam hodie ſane legimus apud Surium tom. I. Eſt tamen aſperſa, ut idem notat, aliquot mendis.

Aureliano Imperatore.) Ita ſcriptum extat in omni codice ſcripto, et impreſſo: at Surius emendat, Aurelio Imperatore: nos tamen hoc in genere nihil temere affirmamus.

Inuentio ſanctorum martyrum, Diodori presbyteri, et ſociorum.) Quæ diuino admonitu facta eſt, anno Domini DCCCLXXXVI. Stephano VI. pont. et Carolo Craſſo Imp. Huius inuentionis narrationem, e uetuſtis uoluminibus, manu exaratis, ſumptam, Surius retulit in tomum I. de ſanctis. Ex ſanctorum corporum autem inuentione perſpicuum nobis fit, quàm diligens, et religioſa in illis ſepeliendis, et recondendis cura olim a fidelibus adhibita ſit. Seduloq. propterea beatus Cyprianus illud Clerum Carthaginienſem hortatur, ut corporibus omnium martyrum ſcilicet, et confeſſorum item, qui etſi torti non ſunt in carcere, tamen glorioſo exitu mortis excedunt, impertiatur, et uigilantia, et cura propenſior. Idq. ipſum cernere licet apud Lucianum presbyterum lib. de inuentione reliquiàrum beatiſſimi Stephani protomartyris: quas, Oroſio presbytero traditas, in Africam Auitus presbyter miſit. Smyrnenſes, cum beati Polycarpi corpus ab infidelibus exuſtum eſſet, ut ne a chriſtianis conditum, uenerationi unquam eſſet, illius oſſa, iam ambuſta, precioſiſſimis gemmis cariora, collegerunt religioſe, ac de more pie recondiderunt; ut ex epiſtola, quæ apud Euſebium extat, cognoſcimus. Condebantur enim ſanctorum ſacræ reliquiæ, pretioſo quodam opertæ uelamine, uaſculis etiam aureis nonnunquam incluſæ; id quod animaduerti poteſt ex libro s. Hieronymi contra Vigilantium.

Bituricis.) Aliàs Biturigis. Hi populi Aquitaniæ fortiſſimi, qui a Paulo Aemilio Ambarri uocantur, alij Cubi, uulgo Bourges an Bersy, alij Vbiſci, ſeu Vibiſci, Gallice Borde d'eaues, iam uſque ab Apoſtolorum ætate, Chriſtianæ fidei inſtituti ſunt, ab ſanctiſsimis uiris, Martiale, Aprodiſio, beatiſsimi Petri, Apoſtolorum Principis, diſcipulis, et a s. Vrſino, quem Nathanaelem plerique putant. Eſt Biturigum ciuitas, Archiepiſcopalis: cui paret Metropolitano iure epiſcopus Aruernorum, epiſcopus s. Flori, epiſcopus Lemonicenſium, epiſcopus Ruthenenſium, epiſcopus Caduricenſium. Habuit, ab Martialis primi epiſcopi ætate, uſque ad hæc tempora, Archiepiſcopos, circiter centum: e quibus multi in ſanctorum numero adſcripti ſunt, ut, s. Martialis, s. Aprodiſius, s Vrſinus, s. Seuicianus, s. Etherius, s. Viator, s. Palladius II. s. Archadius, s. Deſideratus, s. Sulpitius I. s. Apollinaris, s. Auſtregiſilus, s. Stephanus, s. Radulphus, s. Gulielmus, s. Giraldus, s. Philippus, s. Rougerius. Qui omnes numero ſunt XIIX.

S. Sulpitij pij.) Primi ſcilicet: qui in concilio Matiſconenſi II. præſens adfuit. Fuit enim Sulpitius Seuerius II. Archiepiſcopus Bituricenſis: cuius uita a Giſelino perbelle contexta eſt, initio eius operum. Illius autem Primi uita eſt apud Surium tom. I.

S. Antonij monachi.) Gregorius, ſanctiſſimus pontifex, meminit lib. 4. dial. cap. 4.

S. Meruli monachi.) Idem, eodem libro, et cap. Fuit enim ſocius illius monachi Antonij.

Decimo

Decimò quintò calend. Febr.

Romæ, cathedra s. Petri.) In omni martyrologio antiquo. Hic dies olim Romæ perpetuo celebratus, ſicut in Hiſpania, Galliaq. retinebatur, ita in urbe intermiſſus, Pauli Quarti ſanctione reſtitutus eſt: cuius ſanctionis exemplar extat in libris conciſtorialibus. Is eſt dies, quo ille, ex Agrippæ uinculis diuinitus liberatus, Romam uenit, anno ſcilicet decimo poſt paſſionem CHRISTI Domini: qui fuit annus ſecundus Imperij Claudij Cæſaris, ut omnes plane ſentiunt. Paulusq. Oroſius lib. 7. cap. 4. aduentum s. Petri ad urbem, cauſam fuiſſe ſcribit, cur omnia ſalutaria Romæ acciderint. Quòd autem s. Petrus Romam uenit; id cum tam certum ſit, quàm quod certiſſimum; omniumq. non latinis ſolum, ſed græcis, arabijs, ægyptiacis, et armenijs litteris memoriæ proditum, ac perpetuo firmatum omnium gentium conſenſu: nihilominus tamen ad retundendam filiorum perditionis audaciam, a pleriſque grauiſſimis uiris, et a Gregorio Corteſio in primis, S. R. E. Cardinale, uiro religioſo, homineq. doctiſſimo aperte demonſtratum hoc ipſum eſt, non modò teſtimonio Philonis Alexandrini, Hebræi, qui Petrum Apoſtolum Romæ uidit, ſed præclara luculentaq. patrum conteſtatione, Caij, antiquiſſimi ſcriptoris, qui item in urbe Apoſtolorum trophæa aſpexit; Papiæ Hieropolitani, Dionyſij Corinthij, Irenæi Lugdunenſis, Clementis Alexandrini, Tertulliani Afri, s. Cypriani Carthaginenſis, Arnobij, Lactantij Firmiani, Euſebij Cæſarienſis, s. Hieronymi, Rufini Aquilegienſis, Optati Mileuitani, Egeſippi, Epiphanij, s. Auguſtini, s. Leonis, s. Ambroſij, s. Ioannis Chriſoſtomi, et aliorum pene innumerabilium: in quibus etiam ſunt ſacroſanctæ antiquorum pontificum litteræ, auguſtiſſima Imperatorum diplomata, et conſentientes frequentium populorum, Romam aliquando peregrinantium, uoluntates, ſcriptorum monimentis conſignatæ. De feſto die, et officio huius Cathedræ Ioannes Belethus ſcribit lib. de diu. off. cap. 83.

Translatio, s. Ignatij.) Anno ſcilicet ſequenti poſt eius martyrium, ut paſſionis illius litteris memoriæ proditum eſt.

S. Priſcæ.) De cuius martyrio liber eſt, a S. R. E. Notarijs conſcriptus. Eiuſdem hocdie, Ado, Beda, Vſuardus, et reliqui martyrologiorum ſcriptores, meminerunt. De huius præterea uirginis, et martyris officio, s. Gregorius in lib. Sacramentorum, et Antiphonario. Titulus, porrò ſanctæ Priſcæ, Cardinali presbytero olim perpetuò attributus, unus eſt ex illis XXIIX. antiquis. Martyrium uirginis huius, nobile ſane quidem, extitit, Aſiatico, et Cornelio coſſ. anno ſcilicet Domini XLVII. quo anno, Dei genitrix, beatiſſima uirgo Maria in cælum aſſumpta, traditur.

Athenis.) De quibus infra alio loco.

S. Publij.) De quo ſcriptum eſt ab Dionyſio corinthio in ep. ad Athenienſes, ab Euſebio lib. 4. cap. 23. hiſt. eccl. Nicephoro, Beda, Adone, Vſuardo, et ab Aequilino in catal. ſanctorum.

In ponto.) Regione Aſiæ minoris: in qua primum beatus Petrus Apoſtolus euangelium diſſeminauit: et Synodus, quæ Pontica nominatur, anno Chriſti CXCVII. de Paſchæ celebritate habetur: cui synodo Palmas epiſcopus præfuit. Euſ. lib. 5. cap. 23. hiſt. eccl. Niceph. lib. 4. cap. 36. Inde prodijt uir mirificus. Gregorius ponticus.

Ss. Moſei, et Ammonij.) Vſuardus, Beda, Ado, et martirol. M. S.

Cæſareæ in Paleſtina.) Eſt enim altera in Cappadocia, ante Maſaca, ſeu Mazaca

zaca uocitata, tertia item Philippi, a Philippo Herodis filio, in honorem Cæſaris ad radices montis Libani ædificata. Hæc uero paleſtinæ urbs eſt, in qua Herodes, Cæſari Auguſto magnificam domum marmore extruxit: ubi Herodes nepos, a uermibus conſumptus, miſere interijt. In ea item s. Petrus Apoſtolus Cornelium centurionem baptizauit: Agabus propheta, Zona Pauli ligatus eſt: Philippus diaconus prædicauit: Priſcus, Malchus, Alexander, martyrium ſubierunt; Aſterius ſenator, martyr item extitit Galieno Imp. tum Pamphilus, Maximiano Imp. ac infinita denique multitudo martyrum Cæſarienſium: quos ſuis locis commemorabimus. Synodus præterea, quæ Cæſarienſis dicitur, de Paſcha celebrando, habita anno Domini CXCVIII. cui Theophilus, Narciſus Hieroſolymæ, Clarus Ptolemaidis, Caſſius Tyri epiſcopus, et alij illius prouinciæ epiſcopi interfuere. Eſt enim Cæſarea Metropolis, et illa quidem prima, patriarchatui Hieroſolymitano ſubiecta: quæ epiſcopos, Metropolitano iuri ditioniq. obtemperantes habuit XIX. Fuit item Academia Cæſarienſis omnium nobiliſſima: in qua Origenes primum ſacras litteras publice docuit: indeq. prodierunt magni uiri, Gregorius ponticus, Theodorus, et Athenodorus, fratres, quibus præclarum teſtimonium Nicephorus dat lib. 5. cap. 20. Bibliotecha item Cæſarienſis, a Iulio Africano primum inſtituta, tum a Pamphilo martyre, deinde ab Euſebio Cæſarienſi mirandum in modum ſacris codicibus aucta, omnium celeberrima extitit: quæ aliquando collapſa, cum ab Eſcicio, Gregorij Nazianzeni diſcipulo, tum ab Euzoio, huius ciuitatis epiſcopo, reſtituta eſt. Ex ea s. Hieronymus multa accepit ad ſacrorum Bibliorum emendationem. Atque hæc quidem ſatis de Cæſarea Paleſtinæ: de ceteris ſuo loco.

ss. Priſci, Malchi.) Alias, Marci: ſed, Malchi, legimus, auctoritate codicis græci Euſebij: qui horum nobile martyrium exponit lib. 6. cap. 11.

s. Peuſepij, & ſociorum.) Boninus Mombricius in uolum. 2. de uitis ſanctorum.

Turone.) Hæc urbs Galliæ, ad ligerim fluuium ſita, gallice Tourengois, Metropolis eſt: cuius ſuffraganei epiſcopi omnes fere in Gallia celtica ſunt, numero ſcilicet XI. ut pote Cenomanenſis, Andegauenſis, Redonenſis, Nannectenſis, Venetenſis, Briocenſis, Dolenſis, Coriſopitenſis, Maclouienſis, Leonenſis, Trecorenſis. Iam porrò, Turonenſium ciuitas, quo tempore Decius perſecutionis turbulentæ procellas contra eccleſiam Dei commouit, Gratianum epiſcopum habuit: a quo primum fidei ſacris imbuta eſt. Huic in epiſcopatum ſucceſſit s. Licerius: deinde s. Martinus; tum s. Britius; poſt s. Euſtochius; et alij deinceps ſancti, ut s. Perpetuus, s. Voluſianus, s. Euſtochius, s. Euphonius, s. Gregorius; et alij, quorum uel in uita ſanctitas, uel in epiſcopatu gerendo pietas, uel in concilijs partim Turonenſibus, partim Veneticis, partim Turonenſibus, quibus præfuerunt, aut interfuerunt, doctrina, cum grauiſſimis moribus coniuncta, eluxit. Concilia autem, Turone habita, his temporibus duo tantum extant, unum Hilario pontifice, alterum Pelagio Primo, pont.

s. Voluſiani.) Gregorius Turon. lib. 10. Hiſt. cap. 31.

s. Deicolæ.) In catalogo ſanct. lib. 2. cap. 98. et in Mart. Mſ.

s. Leobardi.) Gr. Tur. item lib. de uitis patrum: et Surius tom. 1. de ſanctis.

s. Liberatæ, et Fauſtinæ.) Ex Breuiario eccleſiæ Aquileienſis, et Nouocomēſis.

Translatio s. Luciæ.) Ex urbe Conſtantinopoli Venetias, anno Chriſti Domini M. XL.

In Græcia hoc die agitur celebritas ſanctorum, Athanaſij, et Cyrilli: ut ſcriptum eſt in Menologio, et Horologio, ac apud Nicephorum in ſynopſi.

Decimo quarto cal. Februarij.

Via Cornelia.) Quæ, inter Aureliam, et Triumphalem interiecta fuiſſe uidetur: ut coniecturam facit illa inſcriptio Tiburtina; Curatori uiarum, Aureliæ, Corneliæ, Triumphalis.

ss. Marij, et Marthæ.) Quorum res, in martyrio geſtæ, ab S. R. E. notarijs conſignatæ litteris ſunt. Tu uero uide ſurium tomo 1. in uita s. Valentini ep. et mar. Eorum ſane martyrium Beda adſcribit in die ſequenti, nempè XIII. calendas Feb. at in omnibus Martyrologijs hoc ipſo die illud exponitur, et in Martyrologio præſertim Cremonenſi: cui ob antiquitatem cum in omni martyrio commemorando multum tribuimus, tum in hoc, quod Cremonæ potiſſimum colitur.

Fuſtibus debilitati.) Fuſtium pœna afficiebantur liberi; ſerui autem flagellis; ut animaduertimus ex reſponſo Macri iuriſconſulti, l. x. ff. de pœn. Erant autem fuſtes, faſces bacillorum: cuiuſmodi in libera ciuitate, magiſtratibus præferebantur. Hæc uero pœna aliquando capitalis fuit, ut in decimatione militum: ad quam pertinere uidentur illa Saluſtij uerba: ſorte ductos fuſti necat. Fuſtibus debilitati, fuſtibus cæſi, fuſtibus exhibiti martyres leguntur, ut Romanus martyr fuſtibus exhibitus, v. Idus Aug.

Smyrnæ.) De qua dabitur alius ſcribendi locus.

s. Germanici.) Cuius martyrium enucleate perſcribitur in Martyrologio Cremonenſi, et in Hiſt. eccl. Euſebij, lib. 4. cap. 14. Nicephori lib. 3. cap. 34.

In Africa, ss. martyrum Pauli, Gerontij, et reliquorum.) Beda hoc ipſo die.

s. Blandinæ.) Euſeb lib. 5. cap. 1. Nicephorus lib. 4. cap. 17. Hiſt. eccl. qui Blandillam nominat. Eius autem diem Natalem Vſuardus non huic dici, ſed quarto nonas Iunij aſcribit; nos uero in hunc Martyrologij diem retulimus, doctiſſimi uiri auctoritate adducti. Eſt porrò de s. Blandina Lugdunenſi homilia, ab Euſebio Emiſſeno ſcripta: quæ in libro homiliarum eius extat.

Laude.) In Italia tranſpadana: nam Laus, urbs etiam eſt Licaoniæ, a Lao fluuio nominata: hæc uero Italiæ, Laus Pompeia, a Pompeio, patre Pompeij Magni, uocatur, uulgo Lodi. Fidei Chriſtianæ doctrinam iam uſque ab initio ferè prædicationis euangelicæ ſuſcepiſſe traditur: quod ſane ex eo conſtare poteſt, quòd Sabina Laudenſis, religioſa matrona, in Maximiani, Diocletianiq. perſecutionibus grauiſſimis, exempla præſtitit chriſtianæ pietatis cum in multis, tum in eò, quòd corpora ſanctorum, Naboris, et Felicis, qui in ea urbe martyrium ſubierunt, Mediolanum tranſtulit. Iam diu eſt, quòd hæc ciuitas epiſcopalis, Archiepiſcopi Mediolanenſis ditioni paret: idq. potiſſimum cognoſcimus ex epiſtola Synodali, Euſebij Archiepiſcopi ad Leonem I. pont. ſcripta: cui, Cyriacus Laudenſis epiſcopus, ut ceteri, Metropolitano eccleſiæ Mediolanenſis iuri ſubiecti, manu ſua ſubſcripſit: quam ſubſcriptionem leginus in epiſtolis illius pontificis. Habuit epiſcopos, doctrina, et ſanctitate claros: in quibus s. Baſſianus præcipue eſt, cuius dies Natalis hoc die agitur: Cyriacus item, Donatus præterea, qui, Agathone pontifice, interfuit, et ſubſcripſit Conſtantinopolitanæ Oecumenicæ Synodo VI. De alijs in libro ſcribimus, quem de epiſcopis uniuerſis conteximus.

s. Baſſiani.) Ex calendario eccleſiæ Laudenſis; ex monimentis, et calendario item eccleſiæ Mediolanenſis, ex Martyrologio Cremonenſi. Hunc alij Baſilianum appellant, ex ſubſcriptione quadam, quæ illius extat in concilio Aquileienſi; ſed Baſſianum uere nominari, oſtendunt omnia antiquitatis impreſſa ueſtigia: Fuit is, Vrſi archiepiſcopi Rauennæ affinis, s. Ambroſij æqualis, et familiaris; ut animaduer-

animaduertimus ex epiſt. ad Syricium pont. ſcripta, cui hic, et inſcripſit et ſubſcripſit. Eiuſdē mentio extat, et in illo concilio Aquileienſi, et in ea epiſtola LXXXI. apud s. Ambroſium, et in uita, eiuſdem s. Ambroſij, quam Paulinus ſcripſit; et in libro peruetéri eccleſiæ Ambroſianæ. Illius uitam, ac res admirabiliter geſtas, nuper litteris mandauit Hieronymus Rubeus in uolumine hiſtoriarum, quod de urbe Rauenna ornate confecit; ut multo ante Mombritius, qui è libro excepit, ab illius ſancti diſcipulis olim conſcripto.

s. Malardi epiſcopi.) Ex Martyrologio, manu ſcripto, ex concilio Cabilonenſi, cui interfuit; et ex Calendario eccleſiæ Carnotenſis. De eo aliqua ſcribit Beluacenſis lib. 21. cap. 84. in Sp. Hiſt. et mentio fit in uita S. Launomari.

In Pago Dorcaſſino.) In monaſterio Corbionis: quod eſt, ut coniicimus ex hiſtoria uitæ, in Carnotenſi agro.

s. Launomarci.) Sic liber, manu exaratus, habet: ſed, Launomarci, Surius legit: qui ſancti huius uitam, ab illius æquali primum litteris traditam, ſplendidius ab ſe conſcriptam, retulit in uolumen 1. de ſanctorum uitis. Eiuſdem meminit Beluacenſis lib. 21. cap. 83. et 84.

s. Niceti epiſcopi.) Ex ſcripto codice; quem ſecuti ſumus: Sed, quarto nonas Aprilis de eo pluribus ſcribemus.

Vigorniæ.) Quæ urbs, olim Viroconium, nunc Vigornia, uulgo Anglice Vorcettet, nominatur: et epiſcopalis eſt, Cantuarienſi Archiepiſcopatui ſubiecta: eiuſq; diœceſis continetur finibus Gloceſtrenſis, Vigornienſis conuentus, ſeu Comitatus, et parte Varuicenſis. Primus huic ciuitati epiſcopus, Edegari regis beneficio, Oſualdus monachus, a Ioanne XII. pont. max. præficitur. De reliquis epiſcopis dicemus alias in libro noſtro.

s. Volſtani.) Alias, Vulſtani: qui tertius Vigorniæ epiſcopus, doctrinæ etiam Laude floruit Anno Domini M. LX. Eius uita à Branonio monacho primum ſcripta, multis locis a Polydoro Virgilio in hiſtoria Angliæ ornate explicata eſt: quæ etiam extat apud Surium tom. 1. de ſanctis.

Vſpali.) In Suetia, uel, ut alijs placet, Sueonia: quæ regio ſeptentrionalis, Beronio rege, Carolo M. Imp. et Ludouico AA. primum s. Auſgarij monachi pietate ſingulari, piaq. induſtria ad Chriſti fidem tranſijt; Deinde Ericho Stenchillo principe, poſtremò, s. Olao rege, qui primus illius prouinciæ rex Chriſtianus ſcribitur, Othone I. Imp. Martino. III. pont. Max. ad Chriſtianæ religionis inſtituta confirmatur, Anno ſcilicet Domini DCCCCXXXIIX.

s. Henrici.) De quo ſcribit, Olaus M. lib. 19. cap. 3. Hiſt. Goth.

Brixiæ, Inuentio ss. Martyrum Peregrini, Siluani, et aliorum.) Quæ inuentio fuit anno Domini M. D. XXIX. ut ſcriptum eſt in annalibus Brixiæ urbis.

Agitur in Græcia hodie Natalis dies s. Macharij Aegyptij: de quo mox ſcripſimus XVIII. calendas Feb.

Decimo tertio cal. Februarij.

s. Fabiani Papæ, et martyris.) Hunc Græci, Georgius præſertim Cedrenus, alijq. Flauianum nominant; Latini Fabianum, et s. Cyprianus in primis, ep. 4. et 21. lib. 3. De cuius pontificis nobili martyrio Clerus Romanus Clementio Subdiacono ad eundem Cyprianum litteras dedit; quæ in illius libris extant. Eiuſdem meminit Euſebius lib. 6. cap. 22. 27. et 31. hiſt. eccl. Rufinus, 21. 25. 29. Niceph. lib. 5. cap. 26. et in Chronicis, Cedremus item, ac Theophanes, Damaſus, Anaſtaſius Bibliothecarius, qui aliquid de hoc pontifice præcipuum ſcribit, s. Hieronymus

ronymus lib. de uir. ill. cap. 64. et in ep. ad Pam. et Oceanũ, Haimo Alberſtatenſis, Martinus Polonus, Albertus Crantzius, Otho Frigigenſis, Gotfridus Viterbienſis, Beda, Ado, Vſuardus, Caniſius in Martyrologio, et ceteri multi; noſq. diligentius libro Notationum in Platinam.

De feſto die ss. Fabiani, et Sebaſtiani martyrum decretum eſt Concilio Colonienſi, ut Radulphus Tungrenſis ſcribit lib. de can. obſer. prop. 17. Durantius lib. 7. cap. 101. et 102. Belethus uero nihil. De huius diei diuinis officijs, s. Hieronymus in Lectionario, et s. Gregorius in libro Sacramentorum, qui Miſſalis hodie dicitur: de utroque item ſimul præfatio extat, in illis antiquis, quæ partim Golaſianæ, partim Ambroſianæ putantur. Fit de ijs duplex, Breuiarij Romani auctoritate, et Gregorij VII. pontificis conſtitutione, de pontificibus martyribus edita, cuius in Micrologo mentio eſt. Solemne item fit in eccleſia Ambroſiana, cum ex illius uſu, tum ex Archiepiſcopi, Franciſci Pizolpaſſij, decreto, multis abhinc annis promulgato. Græci feſtum diem s. Sebaſtiani, et ſociorum agunt XV. cal. Ian.

In beatorum martyrum.) Vſitata s. Cypriano elogia martyrum hæc ſunt, Beati, Beatiſſimi, Fortiſſimi, Fideliſſimi: quæ nomina in antiquis Martyrologij monimentis, etiam frequentia ſunt. Tertullianus autem crebrius nuncupat, benedictos martyres. Nos uero in his nominibus retinendis eiuſdem Cypriani, fortiſſimi martyris, uſum ſecuti ſumus.

Corporibus humandis pie occupatus.) Quo ex loco intelligimus, presbyteros, qui titulum Romæ obtinerent, in ſepelliendis ſanctorum corporibus, ſtudio pietatis olim uerſatos eſſe: immo uero pontifices, Romanos id præſtitiſſe accepimus, et Eutychianũ in primis: qui trecentos, et quatraginta duos martyres manu ſua ſepeliuit. Beatiſſimi Marcellini pontificis, et martyris corpus Marcellus pontifex, ſepulturæ tradidit: itidemq. de pleriſque alijs pontificibus memoriæ proditum eſt. Porrò quàm diligens cura in eo pietatis officio adhibita olim ſit, apparet, ut ſupra narrauimus, cum ex beati Cypriani martyris epiſtolis, tum ex annalibus martyrum. Aſterius ciuis Romanus, ut ab Euſebio ſcriptum eſt, Marinum, Cæſareæ in Palæſtina, fidei cauſa, ſecuri percuſſum, ſplendida, et pretioſa obtegit ueſte; atque humeris impoſitum, decenti ſepulcro condidit. Iuſtinus presbyter, Hippolytum, Concordiam, Irenæum, Abundium, et Cyrillam, filiam Decij Cæſaris, alioſq. quàm plurimos, manibus ſuis ſepeliuit. Sed res in promptu eſt; neque eget longiori diſputatione. Mortuos autem ſepeliendi officium Clericos quos Copiatas Græci uocant, iam obijſſe, ex Epiphanij epitome, quæ eſt de doctrina catholica, animaduertimus.

In cœmiterio.) Eſt utique cœmiterium, ut Vualfridus explicat lib. 6. de eccl. reb. dormitorium mortuorum: qui ideo ab Eccleſia, et ab S. Paulo Apoſtolo dormientes dicuntur, quia eos reſurrecturos eſſe credimus: appellatum eſt autem, a κοιμάω nempe dormio. Et quoniam in cœmeterij ſermonem incidimus; res eſt, quæ Martyrologij ſcriptione digna, religioſumq. uſum, ac perantiquum præ ſe ferens, enucleate perſcribatur. Porrò apud Cretenſes publicæ ædes erant, quibus hoſpitio peregrini excipiebantur: hæq. cœmeteria nominabantur, inquit Athenæus. Maiores uero noſtri loca, fidelium ſepulturæ dicata, cœmiteria appellarunt: hæcq. ſacra, ab illis diſtincta, quæ ſepulcra prophana s. Cyprianus uocat, in ep. 68. Atqui ab initio naſcentis eccleſiæ, extrui illa cæpiſſe, cùm ex ijs intelligemus, quæ mox infra narrabuntur, tum ex parte ultima libri cæl. hier. in qua s. Dionyſius diſertis uerbis ſcribit, honorato loco cum alijs eiuſdem ordinis corporibus recondi ſolere corpora mortuorum. Deinde beatus Clemens pontifex, frequentiſſimi ad cœmiteria conuentus meminit lib. 6. cap. 30. conſt. Ap. tum s. Cyprianus

cœmiterij mentionem facit, in quo beatiſſimus Xyſtus pontifex, et martyr pro Chriſti gloria necatus eſt, ac ſepultus. itaque cœmiteriorum ſubſtructiones antiquiſſimas eſſe apparet. Primo enim, in ipſis perſecutionum tempeſtatibus, non in urbe, ſed extra urbem, illa exædificari cœptum eſt; ante ſcilicet, quam Baſilicæ, templaq. extruerentur. quamobrem legimus, clerum, populumq. Chriſtianum in ijs ſacris locis anniuerſarios ſanctorum martyrum dies natales celebraſſe; ad ſacra conueniſſe; ſtationes, et uigilias certis hebdomadæ diebus egiſſe; epiſcopos Synodos habuiſſe; pœnitentiam publicam indixiſſe; Baptiſmum, et Sacramenta miniſtraſſe; immo uerò beatum Petrum, Apoſtolorum principem, in cœmiterio Oſtriano baptizaſſe; ac reliquos deinceps pontifices, multa in ijſdem egiſſe, quæ ad eccleſiam Dei, ſancte gerendam, pertinerent. quamobrem, imperatoribus, chriſtianæ fidei hoſtibus, commotis turbulentis perſecutionum procellis, nihil prius fuit, quam Chriſtianos cœmeteriorum conuentu, atque uſu prohibere: ut in Valeriani perſecutione, ab Aemiliano, Aegypti præſide, factitatum eſſe, eccleſiaſticis annalibus proditum eſt. Rurſus, ſi qui imperatores aliqua moderatione aduerſus Chriſtianos aliquando in oppugnatione uſi ſunt, eos cœmiteria reſtituiſſe legimus: id quod Galienum feciſſe, paulo ante narrauimus. At cum in urbe baſilicæ, templaq. eſſe cœperunt, cœmeteria etiam, quæ ijs proxima eſſent, in urbe extructa ſunt, ita ut hæc ab illis diſtincta eſſe cognoſcamus; licet contra nonnulli putent, qui perſpicue fallnntur. diuerſa enim cœmiteria ab templis, baſilicisq. olim extitiſſe apparet: ſi quidem, quæ baſilica fuit, hoc nomen amiſiſſe animaduertimus, extructo cœmiterio: ut una ex illis duabus, quas s. Marcus I. pontifex uia Ardeatina exædificauit, ubi illius rogatu Conſtantinus Cæſar cœmiterium faciundum curauit, non communi baſilicæ. ſed proprio cœmeterij nomine nuncupata eſt. Atqui in cœmiterijs cum ſummos pontifices, ut pote Liberium, alioſq. habitaſſe legimus, fabricas in ijs extructas eſſe opinamur: in quam opinionem nos ualde confirmat, s. Damaſus, qui fabricas in cœmeterijs multas, beatiſſimi pontificis, Fabiani iuſſo factas eſſe ſcribit. Quantam uero curam in illis, et augendis, et exornandis ubi ab fidei hoſtibus eccleſiam oppugnari deſitum eſt; ceteri deinceps pontifices, ut Inlius, Damaſus, Anaſtaſius, Ioannes III. alijq. poſuerint, nihil attinet pluribus ſcribere. Iam uero cœmiteria Romana, eaq. nobilia, tria et quatraginta numerantur, quæ magnam partem extra urbem ſunt; nempe cœmiterium oſtrianum uia Salaria ad tertium ab urbe lapidem; cœmeterium ad Nymphas ad octanum fere ab urbe lapidem uia Nomentana; cœmeterium uetus, quod deinde Calixti nomine appellatum eſt, uia Appia, ſecundo ab urbe lapide; cœmeterium uaticanum, uia triumphali in hortis Neronianis; cœmeterium s. Soteris papæ, et martyris, uia Appia; cœmeterium s. Zepherini papæ, et martyris, uia item Appia, prope catacumbas; cœmeterium s. Callepodij presbyteri et martyris uia Aurelia, tertio circiter ab urbe lapide; cœmeterium s. Prætextati presbyteri, uia Appia, primo ab urbe lapide; cœmeterium Lucinæ, uia Aurelia; cœmeterium Aproniani, uia Latina, non longe ab urbe; cœmeterium s. Felicis papæ et martyris, uia Aurelia, ad lapidem ab urbe ſecundum; cœmeterium Priſcillæ, uia Salaria, lapide ab urbe tertio; cœmeterium s. Nicomedis presbyteri et martyris uia Ardentina, lapide ab urbe ſeptimo; cœmeterium ss. Nerei, et Archillei martyrum, uia Ardeatina, ad lapidem ab urbe ſecundum; cœmeterium s. Agnetis uia Nomentana; cœmeterium s. Felicitatis, uia Salaria; cœmeterium ss. Felicis, et Adaucti, martyrum, uia Oſtienſi; cœmeterium ss. Petri, et Marcellini, martyrum, uia Lauicana; cœmeterium ss. Marci, et Marcelliani, martyrum, uia Ardeatina; cœmeterium s. Cyriaci, uia Oſtienſi; cœmeterium cardianum, uia Latina; cœmeterium s. Agathæ, uia Aurelia; cœmeterium s. Iulij papæ, uia Flaminia; cœmeterium eiuſdem

alte-

alterum, uia Portuenſi; cœmeterium illius item, tertium, uia Aurelia; cœmeterium s. Timothei presbyteri, uia Oſtienſi; cœmeterium Nouellæ, uia Salaria, milliario ab urbe tertio; cœmeterium cyriacæ, in agro Veranio; cœmeterium Balbinæ, inter Appiam, et Ardeatinam uiam, ſitum, cœmeterium Vrſi, ad porteſam; cœmeterium s. Pontiani papæ, et martyris; cœmeterium s. Damaſi, inter uias, Ardeatinam, et Appiam, extructum; cœmeterium, ss. Hermetis, et Domitillæ, martyrum; cœmeterium Iordanis; cœmeterium ss. Tybartij, et Valeriani martyrum; cœmeterium ad Cliuum Cucumeris; cœmeterium inter duas Lauros, ad s. Helenam; cœmeterium s. Thraſonis, ad s. Saturninum; cœmeterium ss. Quarti et Quinti; cœmeterium ss. Simplicij, et Seruiliani; cœmeterium s. Petronillæ; cœmeterium ss. Ianuarij, Vrbani, et Maximi, martyrum; cœmeterium s. Auaſtaſij papæ, intra urbem in regione quinta Eſquilina ad urſum pileatum. Atque hæc quidem cœmeteria Romana ſunt. In Africa etiam illa fuerunt, ut e s. Auguſtino cognoſci licet, et ab Optato Mileuitano: qui catholicorum cœmeteria; ab Donatiſtis occupata eſſe conqueritur, lib. 6. contra Darm. Antiochiæ item cœmeterium Euagrius meminit, ad quod beati martyris Ignatij reliquias datas eſſe ſcribit. Alexandriæ præterea in Aegypto idem teſtatur s. Athanaſius. In omni Gallia Greg. Tur. in omni denique prouincia chriſtiana, cœmeteria, et illa quidem extra urbem poſita eſſe, s. Ioannes Chryſoſtomus ſcribit, lib. de fide. Eaq. partim ciuium, partim peregrinorum fuerunt, ut e Turonenſi Gregorio animaduerti licet.

In cœmeterio Calixti.) Cuius s. Cyprianus meminit lib. 5. ep. 9. Beda lib. de rat. temp. et in Martyrologio, VIII. idus Auguſti, Anaſtaſius Bibliothecarius in uita Leonis Magni, pont. Damaſus in uita Calixti. Id cœmeterium uetus appellatum eſt, quod Calixti nomen accepit, ab eo auctum. Eſt uero ſitum, uia Appia, altero ab urbe Lapide, ſub baſilica s. Sebaſtiani. Corpora, in eo recondita ſunt, ſanctorum martyrum, et primo, pontificum Romanorum, Aniceti, Soteris, Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelij, Lucij, Stephani, Xyſti II. Dionyſij, Eutychiani, Caij, Euſebij, et Miltiadis, tum ſanctorum, Sebaſtiani, Cæciliæ, Tertullini presbyteri, Nemeſij diaconi, Lucillæ, et aliorum plurimorum martyrum: quorum nomina, Xyſtus III. platonia conſtructa, ibi ſigillatim ſcripſit. De catacumbis, hoc loco ſubſtructis, mox infra dicemus.

In uia Appia.) Multis nobilitata cœmeterijs, quæ ſupra narrauimus: Hæc uia, omnium maxima, ab auctoris nomine Appia, ab gentis Claudia, ab Imperatoris, qui reſtituit, Traiana appellata eſt. A porta Capena, uel potius a Septizonio, ad urbem Capuam, aut, Brunduſium uſque, ut Tacitus ſcribit, ab Appio cenſore munita, prope Romam deflectens, inter Tuſculum, et Albam, per montes deducit Aritiam, Algidum, Pictas, Pandochiam: hinc ad maritima peruenit Taracinam, Formias, Minturnas, Sinueſſam; indeq Capuam, Sidicinum, Callateriam, Calydium, Beneuentum, ac Brunduſium: longe patet circiter trecenta, et triginta milliaria. quamobrem ſcite ille dixit; Appia longarũ teritur regina uiarũ.

Vrbis regiones diaconis ſeptem.) Erant autem urbis regiones XIIII. ut antiquus lapis Capitolinus demonſtrat, inſcriptus his uerbis, Magiſtri uicorum urbis regionum XII.II. itaque regionibus duabus ſinguli diaconi præerant, cum hi ſeptem duntaxat, quorum primus, archidiaconus dicebatur; et ceteri diaconi cardinales regionarij, nempe diaconi huius, aut illius regionis, ut pote primæ, ſextæ, decimæ, uel duodecimæ, uocabantur. Quod omne ex ſubſcriptione, antiqua, quæ in Gelaſij primi pont. litteris apparet, facile cognoſcimus. Illa uero eiuſmodi eſt.

Cyprianus, S. R. E. Archidiaconus, et in regione tertia diaconus Cardinalis, et decima.

Anaſta-

Anaſtaſius, Diaconus Cardinalis in regione quarta, et undecima.
Tarrenſis, Diaconus Cardinalis in regione prima, et octaua.
Citonatus, Diaconus Cardinalis in regione quinta, et duodecima.
Tertullius, Diaconus Cardinalis in regione ſexta, et tertiadecima.
Ioannes, Diaconus Cardinalis in regione ſecunda, et nona.
Cœlius Ioannes, Diaconus Cardinalis, in regione ſeptima, et decima quarta.

Hic ſeptem diaconorũ numerus diu permanſit, ut animaduerti licet ex Maximo Græco, non antiquo admodum ſcriptore: qui in ſcholijs, in Dionyſium Areopagitam a ſe conſcriptis, cap. 3. eccl. hier. teſtatum facit, ſeptem ſolùm diaconos, Romæ miniſtrare ſolitos eſſe; eoſq. ab Dionyſio appellari ἐκκρίτους nempe eximios, et primarios diaconos: quos diaconos Cardinales nominari animaduertimus ex actis Concilij Romani, Silueſtro I. pontifice celebrati. At uero multis poſt annis, alij ſeptem diaconi additi ſunt, ita ut, quot urbis regiones erant, totidem diaconi regionarij eſſent, quattuordecim ſcilicet. Hi autem cum ſatis non eſſent, aucta Sanctæ Eccleſiæ Romanæ maieſtate, plures in unaquaque regione eſſe cœperunt. Dignior uero, et antiquior illis diaconus, a pontifice Romano electus, diaconus Cardinalis uocatus eſt. Itaque ut diaconorum, quorum iam numerus in urbe auctus admodum erat, diſtinctio eſſet, ij quattuordecim regionarij, diaconi Cardinales nuncupati ſunt. Iis porro quattuor alij, quingentis ante annis, additi ſunt: qui diaconi Cardinales Palatini ob eam cauſam nominati ſunt, quia in palatio pontificio aſſidue manerent; cum eorum munus eſſet, baſilicis, et Vaticanæ, et Lateranenſi, uel pontifici, in ijs ſacrum facienti, miniſtrare. Sicq. factum eſt, ut primò ſeptem, deinde quattuordecim, poſt, decem et octo diaconi Cardinales olim extiterint, quot item diaconiæ numerantur, quæ ſunt uidelicet.

I. Diaconia s. Mariæ in Dominica, ubi Archidiaconus manebat.
II. Diaconia s. Luciæ in circo, prope Septiſolium.
III. Diaconia s. Mariæ Nouæ.
IV. Diaconia ss. Coſmæ, et Damiani.
V. Diaconia s. Hadriani.
VI. Diaconia ss. Sergij, et Bacchi.
VII. Diaconia s. Theodori.
IIX. Diaconia s. Georgij in Velabro.
IX. Diaconia s. Mariæ in Coſmedin.
X. Diaconia s. Mariæ in Porticu.
XI. Diaconia s. Nicolai in Carcere Tulliano.
XII. Diaconia s. Angeli in Piſcina.
XIII. Diaconia s. Euſthatij ad pantheum.
XIV. Diaconia s. Mariæ, in Adquiro.
XV. Diaconia s. Mariæ, in uia Lata.
XVI. Diaconia s. Agathæ in Equo Marmoreo.
XVII. Diaconia s. Luciæ in Silice.
XIIX. Diaconia ss. Viti, et Modeſti in macello martyrum.

Atqui cum a regione ij nomen olim acceperint, poſtea a Diaconia, quam obtinebant, nominati ſunt, ut e ſubſcriptionum monumentis apparet; uerbi gratia Ionathas Romanus, Diaconus Cardinalis, ss. Coſmæ, et Damiani: Theodinus, Diaconus Cardinalis, s. Mariæ in porticu; et ſic alij ſinguli item qui aliquando, ut in libro ordinis Romani, patres Diaconiæ nominantur. Iamuero illum ſeptem Diaconorum numerum eccleſia Romana, omnium parens, et magiſtra, non a canone Neocæſarienſis concilij, ſed iam inde ab Apoſtolorum temporibus habuit. De quo diaconorum numero, et ordine ſacro, et miniſterio, et functione, Franciſcus

ciſcus Turrianus, pluribus diſſerit, cap. 22. et 23. in lib. de Hierarch. ordinationibus. Non enim in quauis urbe, uel exigua, ut illo concilio cautum eſt, eos ſeptem eſſe oportet; ſed totidem, quot pro amplitudine illius neceſſitas poſtularit: in quam ſententiam doctus ille uir interpretatur, et Fabiani, et Caij, et Euariſti, pontificum litteras, de ſeptem diaconis loquentes; tum Conſtitutionem Clementis, quæ extat in Apoſt. Conſt. cap. 19. Myſterij Chriſti diaconos, beatus martyr Ignatius uocat, hoc eſt miniſtros myſticæ menſæ, ſacrificij ſcilicet altaris: ideoq. in eccleſiaſticarum antiquitatum litteris aliquando dicuntur Diaconi Miſſales: utpote qui in Miſſis miniſtrant epiſcopis, et ſacerdotibus. Scriptum eſt item de diaconis teſtimonialibus; qui hoc nomen ab eo acceperunt, quia teſtes eſſent, et cuſtodes prædicantis epiſcopi; ut s. Euariſti ſanctione cautum eſt. Sed non eſt hic locus pluribus diſſerendi de ſacris eorum functionibus, quas aliàs exponemus.

Totidem Subdiaconos.) Nempe regionarios, de quibus ſcribit Pet. Vrbeuetanus, in uita Siluerij Papæ: in qua nominatur quidam, Ioannes ſubdiaconus primæ regionis.

A ſeptem notarijs.) Qui primum a beatiſſimo Clemente pont. et martyre, ad res martyrum conſcribendas inſtituti, ac per regiones diuiſi, antiquitus notarij regionarij nominabantur. Vtq. munus ſuum recte explerent, totidem regionarios ſubdiaconos, quorum munus eſſet martyrum acta conquirere, ad illos in eo munere ſubleuandos, s. Fabianus adiunxit. Reſtinctis autem perſecutionum facibus, ne ijs deeſſet ſcribendi argumentum, cum de martyribus, pace eccleſiæ data, ſcriptio nulla reliqua eſſet; Iulius I. pontifex id in illorum munere poſitum eſſe uoluit, ut notitia omnium eccleſiaſticorum monumentorum, quæ fidem facerent, per eos colligeretur, confectioq. ab ijſdem extaret cautionum, donationum, teſtamentorum, commutationum, omniumq. in eccleſia actorum: idq. præcipue munus eſſet illius, qui eorum primus, Primicerius notariorum dicebatur. Atque horum quidem regionalis diuiſio uſque ad Paſchalis II. et Vrbani III. pont. tempora Romæ permanſit. Hic enim ultimus certam mercedem ijs, in regiones diſtributis, conſtituit. Extant monimenta actorum, quæ litteris per hos conſignata, in S. R. E. codicibus antiquis, manu exaratis, leguntur: cuiuſmodi acta ſunt beatiſſimorum martyrum, Fabiani, Sebaſtiani, Marcelli, et innumerabilium: quorũ res geſtas Ado præſertim ab horũ notariorũ induſtria accepit. Fuit præterea eorundẽ officiũ, populo denunciare, quando, et ubi, pontifex, uel litanias agere, uel Miſſarũ ſolemnia, uel ſtationes indicere ſtatuiſſet. Verũ multiplicato deinceps notariorum numero, qui ex illis ſeptem fuerunt; ij protonotarij appellati ſunt: quorum non officij ſolum, ſed dignitatis gradus eiuſmodi eſſe cœpit, ut lineæ tunicæ candidæ uſus, qui proprius epiſcoporum eſt, tamquam inſigne dignitatis ijs quoque tributus ſit. Ac demum uſque eò dignitate, neſcio quo modo, iſti proceſſerunt, ut epiſcopis in omni fere actione publica præirent: id quod Pius II. in concilio Mantuano, optimo iure uetuit.

Epiſtolam ſcripſit ad epiſcopos Orientis de ſacro chriſmate.) Quæ ſecunda illius extat: ex qua perſpicuum fit, in omni cauſa difficili explicanda, Orientis epiſcopos ad pontificem Romanum confugiſſe.

Ad Hilarium alteram.) Datam XVII. calend. Nou. Africano, et Decio conſſ. Quæ tertia epiſtola eſt. Notandis autem temporibus illa conſulum ratio, licet ſublata olim fuerit edicto Domitiani: qui in poſterum a primo ſui principatus anno tempora conſignari uoluit; Romæ tamen, eo mortuo, non retenta eſt tamen, ut ex pontificum epiſtolis animaduertimus. Non negamus tamen, multis locis, ut pote in Græcia, per annos ducentos, et quadraginta octo, illius edictum ualuiſſe, ut ex Epiphanio cognoſcere poſſumus, qui et lib. 3. contra hæreſes, et in Anco-

rato, illius, ut uocant, æram adhibet. Quæ æra ubique ſublata eſt deinceps anno Domini, D XXXII. Idq plane didicimus ex commentarijs Bedæ, ita ſcribentis: Dionyſius Paſchales ſcribit circulos, incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis, D XXXII. qui eſt annus Diocletiani C C X L V I I I. poſt conſulatum Lampadij, et Oreſtis. Itaque ab hoc tempore deinceps illud in more poſitum eſt, ut ab Incarnatione Dominica anni ſupputarentur: non tamen Romæ propter uſitatam conſuetudinem, litterarum pontificalium uſu receptam; hoc non iampridem obſeruatum eſt. Nam in pontificijs reſcriptis, diplomatibus, et litteris, primus pontificum, annos ſui pontificatus, Paſchalis I I. cœpit adſcribere; cùm antea in illis, primò conſulum, deinde Imperatorum, tum indictiones adſcriberentur. Eugenio autem Quarto, pont. in ijs ipſis reſcriptis pontificalibus ſuadente Blondo Foroliuienſi, hæc annorum a Chriſti Domini Incarnatione ſupputatio ſcribi incepit notarij autem Romani a Natiuitate illos numerāt, ut antiqui in urbe moris eſt, perpetuo uſu comprobati, ſicut ex actis concilij Conſtantienſis, et litteris pontificus, iam uſque ab anno Domini M C C C. editis, animaduerti licet: in quibus anni uigilia Natiuitatis Chriſti Domini concluduntur; et poſtero Natiuitatis die incipiunt.

Peregrina iudicia uetuit.) Salua ſcilicet Apoſtolica auctoritate, ut iti dem epiſtola decretali I. Iginus pontifex, Apoſtolum ſecutus, ſanciuit: cuius ſanctionis cauſam, et rationem Turrianus grauiter exponit lib. 3. cap. 1. pro ep. pont.

Ei Origenes litteras miſit.) Vteſtatur s. Hier. in ep. ad Pam et Ocean.

Cum pontifici Romano fidei rationē reddi, et cet.) Eſt enim perpetua traditio, et illa quidem, ab Apoſtolicis uſque ducta temporibus, ut fidei doctrina cum pontifice Romano, per ſynodicas litteras, ad eum exaratas, conferatur: cuiuſmodi litteræ extant, a Sophronio, Hieroſolymæ patriarcha, ad Honorium pontificem; et a Nicephoro Conſtantinopolitano, ad Leonem I I I. pont. item exaratæ. Rurſuſq. illa erat ab traditione Apoſtolica profecta conſuetudo, ut pontifex Romanus, ubi primum creatus erat, ad fratres in fide confirmandos, fidem ſuam tamquam normam, eis mitteret. Sed hæc uberius Turrianus exponit lib. 2. cap. 4 pro ep. pont.

Sediſſet annos quattuordecim.) Alij, tredecim, alij quindecim, ſcribunt: nos s. Damaſum ſequimur, qui totidem annos, et menſes pontificatus, quot numerauimus, beato Fabiano adſcripſit.

Romæ ad Catacumbas.) Vel, ut pleriſque placet, Ad Catatumbas. Has s. Hieronymus, dum Romæ eſſet religioſe frequentabat, ut in commentarijs, quos in Ezechielem conſcripſit, ipſe cap. 4. narrat, ac locum præterea deſcribit his uerbis; Dum eſſem Romæ puer, et liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum ceteris eiuſdem ætatis, et propoſiti diebus Dominicis ſepulcra Apoſtolorum, et martyrum circuire, crebroq. cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defoſſæ, ex utraque parte ingredientium, per parietes habent corpora ſepultorum; et ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: Deſcendant in infernum uiuentes: et raro deſuper lumen admiſſum horrorem temperet tenebrarum, ut non tàm feneſtræ, quàm foramen dimiſſi luminis putes: rurſuſq. pedetentim acceditur, et cæca nocte circumdatis illud uirgilianum proponitur: Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent. Atque hæc quidem s. Hieronymus de Catatumbis: quarum, ut uetuſtiſſimi loci, Beda etiam meminit, to. 2. lib. de ſex. æt. mundi: et Gregorius Papa, lib. 3. ep. 30. ad Conſtantinam Auguſtam. Eo in loco recondita fuerunt corpora beatiſſimorum Apoſtolorum, Petri, et Pauli: indeq. ab s. Cornelio pont. poſt tranſlata, rogatu beatæ Lucinæ matronæ; ut rem totam s. Damaſus narrat.

s. Sebaſtiani martyris.) Cuius, et s. Fabiani dies feſtus multis ante s. Auguſtini ætatem annis in eccleſia celebratus eſt; ut ex lectionario beati Hieronymi, et ex ſermone item s. Auguſtini, quæ de eorum die Natali is, teſte Poſſidio, habuit, facile cognoſcimus. Huius egregij Chriſti martyris geſta, a S. R. E. notarijs conſcripta putantur: quorum exemplar perantiquum Romæ extat. Tu uero uide Surium, tom. 1. de uit. ſanct. et Metaphraſtem apud Lippomanum. Meminerunt eiuſdem Patres multi, s. Ambroſius in pſ. 118. ſer. 20. s. Auguſtinus, ut diximus, s. Gregorius, 1. dialogorum, cap. 10. Beda, Ado, Vſuardus, Paulus diaconus, lib. 6. cap. 2. Metaphraſtes tom. 5. Lip. et alij denique complures. Eſt Romæ baſilica s. Sebaſtiani antiquiſſima, milleq; et ducentis ante annis extructa; ut ex tabulis lapideis duabus, in ea collocatis, cognoſcitur; et a s. Damaſo conſecrata putatur. Quæ ſane res argumento eſt, illius diem natalem, ut mox aſſeruimus, multo ante s. Auguſtini tempus, celebrari. S. hic martyr a populo Chriſtiano magna in ueneratione habetur, propterea quòd, diuino admonitu cum altare ei extructum fuerit in baſilica beati Petri, quæ ad uincula dicitur, urbs Roma mirabiliter a graui peſtilentia per illius interceſſionem liberata ſit, ut Paulus diaconus ſcribit. Liber de eius martyrio, Romæ impreſſus, et Louanij item, omnibus modis placet Ioanni Heſelſio ut, ex eius cenſura didicimus. De eodem ſermo eſt Radulphi Ardentis, et Honorij presbyteri Auguſtodunenſis, et s. Vincentij, ord. præd.

Apud Taurinos.) Qui populi ſunt Galliæ transpadanæ, in alpium radicibus. Eſt Taurinorum ciuitas ualde nobilitata ab s. Maximo, illius epiſcopo, ſanctitate et doctrina claro: cuius homeliæ, a nobis aliquando emendatæ, in lucem Romana impreſſione editæ, extant. Tigridius etiam Taurinorũ epiſcopus legitur in actis Synodi Romanæ, Symmacho pontifice habitæ.

ss. martyrum, Solutoris et cet.) In eccleſia Mediolanenſi, ut ex illius antiquis libris animaduertimus. De his martyribus ſermo extat s. Maximi Taurinenſis, qui ſermo item adſcribitur in libris s. Ambroſij.

Ceſenæ.) Aliàs, Cæſennæ, uulgo Ceſena. Quæ urbs Flaminiæ prouinciæ, Chriſti Domini fidem ſuſcepit, ab initio ferè prædicationis Apoſtolicæ: cuius rei illud argumento eſt, quòd, Miltiade pontifice, Flauianum epiſcopum habuerit, qui ei, epiſcoporum Africæ cauſam cognoſcenti, in conſilio adfuit; ut ab Optato Milaeuitano ſcriptum eſt lib. 1. De ceteris huius urbis epiſcopis nos libro noſtro perſcribemus.

s. Mauri epiſcopi.) Ex cal. eccl. Cæſen. Vitæ illius hiſtoria a Petro Damiano ſcripta, hodie extat in operibus, manu exaratis, eiuſdem Damiani. De eo præterea, et baſilica, ab illo extructa, litteris proditum eſt ab Hieronymo Rubeo lib. v. Annal. Rau.

s. Clementis presb.) Ex lib. eccl. Lugd.

Duodecimo calendas Februarij.

s. Agnetis.) Aliàs, s. Agnæ, ut in s. Gregorij libro ſacramentorum, manu ſcripto legitur; s. Agnes, more græcó dixit s. Ambroſius lib. 1. de uirg. Nos uero, in omnibus libris ſcriptis, s. Agnetis, legimus, ut in Martyrologio retinemus. Cuius uirginis dies feſtus, etiam ante beati Ambroſij ætatẽ agitur, ut ex illius ſermone in ipſo exorſu plane cognoſcimus. Vbique fit de ea officiũ, nouem lectionũ, Romana auctoritate, et communi omnium eccleſiarum conſuetudine, ac præterea concilij Colonienſis antiqui decreto, ut ſcribit Radulphus Tung. lib. de can. obſ.

prop. 17. Lectiones feſto huie diei in lectionario s. Hieronymus adſcribit, antiphonas s. Gregorius in antiphonario, et Miſſæ ſacrum idem in libro ſacramentorum, propriam etiam præfationem eidem Grimoldus Abbas, ut eccleſia Mediolanenſis, tribuit. De officio feſti huius diei Durantius ſcribit lib. 7. cap. 3. Rat. Sicardus Cremonenſis item, et Belethus, a quibus ille omnem de officijs diuinis ſcriptionem accepit. Martyris huius uitam multis locis s. Ambroſius expoſuit, ſermone ſcilicet 90. lib. 1. de uirginibus, in initio, lib. 1. de off. cap. 41. Meminit eiuſdem s. Hieronymus in ep. ad Demetriadem; s. Damaſus in elogijs duobus; s. Gregorius in hom. 11. et 12. Maximus Taurinenſis ſemel, atque iterum in ſerm. Habuit de illa preterea ſermonem s. Ambroſius, et s. Auguſtinus alterum, qui nondum impreſſus eſt, Ardentius, Honorius Auguſtudunenſis, Thomas de Kempis, et alij plerique, quos hoc loco præterire libuit: hymnum uerò, qui ultimus eſt, peri ſtephanôn, prudentius ſcripſit, et Beda item. Illius nomine cœmiterium extructum Romæ fuit, uia Numentana: in quo cœmiterio aliquando s. Liberius habitauit apud Conſtantiam, Conſtantij Auguſti ſororem.

Tarraconæ in Hiſpania.) Ad quam prouinciam primò s. Iacobus Apoſtolus prædicationis cauſa profectus eſſe traditur. Cuius rei teſtimonium nobis facit Calixtus 11. pont. in libro, quem de eo Apoſtolo conſcripſit: et idem quoque affirmat Iſidorus de uit. ſanctorum, cap. 73. ac Ioannes etiam Belethus lib. de diu. off. cap. 140. Porrò beatus Petrus, Apoſtolorum princeps, peragratis ceteris Occidentis prouincijs, Hiſpaniam item fidei prædicationibus illuſtrauit, ut Simeo Metaphraſtes ſcribit; ac plane ita id eſſe, grauibus argumentorum momentis a pleriſque perſuadetur. Illud uero certum, atque exploratum eſt, s. Paulum Apoſtolum, ad hanc prouinciam, cuius deſiderio ſe teneri oſtendit, ueniſſe; ibiq. fidem Chriſti Domini prædicaſſe: ſicut id liquido apparet ex teſtimonijs grauiſſimorum patrum, s. Hieronymi, in com. Eſaiæ cap. 11. et in com. Amos. cap. 5. et s. Athanaſij ad Dracont. Epiphanij, lib. 1. contra hær. Dorothei, in ſynopſi, Chryſoſtomi; et Theophylacti in principio com. ep. ad hebræos, eiuſdem præterea Chryſoſtomi hom. 76. in Mat. et hom. 13. in com. 1. cor. 4. et hom. 7. de laudibus Pauli; ac præterea s. Gregorij lib. 31. Moral. cap. 37. s. Anſelmi ad Rom. cap. 15. s. Iſidori lib. de uit. ſanctorum; Adonis in annalibus ætatis ſextæ; Vſuardi in Martyrologio, pridie idus Decembris; et Græcorum etiam, Oecumenij, Theoduli, Sophronij; qui a Probo Apoſtolum in Hiſpania hoſpitio exceptum eſſe ſcribunt. Id ſane pluribus oſtendimus, quoniam ſunt, qui contra ſentiant, propterea quòd de hac profectione in actis Apoſtolorum nihil quicquam traditum ſit. Sed hoc ipſum argumento non eſt, quo infringatur, quod aſſeruimus. quoniam eo actorum libro ab ſanctò Luca illa ſolum litteris conſignata ſunt, quæ uſque ad quartum Neronis annum a beato Paulo Apoſtolo geſta ſunt. Cum enim Nero ad id dementiæ uenerit, ut tot tantaq. ſcelera patrarit, quanta ſane maxima narrantur; libere dimiſit Apoſtolum Paulum, atque hoc quidèm eſt, quod ipſe ait; Liberauit me Dominus de ore leonis. Hic actorum librum s. Lucas abſoluit. Tuncq. is occidentis partes peragrauit prædicationis cauſa: qua in prædicatione decem ipſos annos poſuit: de quo tempore in actis nihil memoriæ proditum eſt. Eo autem tempore expleto Romam redijt, ubi decimò quarto Neronis anno, ab tyranno caput illi præciſum eſt. Nec uero ſolum Apoſtoli, ſed Apoſtolorum diſcipuli, ab ſancto Petro miſſi in Hiſpaniam ſunt, qui doctrinæ Apoſtolicæ inſtituta hiſpanis traderent: hiq. ſeptem in primis numerantur, Torquatus, Cteſiphon, Secundus, Indalicius, Cæcilius, Eſicius, et Euphraſius; qui ſeptem, eccleſijs Hiſpaniæ totidem, epiſcopi præfuerunt. Sed ne longius faciamus, illud perſpicue manifeſtum eſt, hanc prouinciam ab initio naſcentis eccleſiæ fidem Chriſti

Domini ſuſcepiſſe, ut planius ſuis locis cognoſcemus.

Tarraconæ.) Quæ urbs, Hiſpaniæ nobiliſſima, Scipionum opus eſt: ab ea prouincia Tarraconenſis nominatur, uulgo il regno d'Aragona. Primus illius urbis epiſcopus fuiſſe traditur s. Epaphroditus: cuius Metaphraſtes meminit in uitis beatorum Apoſtolorum, Petri, et Pauli. Hodie Tarraco, ſeu, Taraco, Metropolis eſt: cui, eccleſiæ cathedrales octo, iure metropolitano ſubiectæ, parent.

ss. Fructuoſi. Augurij, et Eulogij.) Quorum martyrium Prudentius explicat hymno, qui ſextus eſt in libro periſtephanôn; s. Auguſtinus ſermone, qui, a ſe habitus, in lucem nondum prodijt; Vſuardus in Martyrologio; Beda item, Vincentius, ac denique Surius tom. 1. Augurij.) In nonnullis codicibus ſcribitur, Augerij, apud Bedam. Auguli.

s. Publij.) Cuius meminit Euſebius Cæſ. lib. 5. cap. 11. et in Chronicis, Nicephorus item, et Epiphanius.

s. Mennij.) Epiſcopi Cathalanenſis, de quo ſcribit Volaterranus comm. lib. 17. Placentius in lib. epiſcoporum Tungrenſium, et s. Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 27. Itaque, ineunte euangelij prædicatione, Cathalanenſes cognoſcimus fidei ſacris imbutos eſſe a Mennio epiſcopo; qui anno Chriſti Domini LVIII, Nerone Imp. creatus epiſcopus, cum eccleſiæ Cathalanenſi annis LXXX. præfuiſſet, ex hac uita migrauit, Hadriano Imp. Pompeiano II. et Commodo coſſ. anno ſcilicet Domini CXXXVIII. Eſt autem Catalanum, ſeu Catalaunum, quod Cabullinum Ptolomæus uocat, urbs Galliæ, uulgo Calons ſur marne; habet cathedralem eccleſiam, Archiepiſcopo Rhemenſi ſubiectum. Cuius Eccleſiæ epiſcopi in ſanctorum numero adſcripti ſunt hi, s. Donatianus, qui beato Mennio ſucceſſit; s. Domitianus, s. Alpinus, s. Elaphius, s. Ludomerus. Alij præterea ſunt, quorum perſpecta eſt pietas et doctrina in Galliæ concilijs.

Trecaſſi.) Qui Tricaſſes, Tricaſſeni, et Trecæ alio nomine appellantur. urbs nobilis eſt in Campania Gallicana, uulgo Trecen, aut Troye en Champaigne. Eius meminit Antoninus in Itinerario. Trecenſibus doctrinæ Chriſtianæ rudimenta primum tradita ſunt ab ſancto Amatore, Potentiani, et Sauiniani, Chriſti diſcipulorum, auditore, anno XCIX. Clemente pont. Max. Tito, et Veſpaſ. Impp. Habuit Trecenſium ciuitas iam inde a ſancto Amatore uſque ad hæc tempora epiſcopos circiter octuaginta ſex: in quibus ſancti numerantur, Amator ep. I. Vrſus ep. VII. Lupus ep. VII. Camelianus ep. IX. qui in concilio Aurelianenſi I. interfuit; Vincentius ep. X. in concilio Aurelianenſi II. Paulus ep. XXXIV. Prudentius ep. XXXVII. A Trecenſibus ſanctus Chriſti confeſſor, Vinibaldus ſolemniter colitur: cuius dies natalis agitur XV. cal. Ian.

s. Patrocli martyris.) Cuius martyrium, olim luculenter ſcriptum, in uolumen 1. Surius retulit: Gregorius, Tur. meminit cap. 63. lib. de gloria martyrum; Vincentius in ſp. lib. 10. cap. 108. Vſuardus in Martyrologio.

Ancyræ.) In Galatia: de qua alio loco. s. Buſiris.) Sozomenus lib. 5. cap. 10. hiſt. eccl. Is Eucratita primum, deinde ſua priori hæreſi condemnata, ad eccleſiam catholicam redijt: nobileq. pro fidei confeſſione certamen confecit.

s. Epiphanij epiſcopi.) Cuius uitam, ſancte actam litteris mandauit Ennodius, uir doctus, qui in epiſcopatum illi ſucceſſit: tum etiam Paulus Diaconus lib. de uit. ep. Pap. poſt uero Iacobus Gualllius lib. 3. cap. 1. de iiſdem epiſcopis. Surius breui complexus eſt huius uitam; quam copioſe ſcriptam legi licet apud Ennodium: qui die natali s. Epiphanij de eo orationem habuit. Meminit idem Paulus lib. 6. cap. 1. et de geſt. Rom. Pius 2. in epitome Blondi, Platina in uita Gelaſij, Sigebertus, et Palmerius in Chronicis.

s. Mein-

s. Meinradi.) Surius pluribus explicat huius uitam, lectu ſane dignam, ac martyrium; tom. 1. de ſan.

In Græcia ſanctorum martyrum, Neophyti, Eugenij, Canidij, et Valeriani.

Vndecimo cal. Februarij.

Valentiæ.) In Hiſpania citeriori; eſt enim altera, hoc ipſo nomine urbs in Gallia, ad Rhodanum flumum ſita, uulgo Valence; alia item in Mauritania Tingitana, Bariaſa etiam nominata, cuius meminit Plinius, et Antoninus: hancq. Fanzaram hodie uulgo dici, Moletius ſcribit. Hæc uerò Hiſpaniæ, metropolis, a mari olim tribus, nunc uno tantum miliario remota cum nobilitate florens, tum eò nobilior eſt, quòd beatiſſimum Laurentium martyrem genuit; martyreſq. habuit Valerium, Cæſarauguſtæ epiſcopum, et Vincentium diaconum. Concilium preterea Valentinum extat, Hormiſda pontifice celebratum. Vnde perſpicuum fit, ciuitatem hanc, illis prope naſcentis eccleſiæ temporibus, fidei inſtitutis imbutam eſſe.

S. Vincentij.) In antiphonario, et ſacramentorum libro s. Gregorij Papæ, in ordine et ritu eccleſiæ Ambroſianæ, in præfationibus antiquis, in omnium denique eccleſiarum breuiarijs, et in Menologio Græcorum. Huius feſti dici celebritas, multis ab hinc ſæculis, in eccleſia Dei agitur, ut ex ſermonibus, quos mox infra narrabimus, ſancti Auguſtini, et hymno Prudentij cognoſcimus. De beatiſſimo autem Vincentio martyre grece ſcriptum eſt a Simone Metaphraſte, ut id omne extat apud Lipomanum, et Surium tomo 1. latine autem ab Vſuardo, Adone, et copioſe a Beda in Martyrologio. Habuit hoc ipſo die s. Auguſtinus permultos de huius martyrio ſermones: qui duo ſunt, duodecimus ſcilicet, ac tertiuſdecimus in ſerm. de ſan. tomo x. et quattuor in ijs, qui nuper inuenti ſunt, et apud Poſſidiū item. s. Leo Papa, de eo ſermonem, etiam conſcripſit; licet alij s. Auguſtino tribuant. S. Bernardus eiuſdem meminit in ſerm. 66. Prudentius porrò totum eius martyrium hymno præclare expreſſit: at breui exponit Honorius Auguſtodunenſis in libro, quem inſcripſit ſpeculum eccleſiæ. Mombritius exſcribit totam martyrij huius hiſtoriam, quæ, olim perſcripta, nihil apocryphum habere cenſetur. Fit etiam de ſancto Vincentio in Græcia hoc ipſo die.

Epheſi.) Qua in urbe illuſtranda elucet in primis beatiſſimi Pauli Apoſtoli uigilantia: qui cum ex uinculis Romanis illam conſolatus eſt epiſtola, tum epiſcopum Timotheum, diſcipulum ſuum, eidem præfecit. Ad quam uigilantiam hoc etiam accedit, quòd s. Ioannes Euangeliſta, diu ibidem manſit. Quinetiam, ut reliquos prætereamus, ac preſertim Oneſimum, eiuſdem Pauli diſcipulum, et Cornelium centurionem, qui uterque Epheſi docuit, Chriſtianæ pietatis doctrinam ab ſancto Petro ibi diſſeminatam eſſe, et Stephanus, Græciæ Epiſcopus, et Hugo Eterianus, ſcribunt. Eſt habita Epheſi œcumenica Synodus, quæ tertia appellatur, Cæleſtino pont. et Theodoſio minori, Imp. ad quam Synodum epiſcopi ducenti conuenerunt, damnato hæretico Neſtorio Conſtantinopolitano. Metropolis Epheſus eſt Ioniæ, ſubiecta tamen iuriſdictioni patriarchæ Conſtantinopolis, et ſecunda numeratur in illis, quæ ei patriarchatui parent ex præſcripto conſtitutionis Leonis, ut eſt apud Matthæum monachum.

s. Timothei.) Cuius diem natalem hoc ipſo etiam die Græci celebrant, ut ex Euchologio, Horologio, et Menologio eorum perſpici licet: itidemq. apparet ex multis Martyrologijs latinis: ſed Beda, Vſuardus, et plerique alij huius celebrita-

britatem aſcribunt 12. cal. Feb. Eius martyrium Polycrates ſcripſit: a quo Metaphraſtes accepit; idemq. Surius in tomum 1. retulit. De s. Timotheo mentio fit in actis 16.17.18. et ſeq. 1. cor. 4. et 16. Phil. 2. Theſ. 1. Meminit item s. Ignatius ep. 5. ad Philadelphienſes, et ep. x. ad Eph. s. Athanaſius in ep. ad Dracont. s. Dionyſius Areopagita in ep. 9. ad Titum, Euſeb. hiſt. eccl. cap. 4. Nicephorus lib. 2. cap 34. Dorotheus in Synopſi; Græcus auctor in appendice catalogi s. Hieronymi; Chryſoſtomus hom. 1. ad populum Antiochenum, Iſidorus in uit. ſanct. Raphael Volat. lib. 20. com. Trithemius lib. de ſcrip. eccl. Sigelbertus in chronicis, et Maffæus cameracenſis itidem. Ad beatum Timotheum duas, quæ extant, epiſtolas s. Paulus ſcripſit: unam etiam Dionyſius Areopagita, ſicut Trithemius teſtatur, de martyrio ss. Apoſtolorum Petri, et Pauli; quam epiſtolam Mombritius in uolumine 11. de ſanctis exſcripſit. Ad eundem ab ipſo Areopagita magnam librorum ſuorum partem ſcriptam eſſe, Georgius Pachimerius affirmat in ſuis Commentarijs, quos in illius epiſtolas edidit: Porrò nominibus et Pauli, et Timothei, ſimul iunctis, inſcriptæ ſunt illæ eiuſdem Apoſtoli epiſtolæ, ſecunda ad Corinthios, ad Coloſſenſes una, ad Philippenſes una, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Philemonem una. Quam inſcriptionem nonnulli argumento eſſe putarunt, quòd is Apoſtolo Paulo in epiſtolis ijs ſcribendis operam nauauerit; ſed Photius Conſtantinopolitanus, et plerique omnes cenſent, ab Apoſtolo primùm illas quidem ſcriptas, deinde diſcipulo Timotheo, quem ille unice dilexit, chariſſimumq. habuit, eſſe communicatas. Atqui libri quattuor, Timothei epiſcopi nomine ad eccleſiam catholicam ſcripti extant: qui non huius Timothei, ſed Saluiani Maſſilienſis epiſcopi eſſe putantur; qui, ut laudem hominum fugeret, ſuppreſſo ſuo nomine, Timothei nomen finxit, quo illos libros inſcriberet.

Ebreduni.) Aliàs, Ebroduni, uulgo gallice, Ambrun. Cuius urbis populi a Plinio Ebroduntij, ab alijs Ebrodunenſes uocantur, ut Ebrodunenſium caſtrum a Vibio Sequeſtro in libro de prouincijs. Adſcribuntur Ebrodunenſes Salijs Alpinatibus. Hæc urbs eſt metropolis, cuius iuriſdictionis finibus continentur Eccleſiæ Cathedrales quinque, Diguenſis ſcilicet, Nicienſis, Graſſenſis, Grandatenſis, et Vencienſis. Porrò Ebredunenſes Archiepiſcopi leguntur in concilijs, Gallicanus in Aurelianenſi quarto, Emeritus Matiſconenſi ſecundo, Etherius in Cabilonenſi.

ss. martyrum Vincentij, Honorij etc.) Ex Martyrologio. M. S. Eorum res geſtas, Ebredunenſis eccleſiæ antiſtes, qui Etherio ſucceſſit, ad poſteritatem litteris prodidit: meminit autem breuiter, Ado, Vſuàrdus, et Beda: at copioſius Aequilinus lib. 2. cap. 13.

s. Maximi.) Non illius Hieroſolymitani, cuius Sozomenus meminit, ſed Conſtantinopolitani: de quo s. Hieronymus ſcribit lib. de eccl. ſcrip. et eſt in Menologio Græcorum.

Nouariæ.) Cuius ſemel, atque iterum Antoninus in Itinerario meminit. Eſt urbs Galliæ Ciſalpinæ, ditioni Mediolanenſi ſubiecta: uulgo Nouara, quaſi noua Gallorum area nominata: in qua ſcilicet olim illi comitia haberent. In Nouarienſibus epiſcopis primus numeratur s. Gaudentius: cuius et hoc die, et tertio nonas Auguſti celebritas in ea urbe agitur. Simplicius ep. Nouarienſis ſubſcripſit epiſtolæ ſynodicæ, quam ad s Leonem Papam Euſebius Archiepiſcopus Mediolani exarauit. De s. Victore epiſcopo Nouarienſi elogium extat, ab Euodio Ticinenſi conſcriptum: qui præterea ad Honoratum Nouarienſem ſcripſit orationē de dedicatione baſilicæ Apoſtolorū, ut perſpici licet in libris eiuſdem Euodij.

s. Gaudentij.) Cuius res, ſancte geſtas, Leo, eiuſdem urbis epiſcopus libro complexus eſt: quem Mombritius retulit in uolumen 1. de ſanctis. De eodem

ſcriptum eſt in codice, manu exarato, de ſanctis eccleſiæ Mediolanenſis.

s. Anaſtaſij abbatis.) In Martyrologio M. S. et apud s. Gregorium lib. 1. cap. 7. et 8.

s. Anaſtaſij martyris.) Perſæ: cuius uitæ librum, male de græco tranſlatum, peius ab imperito emendatum, Beda ſe correxiſſe ſcribit in extrema hiſtoria Anglorum. Eius martyrium aſcribit Metaphraſtes in hoc ipſo die, prout totum, luculente expoſitum, legamus apud Surium tom. 1. de uit. ſan. Nicæna autem œcumenica Synodus VII. cum ex libro uitæ, tum ex altero, qui eſt de miraculis, plurima affert act. 4. De eodem, Ado, Beda, Vſuardus, Sigebertus in Chronicis, Vincentius in ſpeculo, lib. 24. c. 14. Equilinus in catalogo, lib. 2. c. 114. Mombritius tom. 1. de ſanctis. Græci in Horologio, Menologio, et Euchologio.

s. Vincentij, presb. et martyris.) Beda.

Decimo calendas Februarij.

s. Emerentianæ uirginis et martyris.) Emerentiæ, legit Vſuardus: at, Emerentianæ, in Martyrologijs, impreſſis, et manu ſcriptis. Illius meminit s. Ambroſius in extrema hiſtoria s. Agnetis.

Philippis.) Quæ Macedoniæ urbs eſt, a qua Philippici campi nominati ſunt: ubi primò Cæſar et Pompeius, deinde Auguſtus, et Caſſius prœlium commiſerunt. Philippis beatus Apoſtolus Paulus cum Sila, et uirgis cæſus, et in carcerem coniectus eſt; non ſine fœnore tamen perpeſſæ ignominiæ. plurimis enim ad Chriſtum conuerſis, illius eccleſiæ prima cum fundamenta iacta ſunt: quam paulo poſt, miſſa ex urbe Roma epiſtola, ueluti adultam, confirmauit. Ex ea urbe alteram ad Corinthios epiſtolam dedit Apoſtolus, quo tempore is, iam tertium peragrata Macedonia, in Aſiam contendit. Hic s. Petrum Apoſtolorum principem, euangelij etiam doctrinam tradidiſſe; itidemq. Olympum illius diſcipulum; ac s. Ignatium deinceps docuiſſe, ex illorum uitis cognouimus, quas uel Stephanus, Græciæ epiſcopus, uel Metaphaſtes conſcripſit. Ad Philippenſes præterea extat epiſtola, ab ſancto Polycarpo martyre ſcripta: quæ, uſque hodie in Aſiæ conuentu legitur, inquit s. Hieronymus. Hic Parmenas, unus e diaconis VII. martyr: Timotheus item, et Diogenes, alijq. plerique martyres: quos alijs locis enumerabimus.

s. Parmenæ.) Act. 6. Dorotheus in ſynopſi, Beda, Vſuardus, noſq. in notationibus, quas in illam Dorothei ſynopſim ſcripſimus. Huius diem natalem Græci agunt Quinto calendas Auguſti: ut in eorum Horologio, Menologio, et Euchologio notatur.

Apud Antinoum.) Cuius s. Hieronymus meminit in libro contra Iouinianum. Eſt urbs Aegypti, Antinoia, et Adrianopolis alio nomine uocitata. In hac, et in alijs Aegypti urbibus, et in Phœnicia item, Aegyptij, quàm inſigniter decorati ſint martyrij coronis, exponit pluribus Euſebius Cæſarienſis lib. VIII. cap. 7. 8. et 9. Sed de Aegypto alias.

s. Aſclæ martyris.) Ex Martyrologijs M. S. et Aequilino lib. 3. cap. 15. In alio antiquiſſimo codice, manu exarato, legitur, s. Aſclæ martyris: at, Arſelæ, habet Primus Cabilonenſis epiſcopus. Fuit hic unus ex ijs martyribus, quorum inauditos, grauiſſimoſq. cruciatus Euſebius hiſtoriæ eccleſiaſticæ monimentis ad poſteritatem prodidit. Cuius rei narrationem, Martyrologij noſtri rationibus accommodatam, hoc loco exſcribere libuit. Illos, inquit, qui ſunt in ipſa Aegypto

gypto martyrio defuncti, nemo eſt, qui non magnopere admiretur. ubi uiri cum uxoribus, et liberis numero prope infiniti, pro Saluatoris noſtri doctrina, uita fragili, et breui temporis momento duratura, penitus neglecta, uaria mortis genera ſubierunt. Quorum alij poſt cuticulam nouaculis laceratam, poſt membra luxata et diſtorta, poſt corpora flagellis acerbiſſimis laniata, alijſq. infinitis, uarijs, et dictu horrendis tormentis excruciata, in ignem tandem iniecti fuerunt: Alij in altum pelagus præcipitati: alij lictoribus ſua capita amputanda fidenti animo obiecerunt: alij occubuerunt, ipſis cruciamentis oppreſſi: alij fame confecti, interierunt: alij rurſus patibulis affixi: quorum nonnulli, tamquam malefici ſuſpenſi; alij deteriore modo, capite in terram demiſſo, clauis firmati, et uiui uſque eo ſeruati, quoad in ipſis patibulis fame contabeſcerent.

Cæſarauguſtæ in Hiſpania.) Quæ Salduba priſco et Hiſpano nomine uocata, a Cæſare Auguſto facta colonia, hoc deinceps nomen accepit: hodie uulgo Caragoza. Eius urbis Ptolomæus, Plinius, Antoninus, et alij meminerunt. Cæſarauguſtani martyres multi numerantur, in quibus Valerius epiſcopus, cuius hodie natalis dies agitur; Quintilianus, Caſſianus, et ſocij ſexdecim; milites quingenti; Lampertus martyr, Engratia uirgo, et martyr; alijq. item, quos locis ſuis narrabimus. Chriſtianæ autem fidei inſtitutionem, a Cæſarauguſtanis, pene initio prædicationis euangelicæ ſuſceptam, teſtantur cum Valerij epiſcopi res, in ea eccleſia geſtæ, tum concilia Cæſarauguſtana, quorum unum hodie extat, Hormiſda pontifice celebratum: ſed plura aliquando ab hiſpanis hominibus, hiſpanicæ antiquitatis uſu litorate peritis, in medium afferuntur.

s. Valerij epiſcopi.) Ex manu ſcripto codice: quem maxime ſecuti ſumus. De s. Valerio multa leguntur initio uitæ beatiſſimi Vincentij martyris.

Neocæſariæ.) Alias, Neocæſareæ: nos, Neocæſariæ ſcripſimus, ut eſt apud Stephanum, urbium ſcriptorem. In Macedonia, at in Mauritania, omnes codices habent. Sed profecto uidendum eſt, an in illis mendum ſit, cum Neocæſariam, in Mauritania ſitam nuſquam legamus, ut infra diſſeremus. Eſt uero Neocæſaria duplex, una Bithyniæ; altera Ponti, non Cappadociæ, ut nonnullis placet. Hæc Ponti clara eſt ſynodo, quæ in libris pontificijs et conciliaribus extat; tum habuit uirum et ſanctitate, et miraculorum laude, et doctrina præſtantem, Gregorium, quem a miraculis Thaumaturgum, ab epiſcopatu Neocæſarienſem, a prouincia epiſcopum Ponti appellant.

ss. Seueriani, Aquilæ.) Hos duos tantum habent, Vſuardus, Beda, et codices manu ſcripti: nos Florum filium addidimus, ſecuti librum antiquum. De ijs etiam Ado ſcribit, Equilinus item breuiter lib. 3. cap. 16.

s. Ioannis Eleemoſynarij.) Qui Eleemon etiam nominatus eſt. Huius uita, primum a Leontio Cyprio conſcripta, deinde ordine, rectiuſq. a Metaphraſte contexta, hodie legitur apud Surium tom. 1. et apud Lippomannum. Eius item meminit Nicæna œcumenica Synodus II. act. 4. liber, coloniæ editus, de uitis Petrum, Sigebertus de uir. ill. cap. 104.

Ancyræ.) In Galatia. Eſt enim Ancyra Phrygiæ, altera Myſiæ, tertia Ciliciæ. Hæc uero Galatiæ metropolis, alio nomine Anquira, et Anchira item appellata eſt. Qua in urbe, et Petrum, Apoſtolorum principem, et Iacobum Zebedæi, primo euangelium diſſeminaſſe, litteris proditum eſt a Metaphraſte in uita s. Petri, et ab Primo epiſcopo Cabilunenſi in Topographia. Huius urbis epiſcopus Clemens martyr, cuius hoc die celebritas in Græcia agitur; et Agricolaus, qui præfuit Ancyranæ ſynodo prouinciali; et Pancratius, qui œcumenicæ ſynodo Nicænæ interfuit; et alij commemorantur, quos præterire ſilentio iubet, præſertim, catholicorum patrum iudicio, hæreſis labe notatos, ut Baſilium Ancyranum,

ranum,

ranum, et Marcellum, qui huic ſucceſſit. In antiquis, ut Balſamo ſcribit, habetur Ancyrana, quam Anchiritanam etiam dicunt, ſynodus illa, paulo ante Nicænam priorem habita. ſed de hac urbe pluribus, cum de Galatia prouincia erit diſſerendi locus.

s. Clementis epiſcopi, et martyris.) De quo ſcriptum eſt a Simone Metaphraſte: idq. omne a Surio relatum in tomum 1. A reliquis item Græcis de eodem proditum eſt eccleſiaſticis Menologij, Horologijq. monimentis. Clemens autem epiſcopus duos habuit etiam martyrij ſocios, Chriſtophorum, et Charitonem, diaconos.

ss. martyrum Macarij, et Eugenij.). Ex Breuiario Moguntino. Horum meminit Metaphraſtes in Artemio, et Zonaras in Iuliano.

s. Bernardi epiſcopi.) Ex Adone in Chronicis anni DCCC. XIII.

s. Ildephonſi.) Aliàs, Illephonſi; quem Alphonſum corrupte plerique uocant, ut Lazius notat lib. 10. hiſt. Commig. gen. Recte uerò Illephonſum pronunciari, apparet ex monimentis hiſpanicis. Illius uitam ſcripſit s. Iulianus Pomerius. Extat liber Illephonſi de uirginitate beatiſſimæ Dei matris, Mariæ. Hic ſucceſſit in Archiepiſcopatu Toletano, s. Eulogio III. meminitq. aliquandò illius in libris alijs, quos confecit.

s. Martyrij.) Cuius meminit s. Greg. lib. 1. dial. cap. 11.

Nono Calendas Februarij.

s. Babylæ.) Huius diem natalem Græci agunt pridie nonas Octobris. De s. Babyla ſcribunt Græci in primis, s. Chryſoſtomus ſermonem, contra gentes habitum, tom. 3. Georgius Cedrenus multis locis in epitome annalium, Metaphraſtes, apud Aloyſium tomo 6. Suidas, et alij, ut mox infra dicemus. De eodem præterea in antiquis codicibus, et in Breuiario item Eccleſiæ Ambroſianæ, ut in Horologio etiam Græcorum, et in Menologio præterea, litteris proditū eſt.

Vrbani, Prilidiani, et Epulonij.) Trium puerorum meminerunt codices Ambroſiani, Metaphraſtes, Suidas, Chryſoſtomus in ſermone contra Iuuentinum, et Græci in monimentis eccleſiaſticis.

Dæmon illico mutus factus.) Cuius ſilentij cauſam ſancti martyris reliquijs, eò illatis, tribuunt omnes, ut pote Chryſoſtomus libro de s. Babyla; Rufinus lib. 1. cap. 35. Socrates lib. 3. cap. 18. Sozomenus lib. 5. cap. 18. Theodoritus lib. 3. cap. 10. et 11. idem ſentit Libanius, etiam ſi fidei, ualde admodum aduerſabatur. Cum igitur res certiſſima ſit, ac teſtatiſſima luculentis ſcriptis, manifeſto perſpicuum eſt, ſcriptores æthnicos in huiuſce rei narratione prorſus a uero aberrare.

ss. martyrum, Mardonij, Eugenij, Muſonij, et Matelli.) Aliàs Metelli, aliàs, Marcelli, aliàs Mecelli; nos, Matelli, ſcripſimus, aliquot manuſcriptos codices imitati. De ijs memoriæ proditum eſt ab Vſuardo, Beda, Equilino, et ceteris eiuſdem generis. Neocæſariæ in Mauritania, repone in Macedonia, cum enim horum martyrum reliquiæ in Axium fluuium proiectæ ſint, ut omnes ſcribunt; id in Macedonia factum apparet: in qua prouincia Axus eſt.

s. Feliciani epiſcopi, et martyris.) Ex antiquiſſimo codice, litteris longobardicis exarato.

ss martyrum Pauli, Pauſinij, et Thodotionis.) Quorum martyrium, Græce conſcriptum, Latine breuiter redditum, in Martyrologium retulimus.

Cameraci.) Aliàs, Sameraci: ſicut olim ea urbs nominata eſt, ac Samorabrina

item, hodie uulgo Cambray. Eſt in Belgio ſita; quæ, Alarico Gothorum, aut certe Genſerico Vandalorum rege, epiſcopum habere cæpit, nempe Diogenem: a quo primum fidei myſterijs imbuta eſt: deinde Vedaſtum; cui ſucceſſit Dominicus; huic Vedulphus, qui ſedem epiſcopalem ex Atrebato Cameracum tranſtulit. Iam inde uerò ab anno ferè quingenteſimo, quo ſcilicet, primum hæc epiſcopalis eccleſia inſtituta eſt, uſque ad hæc tempora epiſcopi Cameracenſes numerantur fere ſeptuaginta tres. In ijs qui ſanctorum numero adſcribuntur, epiſcopi, hi ſunt; Diogenes I. Vedaſtus, Dominicus, Vedulphus, Gaugericus, qui Clotarium regem ad fidem conuertit; s. Bertoldus, quem Bertrandum plerique uocant; s. Authbertus, cuius dies natalis hodie agitur; s. Vindicianus, s. Adulphus; s. Theoderius, monaſterij Leobienſis auctor; s. Ioannes cantor. De ceteris, huius ciuitatis epiſcopis, nos in libro noſtro, uberius ſcribemus.

s. Authberti epiſcopi.) Ex Breuiario, et Calendario eccleſiæ Cameracenſis. Hic eccleſiam Atrebatenſem extruxit; eoq. tranſtulit ſacras reliquias. s. Vedaſti; ut Demochares ſcribit.

s. Artenij epiſcopi.). Aliàs, Artemij: qui ſeptimus numeratur in epiſcopis Aruernienſium: quos loco ſuo recenſebimus.

In Græcia s. Xenæ, ut eſt in Menologio.

Octauo calendas Februarij.

Conuerſio s. Pauli Apoſtoli.) Quæ diuinitus facta eſt, Caligula Imp. Sulpitio, et Sylla conſulibus, anno ſcilicet Christi Domini XXXIV. ut priſcis annalibus memoriæ proditum eſt: at alij, XXXV. putant: Euſebius uerò a Reſurrectione Domini anno non dum expleto; plerique autem duobus poſt illius in cælos aſcenſum annis: Hippolytus Thebanus circiter ſex poſt beatiſſimi Stephani protomartyris necem menſibus: quæ fuit ſeptem poſt Domini Reſurrectionem annis. Tu uero in huius rei explicatione uide Glycam par. 3. annalium, et Durantium lib. 7. cap. 4. Rat. Conuerſionis s. Pauli dies feſtus ab initio prope naſcentis eccleſiæ celebratus cognoſcitur e ſancto Auguſtino: qui multos et hoc die, et de illa ſermones habuit: qui extant partim in ijs, qui nuper inuenti ſunt, nempe ſer. 105. 106. 107. et in ijs fragmenta quædam; partim tom. 10. de uerb. Ap. ſerm. 8. 9. et 10. et in ſerm. de ſanctis, ſer. 14. idemq. diſſerit ſæpe in pſalmis, ut in pſal. 49. Honorius Auguſtodunenſis ſermonem etiam breuem habet, et Innocentius III. De hac conuerſione in Act. cap. 9. 22. I. Tim. I. Gal. I. Beda ad Rom. cap. 14. et cap. 10. s. Hieronymus de uir. ill. c. 15. Iſidorus in ſermone de s. Stephano; Chryſoſtomus in lib. de laudibus Pauli. De officio huius diei apud Sicardum, Belethum, Durantium eod. lib. 7. cap. 4. In libro rituali Romano perantiquo hic dies eſt, quo olim ſummi pontifices ſolemniter facerent, et ſermonem haberent.

s. Ananiæ.) Qui doctor, beatum Apoſtolum Paulum baptizauit. Act. 9. et 22. fuit enim alter Ananias, unus e ſocijs Danielis. Dan. 1. et 2. alius uero, qui cum Saphira coniuge ab ſancto Petro obiurgatus, ſubita morte interijt. Act. 5. alius Ananias, qui princeps ſacerdotum, beato Paulo ante cauſam cognitam colaphum infligi iubet. Hic uero unus e ſeptuaginta duobus diſcipulis, primus, Damaſci epiſcopus, cuius meminit Dorotheus in ſynopſi, Volaterranus lib. 19. com. Eius diem feſtum Græci agunt calendis Octobris, ut in Horologio, et Menologio notatur. In martyribus hunc illi adſcribunt; ac Damaſci, ex Lucinij præfecti decreto, primò cæſum, deinde excarnificatum, demum lapidibus obrutum fuiſſe narrant.

Aruer-

Aruernis.) Aliàs, Auernis, ut Cæſar nominat; alij Aluernos dicunt. Sunt autem populi Aquitaniæ, uulgo les Auuergnois: qui ab initio, fidei præceptis ab ſancto Stremonio inſtructi, Victore Pont. Max. Traiano Aug. Decio, et Grato coſſ. circiter octo et nonaginta epiſcopos habuerunt: in quibus ſanctorum numero adſcripti ſunt hi, s. Stremonius 1. s. Illadius, s. Proiectus, s. Nepotianus, et s. Artemius. Aruernos autem martyres locis ſuis commemorabimus.

ss. martyrum, Donati, Agapæ, et Sabini.) Ex manu ſcripto codice.

ss. Iuuentini, et Maximi.) Quorum martyrium, a Ioanne Chryſoſtomo concione, quæ in operum ſuorum tomo.3. extat, expoſitum, Surius retulit in uolumen 1. de ſanctis. Eorum item meminit Theodoritus lib.3. cap.14. et 15.

Gabalis.) Aliàs, Gabalæ: quæ ſyriæ urbs, a Stephano Gaballa, ab Ptolomæo, et Antonino Gabala nominatur, hebraice Gebol, hodie uero Gibel, ut putat Volaterranus.

s. Seueriani.) Socrates lib.6. cap.10. 14. et ult. Sozomenes lib.8. cap. 10. 16. et 18. Gennadius cap.21. Vſuardus, Beda, Glyeas in hiſt. Gen. Eiuſdem meminit ſynodus œcumenica, Martino 1. pontifice habita, et Gelaſius pont. de duabus naturis.

s. Proiecti.) Aliàs, Præiecti: Cuius, et Amerini uita apud Surium tom.1. de ſanctis. Eiuſdem Vſuardus, Beda, et codices M. S. meminerunt.

s. Marini.) Aliàs, Amerini: ſed, ut ſcripſimus, Marini, habet Codex longobardicus, et ceteri, quibus uſi ſumus, manu exarati.

s. Gregorij.) Nazianzeni: ex codice Martirologij latini, antiqui, et ex Horologio Græcorum: ſed nos de eo ſcribemus ad ſeptimum Idus Maij: quo die illius celebritas agitur more Romano.

Septimo calendas Februarij.

s. Polycarpi.) De quo, et ſocijs martyrij epiſtola extat, ab eccleſia Smyrnenſi ad Philomilienſem conſcripta. Frequenter huius in epiſtolis s. Ignatius meminit: nominatimq. ad eum epiſtolam exarauit: eccleſiam præterea Antiochenam eidem, cum ad martyrium duceretur, intime commendauit. Sanctus autem Irenæus beati Polycarpi pietatem, doctrinam, mores, corporis habitum, animiq. uirtutes, apprime laudat in epiſtola, quam ad Florinum dedit: tum ſæpe multis locis eiuſdem meminit; Euſebius item lib.4. cap. 13. et 14. lib. 5. cap. 19. s. Hieronymus de uir. ill. cap.17. Georgius Cedrenus, et alij multi. In Græcia, s. Polycarpi, Smyrnæ epiſcopi dies feſtus agitur ſeptimo calendas Martij: quo die in Martyrologijs latinis martyrium celebratur s. Polycarpi, ſocij beati Sebaſtiani martyris.

Aniceto pontifice Romam uenit.) Cuius profectionis cauſam, et rationem cognoſci licet ex epiſtola s. Irenæi, ad Victorem Pont. Max. miſſa: quam apud Euſebium legimus lib.5. cap.24.

s. martyris Theogenis.) Cuius meminit s. Auguſtinus in hom. de Pentecoſte, et in Homilia de Fructuoſo: Vſuardus, Beda.

Et aliorum triginta ſex.) Beda, ſex tantum narrat: at Vſuardus, et codices manu ſcripti omnes, quos uidimus, habent, triginta ſex.

s. Bathildis Reginæ.) Ex monaſterio Rubræ uallis: ubi liber de eius uita aſſeruatur: ex Vſuardo item.

s. Goberti.) Ex Calendario Belgico, et Indiculo ſanctorum illius prouinciæ.

H 2 s. Xe-

s. Xenophontis.) Ex monimentis græcis accepimus, quæ de eo in Martyrologium retulimus.

s. Marij epiſcopi.) Ex tabulis eccleſiæ Treuirenſis.

Tranſlatio s. Zenobij.) Quam s. Antoninus libro Chronicorum exponit tit. 10. cap. 20.

s. Theophanij.) S. Gregorius lib. 4. dial. cap. 28.

Sexto calendas Februarij.

s. Ioannis Chryſoſtomi.) Cuius meminerunt ſummi pontifices, Leo et Gelaſius, ſynodus item œcumenica quinta, et ſexta, et ſeptima. Vitam ſcripſerunt Palladius, Hellenopolis epiſcopus, Georgius Alexandriæ Patriarcha, Metaphraſtes, Caſſiodorus lib. 10. Trip. hiſt. Socrates lib. 6. Sozomenus lib. 8. Theodoritus, lib. 5. Suidas. s. Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum Pelagianum, Damaſcenus in ſermone de defunctis. Innocentius 1. pont. in ep. ad Arcadium Imp. Nicephorus lib. 13. hiſt. eccl. De eodem extat Leonis Imperatoris oratio encomiaſtica apud Surium tom. 1. Xyſtus ſenenſis multa de Chryſoſtomo ſcribit in bibliotheca ſancta. Tranſlationis etiam reliquiarum s. Chryſoſtomi celebritas hoc ipſo die in Græcia agitur, ut res tota in Horologio narratur. Eſt de hoc die feſto Græca conſtitutio.

s. Ananiæ martyris.) Ex tabulis græcis totum huius martyrium latine expreſſimus.

Bethlehem.) Chriſti Ieſu Saluatoris ortu oppidum celebratiſſimum eſt: de quo extat uaticinium Michææ Prophetæ cap. 5. Olim Ephrata, et ciuitas item Dauid nominabatur: ſexto ab urbe miliario diſtans, ad meridiem uergit, prope uiam quæ ducit Chebron, ubi Sepulcrum Ieſſæ oſtenditur: ibi præterea Archelai tumulus, et ſancti Hieronymi cellula. Sed opus non eſt, cur pluribus deſcribamus, cum s. Hieronymus multis locis illud deſcribat, et laudet; eoq. uenire hortetur Paulam, Euſtochium, et Marcellam duabus epiſtolis.

s. Paulæ.) Vſuardus, et s. Hieronymus in ep. ad Euſtochium, 27. et Beda. manuq. ſcripti codices.

ss. martyrum Datij, Reatrij et ſociorum.) Ex Martyrologio, manu ſcripto.

ss. martyrum Doti, Iuliani.) Beda.

s. Pauli primi, pontificis.) Mart. M. S. Equilinus lib. 3. cap. 3. s. Antoninus in Chronicis, et alij plerique.

s. Vitalliani pont.) Ex codice M. S.

s. Mauri Abbatis.) Aliàs, s. Marij. Vſuardus, et alij, tum impreſſi, tum manu exarati, libri. P. Aequilinus lib. 3. cap. 32.

In Belgis.) In Cellenſi ſcilicet monaſterio, quod s. Giſlenus extruxit: eſtq. in Hannonia antiquiſſimum, modoq. cella Apoſtolorum, modo monaſterium s. Giſleni, ut in uita Popponis abbatis; modo Cellenſe monaſterium uocatur.

s. Sulpitij epiſcopi.) Ex Martyrologio monaſterij Cellenſis, et Indiculo ſanctorum Belgij. Fuit is epiſcopus Bayenſis, ad Cellenſe monaſterium tranſlatus cum reliquijs s. Leocadiæ uirginis, et martyris.

Cenomanis.) Sunt Cenomani, Galliæ Celticæ populi, uulgo notiſſimi. Eorum ciuitas Cathedralis, Archiepiſcopatui Turonenſi ſubiecta, iam uſque ab Apoſtolorum ætate primùm a Iuliano epiſcopo, quem Simonem Leproſum putant, fidei inſtitutis imbuta, multos habuit epiſcopos, ſanctitatis laude claros,

nempe

nempe eundem s. Iulianum, s. Thuribium, s. Pancacium, s. Liborium, s. Victurum, s. Victurium, qui in concilio Turonenſi 1. interfuit, s. Principium, s. Innocentium, s. Donnolum, s. Bertrannum, s. Hadondum, s. Berarium, s. Aldricum, s. Hildebertum.

s. Iuliani.) Cuius uita, a Lethaldo monacho ad Aneſgrandum, Cenomanorum epiſcopum, ſcripta olim eſt, anno 990. De eo item ſcribunt, Beda, Vſuardus, Volaterranus, Equilinus, Demochares, s. Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 25. Beluacenſis lib. 9. cap. 113. et ſeq. Guillielmus Iſiugrinus in cent. 1. et Durantius lib. 7. cap. 5.

Quinto calendas Februarij.

s. Agnetis ſecundò.) Cuius diei feſti precum officium eſt in Antiphonario, et Sacramentorum libro s. Gregorij papæ, quem Albinus emendauit. In quibuſdam codicibus legitur, Octaua s. Agnetis: ſed eo nomine appelari non debet, cum huius diei feſti octaua inſtituta nō ſit, ut ſcite oſtendit Durantius lib. 7. cap. 3. Rat.

Sanctorum martyrum Leuci, Tirſi, et Galenici.) Calenici, legunt, Vſuardus, et Beda, nos, Galenici, ſcripſimus, exemplar antiquum ſecuti, quamuis Metaphraſtes Callinicum nominet. Horum diem natalem Græci agunt XIX. calendas Ianuarij, ut ex eorum Chartophilacijs, et ex menologio Metaphraſtis potiſſimum animaduertimus; qui eorum uitam in illo die adſcribit, ut eſt item apud Surium tom. 6. Hoc autem die apud Latinos ex omni Martyrologio, et Breuiario eccleſiæ Cordubenſis.

s. Hippolyti martyris.) Cuius martyrium legitur in Horologio Græco.

ss. martyrum, Indæ et Sociorum.) Quorum uita, a Metaphraſte luculenter explicata, ab Aloyſio Lippomano relata eſt in tomum quintum.

ss. martyrum, Flauiani epiſcopi, Deodati, et Palagiani clericorum.) De quibus uberius ſcriptum eſt in tabulis Græcis: unde nos, quæ martyrologio ſummatim complexi ſumus, hauſimus.

ss. martyrum, Cenſoriani, Victoris, et ſociorum) ex. M. S.

s. Iuliani Sabæ.) Caſſiodorus lib. 6. cap. 45. Heraclides lib. par. cap. 33. Marulus lib. de exemp. ſanct. cap. 2.

Edeſſæ.) Aliàs, Ediſſæ: quo nomine urbs una in Syria eſt, altera in Arabia, tertia in Macedonia, cuius Antoninus in Itinerario meminit. Hæc uero Syriæ, ſeu Meſopotamiæ eſt: ubi s. Thomas Apoſtolus natus dicitur. Huius præterea urbis Abagarus rex extitit: a quo ad Ieſum epiſtola miſſa legitur apud Euſebium, Nicephorum, et Euagrium; quæ tamen epiſtola in apocryphis cenſetur conſtitutione Gelaſij pont.

s. Ephrem.) Ex tabulis græcis, et Horologio in primis. s. Hier. lib. de ſcrip. eccl. Soz. lib. 3. hiſt. eccl. Niceph. lib. 9. cap. 14. et 16. Huic multum tribuit Baſilius.

s. Cyrilli.) ſynodus œcumenica quinta, et ſexta, et ſeptima, ac ſummi prætereа pontifices, Martinus 1. Gelaſius, et Leo, s. Cyrilli auctoritatem probarunt. Eiuſdem meminerunt Euagrius lib 1. hiſt. eccl. cap. 7. Nicephorus lib. 14. cap. 34. et 36. Hiſt. eccl. Georgius Cedrenus, Glycas multis locis, Trithemius, et alij multi. Vita a nemine ſcripta eſt, ex actis tamen concilij Epheſini, et eius item operibus recte contexitur. Diem natalem Græci agunt quinto idus Iunij: quo die in Horologio ſummatim illius uita narratur.

s. Turpini.) Ex M. S. Huius meminit Trithemius in lib. de ſcriptoribus eccl.

s. Ar-

ces. ac Prudentius item meminit initio hymni x I. et Græci in Horologio, et Menologio.

s. Barſimæi epiſcopi.) Cuius martyrium breui expreſſimus ex libris græcis.

s. Alexandri.) Beda copioſius exponit huius martyrium.

Mutinæ.) Quæ urbs eſt, Galliæ Ciſalpinæ, Romanorum Colonia, iure metro politano ſubiecta Archiepiſcopo Rauennæ, ex decreto Gregorij I. pontificis.

s. Geminiani.) Qui epiſcopus, eccleſiæ Mutinenſi præfuit, anno Chriſti Domini circiter CCCLXVII. Succeſſit in epiſcopatum Antonio: ei uerò Theodorus, ſancti Ambroſij Mediolanenſis diſcipulus: qui eiuſdem uitam, cum ſanctitatis laude actam, litteris mandauit. Hilarius item monachus, Mombritius, et Equilinus, breui res illius, expoſuerunt.

s. Matthiæ epiſcopi.) Euſeb. lib. 4. cap. 5. Ruffinus item, Nicephorus in Chronologia, Vſuardus, Beda, et reliqui.

s. Sauinæ.) Aliàs, Sabinæ, ſed Sauinæ, in omnibus eccleſiæ Mediolanenſis codicibus ſcribitur: in quibus eius uita narratur.

s. Armentarij.) Ex Calendario, et tabulis eccleſiæ Papienſis. Eius uitam præter ceteros ſcribit Iacobus Guallius.

s. Aldegundis uirginis.) Vſuardus, et Beda, qui pluribus exponit, et Indiculus ſanctorum Belgij, a doctiſſimo uiro, Molano conſcriptus: in quo de ſancta uirgine hac, pauca quædam cerni licet.

Pridie calendas Februarij.

ss. martyrum, Cyri, et Ioannis.) Quorum etiam diem feſtum Græci hodie celebrant: uitam ſcripſit Sophronius. quam in teſtimonium adhibet Damaſcenus lib. 3. de imaginibus, et Synodus Nicæna poſterior.

s. Metrani.) De quo ſcribit Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 6. cap. 34. hiſt. eccl. et Ruffinus, Nicephoruſq. item. Latine autem paucis Beda, et Vſuardus. Mentranum plerique dicunt, ſed male; cum frequentiores ſint, qui Metranum nominent.

ss. martyrum, Saturnini, Tarſychi, Gelaſij, et reliquorum.) Quorum nomina partim e manuſcriptis monimentis, partim e Beda, atque Vſuardo accepimus.

ss. Cyri etiam, Ioannis, Aſpaſiæ matris, et trium filiarum.) Theotidis ſcilicet, Theodotis, et Eudoxiæ. Horum omnium martyrium in librum de ſanctis retulit Hilario Monachus.

s. Triphenis uirginis.) E cartophilacijs Græcorum eius martyrologium breui conuertimus.

Tridenti.) Quæ urbs, ad Atheſim fluuium ſita, beatiſſimos martyres habuit, Siſinnium, Martyrium, et Alexandrum. In ea præterea synodus œcumenica, magna patrum frequentia eſt habita, Paulo III. Iulio III. Pio IV. pont. max.

s. Vigilij.) Qui longe diuerſus ab eo eſt, ad quem epiſtolam s. Ambroſius exarauit. Hic Tridentinus floruit, Hilario pontifice; ille Syricio. Eſt alius Vigilius, qui, beati Auguſtini æqualis, librum de laude martyrum, et epiſtolam de rebus eorum geſtis conſcripſit. Tu uerò de Vigilio Tridentino uide, quæ illius operum initio Caſſander præfatus eſt.

s. Marcellæ.) Cuius epitaphium s. Hieronymus ſcripſit ad Principiam. Nos illam huic diei in Martyrologio adſcripſimus, antiqui codicis auctoritatem ſecuti, ut Surius item.

s. Iulij

s. Iulij confeſſoris.) Cuius uita, olim ſcripta, legitur in Priſcis Codicibus eccleſiæ Mediolanenſis. Eandem Mombrinus adſcripſit uolumini 1. de ſanctis.

Eboraci.) Cuius urbis ſedes Archiepiſcopalis, iam uſque ab eo tempore conſtituta eſt; quo primum Britannia Inſula, Eleutherio pontifice, et Lucio rege, Ieſu Chriſti fidem accepit. Sed reponendum putamus, Ebroici: quæ urbs in Gallia eſt, cum nemo extiterit, Eboraci epiſcopus, qui Gandus nominetur.

Translatio s. Marci.) De qua annalium litteris proditum eſt, a multis, ab Equilino ſcilicet, Vernerio, s. Antonino, Lumberto, Sigelberto, Nicolao monacho, Maffæo, Sabellico, Bernardo Iuſtiniano, et denique a Petro etiam Iuſtiniano. Qui omnes de re conueniunt: de tempore autem ualde inter ſe diſcrepant.

FEBRVARIVS

Calendis Februarij.

s. Ignatij.) Cuius uitã luculenter admodum exponunt epiſtolæ, ab eo conſcriptæ, et illa in primis, quæ duodecima, ad Romanos ſcribitur. De eo præterea ſcribunt Latini, et Græci: in his eſt Chryſoſtomus, qui de illius martyrio conciones duas habuit; quæ græcæ in bibliotheca uaticana Romæ aſſeruantur; Metaphraſtes quoque una concione illius uitam item expreſſit, quæ apud Surium extat uol. 1. de ſanctis: Polycarpus in ep. ad Philip. Euſebius multis locis in hiſt. eccl. et præſertim lib. 3. cap. 30. Irenæus lib. 5. cap. 28. Nicephorus, et in hiſt. eccl. et in Chronologia; in Latinis, s. Hieronymus lib. de uir. ill. cap. 26. Gelaſius pontifex in lib. de duabus naturis; Caſſiodorus lib. 10. cap. 10. Trip. hiſt. Ado: qui huius martyrium x. cal. Ianuarij adſcribit; s. Bernardus ſer. 6. in pſal. Qui habitat. Hic a Græcis θεοφόρου nomine ornatur: aliquando θεῖος nominatur. Admiranda enim fuit illius pietas, et in Chriſti Ieſu confeſſione conſtantia, cæleſti, diuinoq. robore communita. Perpetua ferè in illius ore fuit ea uox; ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται; meus ſcilicet amor crucifixus eſt: qua uoce in memoriam ſibi crebrò reuocabat ingentem amorem filij Dei, quo is impulſus, tam ignominioſæ mortis ſupplicium pro generis humanis ſalute ſubijt. Hæc illius ſententia extat in epiſtola, ab ipſo ad Romanos ſcripta, et ab Areopagita Dionyſio affertur in lib. de Diuinus nominibus. Quanti autem ſecerint illius doctrinam ſanctiſſimi patres, ex eo cognoſcant profligatiſſimi eccleſiæ hoſtes, eiuſdem epiſtolarum oppugnatores, quòd ab ijs grauia dogmatum teſtimonia ſumpſerint, Polycarpus, Dionyſius Areopagita, Theodoritus in tribus dialogis, Athanaſius lib. de ſynodis, s. Hieronymus contra Heluidium, Maximus Abbas, et martyr ſerm. 43. Antonius Meliſſa lib. 1. ſer. 14. lib. 2. ſer. 19. 23. 43. 67. 84. et 89. Euſebius, et Nicephorus lib. 2. hiſt. cap. 39. lib. 3. cap. 19. ac in primis idem Gelaſius Pont. Agunt Græci diem natalem s. Ignatij, XIII. cal. Ianuarij.

Traiano, eccleſiam Dei oppugnante.) Surrano, et Marcello coſſ. anno ſcilicet Domini CVI. IGNATIVS, Antiochiæ epiſcopus, Romæ beſtijs traditur, ut priſcis annalibus proditum eſt. In hac, quæ tertia numeratur, Traiani perſecutione, beatiſſimus Clemens, pontifex, anchora collo alligata, pro Chriſti fide in mare proijcitur: Simon Cleophæ, annum decimum, et centeſimum agens,

in crucem ſublatus eſt: Euſtachius, et Placidius cum tota familia contrucidatur. Anacletus, tum Euariſtus, Pontifices max. necantur: Romæ præterea, uia Salaria CCLXII. martyres fiunt: Rauennæ Valentinus, Naualis, et Agricola: Tuderti, Feliciſſimus, Eraſtus, et Paulinus: Surenti, Quintilius, Quintilia, Marcus, et ſocij nouem: in portu Romano, Martialis, Epictetus, ac Saturninus: Romæ item, uia Tiburtina, Septem fratres: Concordiæ, Donatus, Secundianus, Romulus, et Socij LXXXVI. In Sardinia inſula, Aemilius, Lucianus, et Felix, mulier religioſiſſima: Cordubæ in Hiſpania, Petrus presbyter, Eutychius, Hieremias, et alij tres: In Africa, Petrus, Succeſſus, Baſſinus, Porphyrius, Vrbanus, Verolus, Secundinus et Socij XXII. Alexandriæ, Petrus, Seuerinus, et Leontius; Trypho item, et alij ducenti: Conſtantinopoli, Eulogius, Euphemia, Acacius, Demetrius, et alij quàm plurimi. Atque uſque adeo quidem crudeliter actum eſt; ut contra etiam ſacras martyrum reliquias oppugnatio fieret. Sunt, qui putant, Traianum, Chriſtianorum ſanguine ſatiatum, uetaſſe, eos in poſterum inquiri; at delatos puniri. Quod ſane omne cum facile cognoſcatur ex epiſtola Plinij ſecundi, proconſulis, ad illum ſcripta, rurſusq. ex illius reſcripto; non alienum ab inſtituto notationum noſtrarum putauimus, aſcribere hoc loco tum Plinij relationem, tum illud reſcriptum; ut de omni perſecutione accurate diſſeramus.

PLINIVS TRAIANO.

Solemne eſt mihi, Domine, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim poteſt melius uel cunctationem meam regere, uel ignorantiam inſtruere? Cognitionibus de Chriſtianis interfui numquam: ideo neſcio, quid, et quatenus aut puniri ſoleat, aut quæri. Nec mediocriter hæſitaui, ſit ne aliquod diſcrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil a robuſtioribus differant: detur ne pœnitentiæ uenia, et an ei, qui Chriſtianus fuit, deſiiſſe non proſit. Nomen ipſum etiam ſi flagitijs careat, an flagitia, nomini cohærentia, puniantur. Interim in ijs, qui ad me tamquam Chriſtiani deferebantur, hunc ſum ſecutus modum. Interrogaui ipſos, an eſſent Chriſtiani: confitentes, iterum ac tertio interrogaui, ſupplicium minatus: perſeuerantes, duci iuſſi. Neque enim dubitabam, qualecumque eſſet, quod faterentur, peruicatiam certè, et inflexibilem obſtinationem debere puniri. Fuerunt alij ſimilis amentiæ: quos, quia ciues Romani erant, adnotaui in urbem remittendos. Mox ipſo tractatu, ut fieri ſolet, diffundente ſe crimine, plures ſpecies inciderunt. Propoſitus eſt libellus ſine auctore, multorum nomina continens, qui negant ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe: cum, praeunte me, deos appellarent; et imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulacris numi

num adferri, thure ac uino ſupplicarent, præterea maledicerent Chriſto (quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt re uera Chriſtiani.) dimittendos putaui. Alij ab indice nominati ſe eſſe Chriſtianos dixerunt, et mox negauerunt: fuiſſe quidem, ſed deſiiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos non nemo etiam ante uiginti quoque. Omnes et imaginem tuam, deorumq. ſimulacra uenerati ſunt: ij, et Chriſto maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam uel culpæ ſuæ, uel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenq. Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum inuicem; ſeq. Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere; ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria, committerent; ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. Quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe: rurſuſq. coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, et innoxium. Quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum meum, quo ſecundũ mandata tua, et hetarias eſſe uetueram. Quo magis neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet ueri, et per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni, quàm ſuperſtitionem prauam, et immodicam: ideoq. dilata cognitione, ad conſulendum te decucurri. Viſa eſt mihi res digna conſultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriuſque ſexus etiam, uocantur in periculum, et uocabuntur. Neque enim ciuitates tantum, ſed uicos etiam, atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio peruagata eſt: quæ uidetur ſiſti, et corrigi poſſe. Certè ſatis conſtat, prope iam deſolata templa cepiſſe celebrari; et ſacra ſolemnia diu intermiſſa repeti; paſſimq. uenire uictimas, quarum adhuc rariſſimus emptor inueniebatur: ex quo facile eſt opinari, quæ turba hominum emendari poſſit, ſi ſit pœnitentiæ locus.

TRAIANVS PLINIO.

Actum, quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum, qui Chriſtiani delati fuerant, ſecutus es. Neque enim in uniuerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat, conſtitui poteſt. Conquirendi non ſunt. Si deferantur, et arguantur, puniendi ſunt: ita tamen, ut qui negauerit ſe Chriſtianum eſſe, idq.

re ipſa manifeſtum fecerit, ideſt ſupplicãdo dijs noſtris quamuis ſuſpectus in præteritum fuerit, ueniam ex pænitentia impetret. Sine auctore autem propoſiti libelli, nullo crimine, locum habere debent: nam et peſſimi exempli, nec noſtri ſæculi eſt.

Atque hoc quidem fuit Traiani de Chriſtianis iudicium; inquirendos ſcilicet eos non eſſe, at delatos, ſeu, ut in apologetico Tertullianus loquitur, oblatos puniri debere. Erat porro lege cautum, de flagitioſis hominibus conquiri: a qua lege Chriſtianos ille ſolutos eſſe uoluit. quod beneficium non exiguum fuit: cum enim præſidum inquiſitioni ſeruirent, qui uocabantur, Irenarchæ, et curioſi; ijq. Sycophantæ, eſſent, ab iſtorum inſidijs, atque calumnijs, eo reſcripto illos Traianus liberauit. Deinde neque ad ſocios indicandos Chriſtianum hominem torqueri uoluiſſe apparet: cum ex aliorum edictis antea contra factitatum ſit, ita ut, ſi unus aliquis chriſtianus comprehenſus erat, tota alioqui eccleſia in periculum uocaretur, cum is in quæſtionibus cogeretur eam prodere. Tum præterea Traianus noluiſſe uidetur, chriſtianos propter ſolum elogium, ſeu, quod uocant, notorium, ſine accuſatore, comprehendi, et interrogari. Itaque illius decretum executus Præſes quidam, qui Prudens nominabatur, miſſum ad ſe chriſtianum cum elogio, dimiſiſſe traditur ſciſſo elogio, et negaſſe ſine accuſatore ſe auditurum hominem. At uerò ſi rerum eccleſiaſticarum replicemus annales, comperiemus ſane minime fuiſſe ſemper a præſidibus in eo reſcripti genere obtemperatum Traiano: qui ſi aliquid indulſiſſe uidetur; nulla tamen uis eſſe potuit eccleſiæ magis inimica. Quæ res quoniam in promptu eſt, nihil attinet, cur pluribus diſſeratur.

Smyrnæ.) Quæ Ioniæ urbs, in amœno littore ſita, fluuio Melete alluitur; multis quidem nominibus illa celebris, at eò maxime, quòd euangelij lumen ab Apoſtolis acceperit. Polycarpus, eorum diſcipulus, Smyrnenſi eccleſiæ, cuius præclare acta leguntur, epiſcopus præfuit. Smyrnæ natus Irenæus, epiſcopus Lugduni; Tharſeas item Epiſcopus Eumeniæ, et martyr. Smyrnenſes præterea martyres innumerabiles leguntur: de martyribus item extant tabulæ, litteræq. Smyrnenſis eccleſiæ.

s. Pionij.) Cuius martyrium a Smyrnenſis eccleſiæ fratribus fuſe copioſeq. explicatum, breuiter exſcriptum legimus apud Euſebium lib. 4. cap. 14. hiſt. eccl. Ex illa uerò epiſtola fratrum, qui martyrio præſentes adfuerant, Simeo Metaphraſtes accepit multa: quæ apud Surium leguntur in tom. 1. de ſanctis.

s. Tryphonis martyris.) Cuius martyrium ex Menologio græco latine ſummatim expreſſimus; at copioſe legas licet apud Surium: qui illud, à Metaphraſte concione expoſitum, in tomo. 1. de ſanct. deſcripſit.

ss. martyrum, Victorini, Victoris, Nicephori, et aliorum.) Horum egregias pro fide Chriſti dimicationes, fortiter conſtanterq. ſuſceptas, græce explicatas, latine redditas, adſcripſimus Martyrologio.

s. Seueri epiſcopi.) Vt ex tabulis monimentiſq. perſpeximus eccleſiæ Mediolanenſis: in qua illius dies natalis calendis Februarij agitur; ut Rauennæ item, cuius urbis epiſcopatum geſſit. Porrò Seuerus Rauennas, alius ab epiſcopo, fuit qui hoc ipſo die, Maximiano Imperatore, pro Chriſto necatus, martyrio coronatur. De Seuero epiſcopo Pet. Damianus, Cardinalis, ſermones duos habuit: ſcribit præterea Surius in tom. 1. de ſanctis.

s. Seueri item epiſcopi.) Qui, à Nicaſio, eccleſiæ Rothomagenſis epiſcopo 1. et martyre, epiſcopus IV. fuit.

ss. epp. et martt. Eugenij, Vindemialis, et Longini.) Ex M. S. codd.

s. Brigidæ uirginis.) Cuius uitam Laurentius Dunelmenſis litteris mandauit: tu uero uide Surium in tom. 1. de ſanctis. et s. Antoninum in par. 2. Chron.

s. Pauli epiſcopi.) Vſuardus, Beda, et Martt. M. S.

s. Vrſi ep.) Ex probato Martyrologio.

s. Sigeberti regis.) Cuius uita ſcripta eſt a Sigeberto, annalium ſcriptore.

Quarto nonas Februarij.

Purificatio beatæ Mariæ uirginis.) Quæ ὑπαπαντὴ τοῦ κυρίου græce uocatur, ὑπαντὴ a Beda, Rabano, et alijs, itidem in Ordine Romano ſcribitur. De ſolemni hac celebritate extant conciones patrum græcorum, s. Gregorij Nazianzeni, homilia, de luminibus, aut de ſecundis epiphanijs inſcripta, s. Ioannis Chryſoſtomi multæ, non dum editæ, s. Gregorij Nyſeni, Cyrilli Alexandrini, Amphilochij Iconienſis, Andreæ præterea Cretenſis, Georgij Nicomedienſis; aliquæ item nondum conuerſæ, neque in lucem emiſſæ, quæ Florentiæ in bibliotheca ſancti Laurentij aſſeruantur; Timothei presbyteri Hieroſolimitani; latinorum etiam ſermones, ut s. Auguſtini, Bedæ, Innocentij Tertij Papæ, s. Bernardi, Honorij presbyteri, Ambroſij Audberti, Radulphi Ardentij, Guerrici Abbatis Igniacenſis, Iuonis epiſcopi Carnotenſis, et aliorum. Quòd uerò Nicephorus lib 7. cap. 28. hiſt. eccl. ſcribit, Iuſtiniani maioris conſtitutione, illius celebritatis ſolemnitatem inſtitutam eſſe, eum aberrare perſpicuum ſit ex ijs concionibus, quas ſupra commemorauimus, Græcorum, qui illum ætate præcedentes, teſtatum faciunt, eam multis ante temporibus in eccleſia Dei celebratam eſſe. Porrò Sergius 1. pontifex illum diem proceſſione, litaniaue publica non ſine myſterij ſignificatione agi uoluit: cuius diei officium, antiphonis explicatum à s. Gregorio 1. in illius antiphonario libro extat: at antiphonæ, græce, latineq. in eodem libro expoſitæ, cum ad proceſſionis illius ritum pertineant, adſcribuntur eidem Sergio Pontifici. Atqui de huius ipſius diei ritibus, ac cærimonijs ſcriptum eſt ab Alcuino, Amalario lib. 3. ca. 43. Micrologo cap. 48. Ord. Rom. a Durantio, Beletho, et Sicardo. Eſt hic dies, more Romano, in diebus feſtis, beatæ Mariæ uirgini dicatis, Ambroſiano autem in ſolemnitatibus Domini ex ritu Græcorum: qui etiam hoc ipſo die hanc celebritatem agunt, ut ex Menologio, et conſtitutione græca, de ferijs inſcripta, animaduertimus.

s. Cornelij Centurionis.) De quo in actis Apoſtolorum ſcriptum eſt cap. 10. Græci illius diem natalem celebrant idibus Septembris; quo die Metaphraſtes de illius uita concionem habet: at latini, Vſuardus, Bedaq. et ceteri illum huic diei adſcribunt.

s. Laureliani martyris.) De quo Iacobus Guallius memoriæ prodidit in libro de ſanctis Pap. noſq. accepimus etiam ex Martyrol. M. S.

s. Aproniani.) De hoc a notarijs S.R.E. relatum eſt in geſta s. Marcelli Papæ: quæ apud Surium extant in tomo. 1. de ſanct. De eodem breui Vſuardus, copioſius Beda ſcribit.

ss. martyrum, Fortunati, Feliciani etc.) Vſuardus, et M. S. codices.

ss. triginta millium martyrum.) Anno Domini CCCV. Diocletiano VII. et Maximiano VII. conſulibus, ut ex eccleſiaſticorum annalium tabulis animaduertimus, quibus præterea proditum eſt, eo ipſo anno contra Chriſtianos crudeliter actum eſſe.

s. Firmiliani epiſcopi.) Euſeb. lib. 6. cap. 20. hiſt. eccl. et lib. 7. cap. 25.

ſ. Hoſculi.) Vſuardus, et M. S.

ſ. Laurentij archiepiſcopi.) Beda lib. 2. cap. 4. et 6. hiſt. Anglorum: et Polydorus lib. 4. in principio hiſt. Angl.

ſ. Sicharia.) Beda, et M. S.

Tertio nonas Februarij.

ſ. Blaſij.) Cuius diem natalem Vſuardus, ut in pleriſque etiam, antiquis Martyrologijs eſt, adſcribit XV. calendas Martij: Ado autem in hoc ipſo die: copioſiuſq. explicat illius martyrium, quàm ceteri. Eiuſdem celebritatem Græci agunt. III. idus Februarij, ut e Menologio cognouimus. Vita ſcripta eſt a Metaphraſte, et a Surio relata in uolumen 1. de ſanctis. Scribunt item de eo, ſ. Antoninus, Beluacenſis; Mombrinus, Honorius presb. in ſpeculo eccl.

Mulieres præterea ſeptem.) Quarum martyrium Beda narrat pridie huius diei, qui eſt IIII. nonas.

ſſ. martyrum, Celerini diaconi, et reliquorum.) Quorum ſ. Cyprianus meminit ep. 4. lib. 5. et lib. 2. ep. 5. Extat apud eundem Celerini ad Lucianum epiſtola; ruſuſq. huius ad illum altera. Pluribus autem Pammelius de Celerino in illis epiſtolis diſſerit.

Laurentini.) Aliàs, Laurentij, ſed Laurentini, retinuimus, ſicut Beda, Vſuardus, Ado et Martyrologia Guilielmitarum Brugenſium habent; ſicq. apud Cyprianum legi animaduertimus.

Vna cum Moyſe, Maximo.) Ad quos idem ſ. Cyprianus epiſtolam ſcripſit: quæ quarta numeratur in lib. 2. ep. Eorumdemq. ſ. Damaſus meminit in uita ſ. Fabiani.

Rufino, Vrbano, Sidonio.) De ijs Dionyſius Alexandrinus ſcribit apud Euſebium lib. 6. cap. 24. hiſt. eccl.

Ignatius.) Sic et in manuſcriptis, et in impreſſis legitur, licet plerique pronuncient, Egnatius.

ſſ. Adriani, et Euboli, martyrum.) Quorum martyrium, græce explicatum, latine reddidimus.

Hamburgi.) De Hamburgenſi, et Bremenſi eccleſia extant litteræ Nicolai I. pont. apud Crantium lib. 1. Metropolis. cap. 38. et 39.

ſ. Anſgarij.) Aliàs Anſcharij: cuius uitam, et res ſancte, diuinituſq. geſtas Rembertus litteris conſignauit. De eo item Crantius in Metropoli.

Traiecti.) Quod oppidum, ad Moſam fluuium ſitum, Ammianus Marcellinus nominat Obtricenſe Moſæ oppidum. Ita autem appellatum eſt a traijciendo flumine: quoniam eo loco Moſa ponte traijciebatur: cuius et pontis, et oppidi Romanos auctores fuiſſe proditum eſt. Traiectenſes uero, ut Eburonenſes, Namurcenſes, fidei chriſtianæ initia acceperunt ſtudio, et opera ſſ. Materni, Eucharij, Valerij, et Meanij: quos beatus Petrus, Apoſtolorum princeps, prædicationis cauſa in Galliam miſerat. Porrò Traiectenſium epiſcoporum ordinem Ioannes Placētius conſcripſit: quem cernere licet apud Democharem. lib. de ſacriſ. Miſſæ.

ſ. Remacli.) Ex Calendario eccleſiæ Traiectenſis, Indiculo Belgij, et Catalogo Placentij. De eo ſcribunt, Sigelbertus, ſ. Antoninus, par. 2. Chr. M. Marulus lib. 11. cap. 6. Sed nos de eo ſcripſimus tertio nonas Septembris.

ſ. Lupicini epiſcopi.) Ex Martyrologio Rom. et Calendario eccleſiæ Lugdunenſis, et Beda.

Felicis,

Felicis, et Celerini.) Addidimus ex Martyrologio M. S. perantiquo.

s. Euentij epiſcopi, et confeſſoris.) Beda, et Ado in Chron. Alij Euantium eum nominant: qui Synodo Matiſconenſi I. et II. interfuit.

ss. uirginum, Berlendis, Nonæ, et Celſæ.) Ex Calendario, et Indiculo Belgij.

ss. Epiſcoporum, Tingidis, et Remodij.) Vſuardus: ſed codex, manu exaratus habet, Tygridis, pro, Tingidis.

Apud oppidum Viſetum.) Quod Belgij eſt, ſitum inter Traiectum, et Leodiũ.

s. Hadelini confeſſoris.) Ex monimentis eccleſiæ Leodienſis, et Indiculo Belgij. Fuit is, ſancti Remacli epiſcopi diſcipulus.

Translatio s. Vualdetrudis.) Cuius dies natalis in monte Caſtriloco agitur quinto idus Aprilis. Ex calendario Belgij, et Indiculo.

Pridie nonas Februarij.

Romæ in foro Sempronij.) Sic apud Vſuardum, et in pleriſque codicibus ſcriptum eſt: uerum Beda legit, In foro Symphronij: nos tamen nuſquam in urbe comperimus forum, neque Sempronij, nec uero, Simphronij; at in Picentibus.

ss. Aquilini, Gemini, Gelaſij, Magni, Donati.) Vſuardus, Beda: nos ex codice, manu ſcripto, addidimus, Hippolyti, et Boſtreni: de quibus item in Chronicis Euſebij proditum eſt.

s. Simeonis prophetæ.) De quo s. Lucas cap. 2. et B. Cyprianus in ſer. de mortalitate, et Timotheus presb. Hieroſol. in concione, quam de illo ſcripſit; et Paulinus Aquileienſis hymnum confecit. Eius uero diem natalem s. Hieronymus, Ado, et Vſuardus adſcribunt Octauo idus Octobris: ſed græci hoc ipſo die celebrant, ut eſt in eorum Horologio, Menologio, et Euchologio. Equilinus item ab ijs non diſſentit.

s. Veronicæ.) Ex monimentis eccleſiæ Mediolanenſis. De ea Geruaſius Tilebenenſis, Blondus, et alij ſcribunt: quæ uero Beluacenſis narrat, magna ex parte in apocryphis cenſentur: præſertim quæcumque accepit ab Nicodemi euangelio.

Sudarium attulit.) Quod Romæ in baſilica s. Petri religioſe aſſeruatur, operculo extructo ſuper altari: quod olim ab Ioanne ſeptimo dicatum, hodie eſt è conſpectu Portæ ſanctæ Iubilei.

ss. martyrum, Papiæ, Diodori, et Claudiani.) E græcorum monimentis horum martyrium expreſsimus.

s. Abramij epiſcopi, et martyris.) Cuius martyrium, a græcis copioſius exponitur.

Thamne.) Quæ a Ptolomæo Thumuis, ab Hieronymo, Euſebio, Antonino et ab alijs Thmuis nominatur. Ad Thmuis autem ciues extat epiſtola, ab Philea epiſcopo, luculenter ſcripta, de martyrijs, quæ eius ætate in Aegypto contigerunt. Quam epiſtolam Euſebius retulit in librum VIII. hiſt. eccl. cap. XI.

s. Phileæ epiſcopi.) Qui, ob politiorum litterarum notitiam omnium ſermone celebratus, præter cetera, et librum de martyrum laude, et epiſtolam ſcripſit; cuius mox ſupra meminimus. De eo Euſebius lib. 8. cap. 10. et 11. hiſt. eccl. et Nicephorus item; Beda, Ado, atque Vſuardus, et s. Hier. lib. de eccl. ſcript.

Philoromi tribuni.) Euſ. ibidem, ac reliqui.

Peluſij.) Quæ urbs, ad Nili oſtium ſita, ab Aelio Adriano, Aeliopolis, nunc Damiata, uulgo uocitata, iam inde ab ineunte christiana religione, fidem Christi una cum tota Aegypto percepit a ſancto Marco, B. Petri Romæ diſcipulo. Genuit

quiſ uiros, ſanctitatis,et doctrinæ laude illuſtres,ut Iſidorum Peluſiotam,de quo mox infra dicemus; Arſenium, Senatoris filium,quatraginta ipſis annis in heremo nutritum, et alios,de quibus alius erit locus ſcribendi. Eius urbis epiſcopus in Concilio Nicæno interfuit Dorotheus Peluſianus.

s. Iſidori.) De quo ſcriptum eſt in Synodo Nicæna poſteriore,quæ ſeptima uocatur; et ab Euagrio lib. 1. cap. 15. ab Suida,Nicephoro lib. 14. cap. 53. et a Græcis in Horologio. Fuit is optimus Chryſoſtomi auditor: ſcripſit epiſtolarum duodecim millia: e quibus uolumen magnum aſſeruatur Venetijs in bibliotheca Marciana.

s. Victoriæ uiduæ.) Ex codice M. S.

s. Auentini.) Vſuardus,et Gr. Tur. lib. de conf. cap. 68.

s. Liephardi martyris.) Ex Calendario,et Indiculo Belgij; et ex monimentis eccleſiæ Cameracenſis.

s. Gilberti confeſſoris.) Ex martyrologio Romano, et Sigelberto.

Bremæ.) De cuius epiſcopatu ſcriptum eſt in litteris Nicolai 1. pont. apud Crantium in metrop.

s. Remberti.) Cuius uitam Surius adſcripſit uolumini 1. de ſanctis. De illo Albertus Crantius lib. 2. cap. 10. et 11. metrop. et Bauo Corbeienſis.

s. Obitij confeſſoris.) Ex monimentis eccleſiæ Brixienſis.

Nonis Februarij.

Catanæ in Sicilia.) Inſula Sicilia, tribus promontoriis,Peloro, Pachyno,Lilybeo definita,græce Trinacria,et latine Triquetra etiam appellata,agri ubertate, oppidorum antiquitate,ac frequentia,rerumq. geſtarum memoria nobilis, omniũ ſcriptorum tum latinorum, tum græcorum monimentis, et in Verrinis potiſſimum actionibus a M. Tullio celebrata,urbes olim ſeptuaginta Plinij ætate habuit. Verè autem clara eſt ob B. Pauli Apoſtoli memoriam; quem s. Lucas ſcribit, e Melite naui Alexandrina uectum Syracuſis triduo egiſſe. Quæ ſane res argumento eſt, Siculos a primordio prædicationis Euangelicæ, fidei rudimentis inſtructos eſſe. In quam nos opinionem illud quoque confirmat, quòd Tauromenij in Sicilia epiſcopus a B. Petro, Apoſtolorum principe, s. Pancratius conſtituitur: cui ſucceſſit s. Maximus,itidem Apoſtoli diſcipulus; Syracuſis præterea Marcianus ab eodem B. Petro epiſcopus conſecratur. Habet hodie hæc inſula tres Metropolitas;quorum primus Panormitanus tribus præeſt epiſcopis, Agrigentino, Mazarenſi,et Milcuitano: Secundus duobus,præficitur epiſcopis,s. Marci,et Miletenſi, tertius duos habet epiſcopos,Syracuſanum,et Catanenſem. Porro Catana,cum aliarum rerum monimentis urbs illuſtris eſt, tum longe clariſſima martyrio, ſepulcro,et templo religioſiſſimo, quod Vrbano 11. pont. Angerius epiſcopus extruxit,beatiſſimæ Agathæ uirginis: de qua mox infra ſcribimus.

s. Agathæ.) Cuius dies natalis perpetuò in eccleſia Dei celebratus eſt; ut cognoſci licet cum ex hymno,quem B. Damaſus de illa ſcripſit, tum ex ſermone Simonis Metaphraſtis. Quod ſane planius confirmant, et lectionarius s. Hieronymi,et Antiphonarius,et liber ſacramentorum s. Gregorij, ijs enim libris traduntur lectiones,antiphonæ, et reliqua, quæ ad anniuerſarij feſti illius diei officium diuinum pertinent. Extat præterea in eccleſia Mediolanenſi præfatio Ambroſiana,et alia item uetus,quam Gelaſianam putant. De ea ſcribunt Ado, idem Metaphraſtes,Beda,Vſuardus,Honorius presb. in ſpec. s. Antoninus,Beluacenſis,Aequi-
linus,

linus,Mombrinus, Vernerius, Durandius, Laziardus Cæleſtinus, Volaterranus, Hermanus,Gaſſarus,et Surius. Poſtremo autem illius uitam ex priſcis monimentis eccleſiæ Romanæ contexuit M. Antonius, Archipresbyter s. Mariæ Rotundæ Romæ. Græci item in Menologio,et Horologio. Eſt s. Agathæ dies feſtus ex generali conſuetudine,inquit Tungrenſis, prop. XVII.

Decio Imperatore.) Sic Breuiarii, et Romani, et Benedictini Caſſinenſis, et Gebennenſis, et Curienſis, et Ambroſiani litteris proditum eſt: quibus conſentiunt eccleſiaſtici annales. Beda autem, Agatham uirginem, Diocletiano Imperatore, martyrio coronatam eſſe ſcribit.

s. Iſidori martyris.) De cuius martyrio ſermonem Metaphraſtes contexuit, ut eſt apud Lippomanum.

s. Auiti epiſcopi.) Gr. Tur. lib. 2. hiſt. Beda, Vſuardus, et Ado in Chron. Nominatus eſt autem Alchimus Auitus, uir tum ſanctimoniæ, tum doctrinæ laude clarus. Cuius libri ſex, heroico uerſu in Geneſim, et Exodum, conſcripti, Viennæ aſſeruari dicuntur. Interfuit is in concilio Epaunenſi.

ss. Ingenuini, et Albini.) Ex Martyrologio M. S. Ingenuini meminit Paulus Diaconus lib. 3, cap. 12. uitam ſcripſit Bartholomæus Tridentinus.

s. Bertulfi.) Cuius uitam, ueteri ſtylo exaratam, elegantius redditam, Surius retulit in uolumen 1. de ſanctis. Ex Calendario, et Indiculo Belgij.

Octauo idus Februarij.

s. Dorotheæ.) Cæſarienſis ſcilicet, Fuit enim altera Alexandrina: de ſua ſcribit Euſebius lib. 8. cap. 27. et Rufinus cap. 16. Huius res, fortiter actas, et illas quidem multas narrat Thomas de Chempis ſer. 8. Vitam habet Surius, et Vuicellius item. Beda, Vſuardus, et Ado in Martyrologijs.

Theophilus Scholaſticus.) Cuius martyrium exponitur in actis Dorotheæ. Fuit autẽ hic in cauſis fictis agendis uerſatus, qui propterea ſcholaſticus ab Vſuardo nominatur, ab alijs declamator.

s. Fauſtæ uirginis, et ſociorum.) Quorũ martyriũ accepimus e tabulis græcis.

ss. martyrium, Siluani epiſcopi, Lucæ diaconi.) Latine reddimus, quod de horum martyrio, græcis litteris conſignatum eſt.

Romæ, ss. martyrum, Saturnini, Theophili, et Reuocati.) Ex M. S. martyrologio, et R.

s. Soteris.) De qua s. Amb. lib. 3. et 4. de uirginibus, Beda, et in extrema parte libri de martyrio s. Pancratij.

s. Antholiani.) Cuius uitam memoriæ ad poſteritatem prodidit Præiectus, epiſcopus Aruernorum; ac meminit præterea Gr. Tur. lib. de gloria mart. cap. 65. Vſuardus item; ac Beda, qui Anatholium illum uocat; Sed paſſim in codicibus uetuſtis, recte exaratis, legimus, Anthohenum.

s. Vedaſti.) Huius res, ſancte geſtas, primum litteris mandauit Alcuinus. Eas legi licet apud Bedam tom. 3. et apud Surium tom. 1. Extat etiam liber de eius miraculis, ab Haymino editus, alter præterea de eiuſdem uirtutibus. De eo ſcribunt quoque, et s. Antoninus, et Beluacenſis, et alii.

s. Amandi.) Vſuardus, Beda, s. Antoninus in chron. par. 2. tit. 12. Illius uita, a quodam Philippo olim contexta, a Surio refertur in uolumen 1. de ſanctis.

ss. omnium Traiecti epiſcoporum.) Ex Calendario, et Indiculo Belgii. De ſingulis autem nos ſuo loco.

In

In Græcia ſ. Bucoli, Smyrnæ epiſcopi, ut in Menologio, et Horologio ſcriptum eſt. Fuit is, Ioannis Apoſtoli diſcipulus, habuitq. in epiſcopatu ſucceſſorem, B. Polycarpum.

Septimo idus Februarij.

ſ. Auguli epiſcopi.) Ado, Vſuardus, Beda, Vandelbertus, et Hermanus.

ſs. Trium millium martyrum.) Vt litteris græcis proditum eſt, a quibus accepimus, quæ de ijs ipſis in Martyrologium noſtrum retulimus.

ſ. Adauci martyris.) Huius, et aliorum innumerabilium ſociorum martyrium Euſebius exponit lib. 8. cap. 23. Ruf. cap. 11. et Nicephorus. Hunc plerique Adauctum uocant; ſed Adaucum pronunciari debere, oſtendunt græca Euſebii monimenta.

ſ. Moyſetis.) Sozomenus lib. 8. cap. 38. Ruffinus lib. 11. cap. 6. hiſt. eccl. Caſſiodorus lib. 8. cap. 1. Trip. hiſt. ſ. Antoninus in chron. par. 2. tit. 5. Heraclides monachus cap. 8. Vſuardus, ac Beda præterea copioſius.

ſ. Chryſolij.) Ex Calendario, et Indiculo Belgii.

ſ. Iulianæ uiduæ.) ſ. Ambroſius in ſer. de inuent. corp. ſs. Vitalis, et Agricolæ. Ex M. S. cod.

ſ. Pauli.) Helias Capreolus in annalibus Brixiæ ciuitatis.

Sexto idus Februarij.

ſ. Inuentii epiſcopi.) Ex Calendario eccleſiæ Papienſis: at Ado, Vſuardus, et Equilinus, huius diem natalem adſcribunt pridie Idus Septemb. Eius uitam primo ſcripſit Paulus diaconus; deinde Iacobus Gualliꝰ lib. 2. cap. 5. de epp. Papiæ. Iuentium alii dicunt, nos Inuentium ſcripſimus, ut plerique omnes.

ſ. Cointhæ.) Martyrium ſcribit Dionyſius Alex. apud Euſeb. lib. 6. cap. 34. hiſt. eccl. et apud Nicephorum. Beda, Vſuardus, et alii meminerunt. Conitam falſo quidam nominant.

ſs. Dionyſii, Aemyliani, et Sebaſtiani.) Vſuardus, Vuandalbertus, Beda, et cod. M. S.

ſs. Pauli epiſcopi, Lucii, et Cyriaci.) Ex M. S. cod. et Martyrologio R.

ſ. Theodori martyris.) Cuius res fortiter ſancteq. pro Chriſto geſtæ, cum a Metaphraſte concione celebrantur, tum ab eccleſia Græca concinuntur, ut in Horologio traditæ ſunt.

ſs. martyrũ, Marthæ, et Mariæ.) Harũ martyrium expreſſimus e tabulis græcis.

ſ. Salomonis martyris.) Eulogius, et Vſuardus.

ſ. Pauli epiſcopi.) Huius uitam, a Berchario presbytero, Dadonis Virdunenſis epiſcopi iuſſu ſcriptam, Surius retulit in uolumen 1. de ſanctis.

Quinto idus Februarij.

ſ. Apolloniæ.) Martyrium ſcribit Dionyſius Alexandrinus, apud Euſebium lib. 6. cap. 34. hiſtoriæ eccl. Vſuardus item, ac Beda breuiter in Martyrol.

s. Nicephori martyris.) Ex monimentis Græcis, atque ex ſermone Simeonis Metaphraſtis, qui extat apud Lippomanum.

ss. Ammonis, et Alexandri.) Vſuardus, et Beda.

s. Ansberti.) Vita, iam ab Angrado conſcripta, apud Surium extat, in uol. 1.

Quarto idus Februarij.

ss. martyrum, Irenæi, Zotici et ſociorum.) Ex Beda, Vſuardo, Adone, et ex annalibus eccleſiaſticis; et martyrologijs, manu ſcriptis. In Deciana perſecutione.) Anno Domini circiter CCLV. Gallo, et Voluſiano conſſ. Quo anno exoritur ultio uiolati nominis chriſtiani et quatenus ad profligãdas eccleſias, id quod Oroſius lib. 7. cap. 21. ſcribit, edicta Decij cucurrerunt; eatenus incredibilium morborum peſtis extenditur. Nulla ferè prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illâ generali peſtilentia correpta, atque uaſtata ſit. De hac acerbiſſima peſte, ſancti Cypriani martyris ſermo extat, de mortalitate inſcriptus, ſicut eiuſdem meminit Euſebius, ac Nicephorus item. qua in calamitate mirifice eluxit pietas chriſtianorum: qui adeò immenſo quodam charitatis ardore erant inflammati, ut minimè ſuæ parcentes uitæ, ſed ipſi ſibi inter ſe firme adhæreſcentes, eos, qui morbo opprimebantur, nulla ſui cura, aut cautione adhibita, ſedulo inuiſerent, illis inſeruirent aſſidue, pro uiribus ob Chriſti amorem eoſdem curarent: ipſiq. aliorum mortem in ſe deriuantes, libenter ex hac uita decederent. Porrò Deciana perſecutio ſeptima numeratur. Occiſo enim Philippo Imperatori, qui ad tuendam fidelium cauſam imperio uſus, et chriſtianæ religioni nomen palam dediſſe, et Eccleſiæ ſuos faſces ſummiſiſſe traditur, ſucceſſit, qui illius cædem fecit, Decius. Iſte ſane, uehementi aduerſus illum odio exardeſcens, contra chriſtianos acerbius, atque iniquius ſe geſſit, quippe cum homo eſſet, omni impietate barbarus. quamobrem ubique gentium ſtragem illorum, longe maximam edidit, magna cum teſtificatione acerbiſſimæ, teterrimæq. crudelitatis ſuæ: quæ longe grauior, atque in noſtris importunior extitit; cum carnificinæ ſuæ ſatellites, et miniſtros habuerit, iniquiores, et urbis Romæ præfectos, et prouinciarum præſides Datianum, Quintianum, Promotum, Gallum, et Valerianum, ut cognoſci licet e Prudētij libro περὶ στεφάνων, alijsq. de martyrũ uictoria monimentis, poſteritati traditis. Romæ, in hac ſicarij hominis crudeliſſima perſecutione, ſancti, Fabianus, Cornelius, Xyſtus, pontifices Maximi; Laurentius, Hippolytus, procurator ipſius Decij, et tota eius familia; Secundianus item, Veranius, et Marcellinus; Abdon, et Sennen; Calocerus, et Patermius, coniugis Decij eunuchi; Victoria uirgo Romana; Florentiæ, Miniatus; Aretij, Pergentinus, et Valentinus, fratres; Camerini, Venãtius; apud Fulginates, Felicianus; In Sicilia, Agatha uirgo, Cæſareæ in Cappadocia, Germanus, Theophilus, Cæſareus, Vitalis, et Reparata item uirgo, Antiochiæ, Babylas epiſcopus, et Quatraginta præterea uirgines; In Germania, Tripho, Reſpicius, Nimpha, Ambiani in Germania, Maximus diaconus; In Hiſpania, Cæſareæ Auguſtæ, Quintilianus, Caſſianus, Saturninus, Publius, Vrbanus, Martialis, Fauſtus, Succeſſus, Felix, Ianuarius, Primitiuus, Euotus, Cicilianus, Optatus, Fronto, Lupertus, Apodemus, et Iulius, præclaris fidei confeſſionibus nobilitati, multisq. exantlatis demum laboribus, coronantur. Sunt alij item multi, uel infiniti potius, ut Apollonia uirgo, Ammonaria, Mercuria, Dionyſia, Iſchyriones, et Iulianus ſocius, Epimachus, Alexander, Iſidorus Alexandrinus, Macharius Libycus, Agatho, Leontius, Tirſus, Calomnius, Marianus, et Iacobus, qui fortiſſimi

Chriſti

Chriſti milites, barbarā, truculentaq. Decij ſuperatā immanitate, uictores palmam martyrij tulerunt. Sed ne rem longius faciamus; innumerabiles tot martyrum cohortes, totq. exquiſita nouarum, et horribilium pœnarum, ac ſuppliciorum genera, ſilentio præterimus. Eſt illud omnium litteris proditum, ubique, Decio Imperatore, fuiſſe publica uoce preconum propoſitam acerbiſſimam ſingulis necem, quicunque conuicijs chriſtianam religionem non proſcinderent. Vt autem ad impiā ſuperſtitionem tyrannus mulieres chriſtianas abduceret; Romæ edixit, ne illæ caput uelarent, cum ſperaret, ea inuſta turpitudinis labe potuiſſe auerti; ſed contra factum eſt. At certamina, et dimicationes eorum, qui in Deciana iſta perſecutione martyrium pertulerunt, s. Dionyſius, Alexandriæ epiſcopus pluribus exponit epiſtola, Ad Fabium Antiochenum ſcripta: quam, Martyrologij noſtri rationibus, atque uſui accomadatam, hoc loco exſcribere libuit.

DIONISIVS, FABIO, ANTIOCHIAE EPISCOPO.

Non ex Imperatoris edicto perſecutio apud nos incæpta fuit, ſed integro anno prauerterat. Nam uates (quiſquis ille fuerit) malorum omnium, quæ huic ciuitati acciderunt, architectus, infinitā gentilium turbam contra nos incitauerat, impuleratq., atque adeo ad patriam ſuam, et antiquam ſuperſtitionem defendendam magnopere inſtigarat. Qui ab illo ad maleuolentiam irritati: omnemq. aucupati licentiam ad ſcelus patrandum, ſolam pietatem, et uerum cultum demonum ſuorum, iſtum cenſuerunt, ut chriſtianorum cæde, et ſanguine ſuas crudeles manus reſpergerent. Primum igitur ſenem quendam, Metram nomine, arreptum, impia uerba contra Deum loqui mandant: cuius corpus, propterea quòd eorum uoluntati repugnabat, fuſtibus cædunt, uultū oculoſq. præacutis arundinibus pungunt, ipſumq. adeo ad ſuburbia abductum, lapidibus obruunt. Deinde fidelem mulierem, quæ uocabatur Quinta, ad idolorum delubrum ducere, et ad falſos deos uenerandos impellere cœperunt: eamque, cum ſe auerteret, et talem cultum deteſtaretur, pedibus conſtrictus, per uniuerſa urbis plateas, aſperis ſaxis conſtratas raptare, et ſimul ac corpus eius ad ſaxa molaria alliſiſſent, et flagris pariter laceraſſent, ad ſuburbia trahere, ibique crebro ſaxorum conjectu obterere. Tum uero uno quaſi animorum impetu omnes in piorum ædes irruere, et ſinguli, quos ſibi uicinos eſſe cognouerant, propere educere, expoliare, diripere: et diuitias, ac ſupellectilem, ſi qua erat pratioſior, ſibi ſeponere: ſi qua uilior, ſordidior, et ex

 ligno

ligno confecta, in uijs diſſipare, deinde exurere: adeo ut ciuitas illa ueram ſpeciem urbis ab hoſtibus captæ diſpoliatæq. probe repræſentaret. Fratres ergo deflectere è uia, et in loca ſeparata ac ſolitaria ſe ſubducere: rapinam bonorum ſuorum ſimiliter cum illis, quibus Paulus illuſtre perhibet teſtimonium, cum gaudio ſuſcipere. Atque haud ſcio utrum quiſquam præter aliquem unum alicubi fortaſſe, hucuſque Dominum denegauerit. Apolloniam porro uirginem id temporis cum primis admirandam, et admodum prouectam ætate comprehendunt, maxilliſq. eius crudeliter diuerberatis, omnes dentes illi excutiunt: atque rogo in ſuburbijs extructo, minantur, niſi uerba blaſphemiæ una cũ ipſis, palam eloqueretur, ſe eam uiuam crematuros. Illa paululum temporis ad deliberandum precata, et dimiſſa ex eorum manibus, ſine mora inſilit in rogum, ſicq. flammarum incendio abſumpta eſt. Serapionem item proprio lare abſtractum, diris concidunt tormentis, et omnibus membrorum articulis confractis, ex loco edito præcipitem deijciunt. Nullus itineris flexus, nulla uia publica, nullus angiportus erat, in quo tutò uel noctu, uel interdiu liceret incedere: quippe omnes ubiq. uno ore conclamabant, ſi quis è chriſtianorum numero impia, et prophana uerba effari recuſauerit, rapiatur extemplò, et in ignem conijciatur. Atque iſta mala hoc modo non ad exiguum temporis ſpatium graſſata ſunt, uerum tandem ſeditio, et bellum inteſtinum, quod in illos miſeros poſtea inuaſit, crudelitatem contra nos exercitam in ipſorum capita conuertit: unde nos quidem, dum illorum furor in nos incenſus alijs rebus implicatus tenebatur, pauliſper reſpirauimus, uerum confeſtim animum imperatoris, qui clementius aliquanto et humanius uidebatur erga nos antea affectus, omnino commutatum eſſe, nobis nuntiatum eſt. Quapropter minarum formido in nos iactatarum uehementer accreſcebat. Nam Decij edictum erat iam diuulgatum, illudque tale profecto uidebatur, quale Dominus prædixerat futurum: in quo terribiliſſima illa eius propemodum explebatur ſententia, nimirũ electos, ſi poſſibile eſſet, in errorem inductos fore.

Quæ autem, et quàm turbulentæ procellæ ipſum Dionyſium iſtius perſecutionis tempore exagitarint, epiſtola ſignificat, ab eodem ad Germanum exarata: quæ ut illa, mox ſupra deſcripta, extat apud Euſebium lib. 6. cap. 36. hiſt. eccl. Decius

uero, qui tam graue; atroxq. chriſtianis bellum indixit ac geſſit, ſicut ceteri eccleſiæ Dei hoſtes, impietatis ſuæ pœnas dedit, ut pote a Gothis cum filio miſere occiſus. Cuius cadauer, in paludem proiectum, nuſquam inuentum eſt.

ss. Decem militum martyrum.) Via ſcilicet Lauicana, Romæ, ut ſcribit Vſuardus, ac Beda.

s. Soteris uirginis.) De qua ſupra ſcripſimus.

ss. Charalampi, Porphyrij, et ſociorum.) Ex Horologio: quo libro, certamina ab ijs ſuſcepta pro Chriſto, uberius expoſita, legimus. De Seueri autem perſecutione, alio loco a nobis dictum eſt.

s. Scholaſticæ.) Vſuardus, Beda; Martyrologium monachorum s. Benedicti; Ioannes Trithemius lib. de uir. ill. ordinis s. Benedicti; Annales montis Caſſini: et in primis s. Gregorius lib. dial. 2. cap. 33. et 34. De qua extat item Homilia Bedæ, in tom. 7.

s. Gulielmi confeſſoris.) In Martyrologio ſcripto. De eo ſcribit Volaterranus lib. 21. com. et Venerius. Illius uitam, Albertus, egregius tanti magiſtri diſcipulus, et Theobaldus, ſoluta oratione complexi ſunt. Cornelius autem Grapheus uerſibus. Tu uide Surium tom. 1.

Quieuit in Domino.) Anno circiter M C L V I I I.

s. Siluani.) Beda.

s. Auſtrebertæ.) Cuius uita, ab Surio exſcripta eſt tom. 1. de ſanctis.

Tertio idus Februarij.

ss. martyrum, Saturnini presbyteri. Patiui, et ſociorum.) Ex Martyrologio M.S, et annalibus eccleſiaſticis, Horum martyrium Vſuardus ſcribit pridie Idus Feb. Tu uero uide Surium tom. 1. de ſanctis.

ss. Calocerij, et Parthemij.) Beda, et cod. M. S.

ss. Victoris, Ianuarij, et Sociorum.) Ex M. S. Martirologio.

s. Euphroſynæ.) Manu ſcripti habent, s. Euphraſiæ; nos, Euphroſynæ, ſcripſimus, ut Beda, Vſuardus, Metaphraſtes, et alij eo nomine illam appellant. Eius uitam, e Metaphraſte acceptam, Surius retulit in uolumen 1. de ſanctis.

s. Deſiderij epiſcopi.) Vſuardus, Beda, Vuandelbertus, et annales eccleſiæ Lugdunenſis.

s. Seuerini abbatis.) Huius uitam, a Fauſto presbytero pluribus explicatam, breui complexus eſt Surius in tomo 1. de ſanctis. De eodem ſcribit s. Antoninus in Chron par. 2. tit. x. meminit etiã Demochares, tom. 2. de Miſſæ ſacrificio, cap. 19.

s. Simplicij epiſcopi.) Beda.

s. Deſiderati epiſcopi.) Ex M. S. Cod.

Pridie idus Februarij.

s. Dionyſiæ martyris, et Sociorum.) E Cartophilacijs græcorum hauſimus breuem ſcriptionem de horum martyrio.

s. Eulaliæ.) Vſuardus, breuiter; at paulo copioſius Beda huius martyrium exponit. De ea præterea uberrime ſcriptum eſt in omni Breuiario Hiſpaniæ prouinciæ.

ss. Am-

ss. Ammonij, et Modeſti.) Beda, Vſuardus, et Volaterranus lib. 6. comm.

ss. martyrum Rufini, Valerij, et Sociorum.) Ex Martyrologio M. S. et Volaterrano lib. 19. comm.

ss. Stephani epiſcopi, Damiani, et Iuliani, martyrum.) Ex M.S Martyrologio.

s. Meletij epiſcopi.) De quo extat laudatio Gregorij Nyſeni, et encomium Chryſoſtomi, quod Metaphraſtes in libros ſanctorum retulit. A ſcriptoribus quoque hiſtoriæ tripartitæ multa de eo litteris conſignata ſunt; et a Nicephoro item, atque ab uniuerſa Græcia in Menologio, Euchologio, et Horologio.

s. Damiani militis.) Beda, et Cod. M. S.

s. Gaudentij epiſcopi.) Ex Calendario, et conſtitutione ſynodali eccleſiæ Veronenſis, tum ex libro, quem de ſanctis illius eccleſiæ epiſcopis, conſcribendum curauit Auguſtinus Valerius epiſcopus, uir ſempiterna memoria dignus.

Inuentio ss. martyrum, Valeriani, et Sociorum.) In Annalibus Brixiæ.

Idibus Februarij.

s. Agabi prophetæ.) Act. 11. et 21. Vſuardus, Beda et cod. M. S. tum Dorotheus in Synopſi, ac Euſebius in Chron.

s. Tranquillini.) De quo a notarijs S. R. E. relatum eſt in acta beatiſſimi Sebaſtiani martyris: cuius uitam nuper accepimus ab Archipresbytero s. Mariæ Rotundæ.

ss. Aquilæ, et Priſcillæ.) De quibus ſcriptum eſt in act. ap. ep. ad Rom. cap. 16. 1. Cor. 16. et in Horologio Grecorum: qui hoc anniuerſario die, eorum martyrium colunt: latini, VIII. Idus Iulij, ut eſt apud Vſuardum.

s. Fuſcæ uirginis, et Mauræ.) Vt accepimus e monimentis eccleſiæ Rauennátis, et Martyrologio M. S. De ijs etiam ſcribit cum Hilario monachus, tum diſerte admodum Rubeus in ann. Rau.

s. Polieucti.) Cuius diem natalem Græci agunt quinto idus Ianuarij, ut animaduertimus ex Horologio, et Menologio, atque in primis e Metaphraſte: qui illius uitam ſcripſit, ut eſt apud Surium tom 1. de ſanctis.

s. Iuliani martyris.) Ex monimentis eccleſiæ Lugdunenſis, et ex codice Martyrologij M. S.

s. Gregorij II.) Ex Martyrologio Romano. Huius ſex extant epiſtolæ, pontificiæ ſollicitudinis ac uigilantiæ plenæ, partim ad Bonifacium epiſcopum, partim ad Clerum, Populumq. Turihgum conſcriptæ.

s. Stephani abbatis.) De quo ſcribit s. Gregorius lib. 4. cap. 20. dialogorum, et in Hom. 35. quæ habita eſt in eccleſia s. Andreæ.

s. Kiliani.) De quo Arthimanus monachus multa narrat in Chro. Otto Phryſ. lib. 5. cap. 13. hiſt. et lib. ep. Herbip.

s. Stephani epiſcopi.) Demochares tom. 2. de ſacrificio Miſſæ.

s. Caſtoris.) A Molaãg accepimus.

Sexto decimo calendas Martij.

Via Flamminia.) Cuius crebra mentio eſt apud Tacitum, et alios. Ea uſa a Gn. Flaminio per Hetruſcos Aretium; ab Cæſare Auguſto per umbriam, et picenum;

num;

num, Ariminum uſque ſtrata, longe patet circiter quatraginta miliaria germanica. In hac cœmiterium fuit s. Iulij Papæ, prope eccleſiam s. Valentini, extra muros urbis.

s. Valentini.) In antiphonario, et ſacramentorum lib. s. Gregorij, et in Breuiario Cordubenſi perantiquo. Huius, et illius, qui mox ſequitur, geſta a Surio referuntur in uolumen 1. de ſanctis. Vtriuſque etiam meminit Beda, Vſuardus, et Vuandelbertus.

ss. martyrum, Vitalis, Feliculæ, et Zenonis.) Vuandelbertus, Vſuardus, Ado, et Beda.

s. Valentini epiſcopi.) Vſuardus, at Beda uberius: tu uero uide Surium tom. 1.

s. Eleocardi epiſcopi.) Ex monimentis eccleſiæ Rauennatis; et annalibus, quas Rubeus nuper conſcripſit.

ss. martyrum, Baſſi, Antonij, et Protolici.) Vſuardus, Beda.

ss. Cyrionis presbyteri, Moyſeos, Baſſiani, Agathonis.) s. Hieronymus in Martyrologio, et ijdem, qui ſupra.

ss. Dionſii, et Ammonij.) Vt ab illis ipſis, qui ſupra, relatum eſt.

Placentiæ.) Qua in urbe collecta eſt eccleſia Chriſti, per ss. Nazarinm, et Celſum; ut ſcriptum nobis reliquit Metaphraſtes in uita beatiſſimorum martyrum Nazarij, et Celſi.

s. Sabini epiſcopi.) Qui fuit æqualis beati Ambroſii Mediolanenſis; ut cognouimus ex ſubſcriptionibus Concilij Aquileienſis. De eo proditum eſt antiquis monimentis eccleſiæ Mediolanenſis.

Quinto decimo cal. Martij.

ss. Iouitæ, et Fauſtini.) Horum martyrium primò Fauſtinus, Brixiæ epiſcopus, VII. litteris mandauit; deinde Philaſtrius itidem epiſcopus. A quorum ſcriptione geſta fortaſſe extant. quæ a Surio exſcripta ſunt in uol. 1. de ſanctis. De ijs præterea ſcriptum eſt ab Vſuardo, et Adone uberius, tum a græcis etiam; ſed a Beda breuiſſime.

s. Cratonis.) In geſtis beati martyris, Valentini epiſcopi, quæ a Surio relata ſunt in uolnmen 1. de ſanctis. Eius martyrium Beda copioſe exponit, et Equilinus item: at Vſuardus breuiter admodum.

s. Fauſti martyris.) Ex ſcripto Martyrologio, annalibus Hermani, et monimentis eccleſiæ Mediolanenſis.

ss. martyrum, Ioſeph, Ioannis, et Victoris.) Vſuardus habet tantum, Ioſeph diaconi: nos ex codice ſcripto addidimus, Ioannis, et Victoris.

s. Quinidij.) Beda, Vſuardus. Geſta item eius in eccleſia Vaſionenſi extant.

s. Maioris martyris.) Græcis litteris proditum eſt huius martyrium: quod nos breui expoſuimus.

s. Agapis uirginis.) Aliàs, s. Agapes, more græco, ut eam nominat Vſuardus, et Vuandelbertus; at Beda ſcribit, more latino, ſanctæ Agapæ, rurſus hic Antiochiæ; illi Interamne martyrio eam coronatam eſſe teſtantur.

s. Fauſti monachi.) De quo Sigilbertus in Chronicis; Leo epiſcopus oſtienſis in hiſtoria caſſinenſi, et Thrithemis Abbas in lib. de eccl. ſcrip.

s. Sigfridi.) Cuius Crantius aliquando meminit.

Herfordiæ.) Aliàs Herefordiæ: quæ in Anglia urbs eſt Cathedralis, iure Metropolitano ſubiecta archiepiſcopo Cantuarienſi.

s. Tho-

s. Thomæ.) Annales Anglorum.

s. Leopoldi.) translatio ſcilicet: quæ hoc die ſolenniter celebrata eſt, anno Chriſti Domini MDVI.

Translatio s. Antonij confeſſoris.) Cuius meminit s. Antoninus Archiep. Flor. in Chronicis par. 3. tit. 24. Interfuit ei translationi s. Bonauentura.

Decimo quarto cal. Martij.

s. Oneſimi martyris.) De quo s. Paulus in ep ad Philemonē; Ignatius in ep. 11. ad Epheſios; Dorotheus in Synopſi; Ado, Vſuardus, Beda, et Equilinus: tū Græci præterea in Horologio, et Menologio, quo in libro illius uita hoc die exſcribitur.

ss. martyrum, Eliæ, Hieremiæ, Samuelis, Pamphili, et ſociorum.) Horum, græce ſcriptum, martyrium extat, quod paucis latine reddidimus.

ss. Porphyrij, Iuliani, et Theodoli.) De quibus in græcorum tabulis ſcriptum eſt diligenter.

s. Iulianæ.) Cumiſne in Campania, an Nicomediæ hæc martyriū ſubierit, à multis quæritur. Ado, Vſuardus, Hermanus, ac plerique alij Cumis; Metaphraſtes uero, Equilinus, Monbritius, Beluacenſis, et Volateranus Nicomediæ illam martyrium pertuliſſe ſcribunt: quibus conſentit Breuiarium, et Cordubenſe, et Aquileienſe, et Gebenſe. Nos uero, Bedæ auctoritate ducti, rem controuerſam explicando, putamus uirginem Iulianam, pro Chriſti gloria Nicomediæ ſecuri percuſſam, inde aliquot poſt annis, uolente Deo, Cumas in campaniam ſolemniter tranſlatam eſſe. Tu uero de s. Iuliana uide apud Lippomanum concionem Metaphraſtis.

s. Iuliani, et quinque millium.) Sic Beda, Vſuardus, et Ado: nos addidimus, et Ioannis diaconi, ex codice, manu exarato.

s. Fauſtini epiſcopi.) Ex monimentis eccleſiæ Brixienſis. Is Septimus fuit Brixiæ epiſcopus: de quo ſupra diximus.

s. Simeonis.) Vt eſt in Vſuardo Molani.

Decimo tertio calendas Martij.

s. Polychronij.) De quo ſcriptum eſt initio libri de martyrio beatiſſimi Laurentij: ut teſtatum facit Beda. Illius præterea uitam contexuit s. Antoninus in Chro. par. 1. tit. 7. cap. 7. et Mombritius item par. 2.

ss. martyrū Donati, Secundiani, et Sociorum.) Vſuardus. Hi, ut ex annalibus cognoſci licet, necem pro Chriſto ſubierunt, Iuliano Imperatore, anno ſcilicet Domini, circiter CCCLXIV.

s. Theodori martyris.) De quo ſcripſit Nectarius epiſcopus apud Metaphraſtem; id quod animaduertimus ex Lippomano in Tom. 5. Multi uero ſunt Theodori: hic porrò ille ipſe eſt, nempe Theodorus Tyro; cuius martyrium hoc die Græci celebrant, ut ex eorum Euchologio, et Horologio accipimus: e quo libro breuem hanc de illo ſcriptionē ſumpſimus.

s. Seuerini Abbatis.) Ex Sigelberto, et codice M. S.

s. Fintani.) Vſuardus, et mart. M. S.

s. Siluini epiſcopi.) Vſuardus, et Cod. M. S.

Tran-

Tranſlatio s. Lupiani.) Ex Calendario monaſterij Claramontani, et mart.R.

Duodecimo calendas Martij.

s. Simeonis epiſcopi.) Egeſippus apud Euſebium lib.3.cap.10.et 26. hiſt. eccl. Epiphanius l.b.2. contra her. Nicephorus in Chron. et in hiſt. eccl. lib. 3. cap.9. Greg. Tur. lib.1. hiſt. Aimo Alberſtatenſis, Ado in Chronicis,ætat. v1. Vſuardus, Beda, et alij. De eo Græci ſcribunt quinto calendas Maij: quo die illius martyrium celebrant.

ss. martyrum, Maximi, Claudij, Primi, Præpedignæ.) Nos adiunximus, Primi, ut in manu ſcripto Codice legimus: at uero Vſuardus non habet, neque Beda item, qui pluribus exponit. De ijs memoriæ proditum eſt in geſtis s. Suſannæ, et in Martyrologio Cremonenſi.

s. Germanici martyris.) Cuius martyrium accepimus ex eccleſiæ Smyrnenſis epiſtola: quæ ab Euſebio exſcripta eſt in lib.4. cap.14. hiſt. eccl.

ss. Lucij, Siluani, et Rutuli, clericorum.) Ex M.S. Codice. Alij habent, Maximi, pro eo, quod ſcripſimus, Rutuli.

s. Epimenis presbyteri.) Ex Calendario antiquo eccleſiæ Brixienſis.

Hoc ipſo die eccleſia Græca anniuerſario diuini officij cultu celebrat feſtum s. Leonis Papæ.

Vndecimo calendas Martij.

s. Gabinij presbyteri, et martyris.) Cuius etiam mentio eſt in geſtis s. Suſannæ: de qua a notarijs S. R. E. ſcriptum eſt tertio idus Auguſti.

s. Zambdæ epiſcopi.) Euſ.lib.7.cap.ult.hiſt. eccl. Hunc Nicephorus Zabdam in chronicis nominat; Epiphanius uero Bazam. Eiuſdem meminit s. Eucherius in hiſtoria beatiſſimi martyris Mauritij.

ss. martyrum, Maximi, et Theodoti.) Quorum martyrium conuertimus e græco codice.

ss. Publij, Iuliani, Marcelli.) Totidem Vſuardus meminit: nos reliquos addidimus ex ſcripto codice.

s. Eucharij.) s. Euſtathij: ex Martyrologio R.

s. Barbati epiſcopi.) Ex Vſuardo Molani.

s. Manſueti.) Synodus v1. œcumenica, Boſſius, et monimenta eccleſiæ Med.

s. Leguntij.) In Martyrologio, quod Molanus auxit.

Decimo calendas Martij.

ss. innumerabilium martyrum.) Tyriorum ſcilicet res fortiter, pieq. geſtas pro Chriſti fide Euſebius expoſuit lib.8.cap.7.et 25. hiſtoriæ eccl. ac Nicephorus, illius ſtudioſus imitator: breuiter item Vſuardus, at Beda certe pluribus.

ss. martyrum, Caij, Victoris, et Pantamiæ.) Ex Martyrologij tabulis antiquis, manu exaratis.

ss. Sadochi, et centum uiginti martyrum.) E græcis Cartophylacijs expreſſimus horum martyrium. Tu Metaphraſtem uide apud Lippomanum.

ss. Pothamij, et Nemeſij.) Beda, Nemerſi; nos, Nemeſij, retinuimus, codicum, manu ſcriptorum, et Vſuardi impreſſi, rationem ſecuti.

s. Leonis epiſcopi.) Qui Thaumaturgi nomine uocitatus eſt ob miraculorum et magnitudinem, et multitudinem. De eo Græci pluribus ſcribunt.

s. Eleutherij epiſcopi.) Cuius uitam, et miracula olim ſcripſit Audœnus diſcipulus; prout etiam accepit ab Heidilone epiſcopo Tornacenſi..

s. Eucherij.) Huius meminit Sigebertus in Chronicis; et uita a Surio relata eſt in uolumen 1. de ſanctis.

s. Galli presbyteri.) Ex libro, manu ſcripto.

Nono calendas Martij.

s. Hilarij pontificis.) Cuius diem natalem, ut beatiſſimi etiam ſymmachi, hoc loco adſcripſimus, Maurolyci Martyrologium ſecuti: ſed in alia editione, cum aliter modò ſentiamus, reponemus loco ſuo.

ss. martyrum ſeptuaginta nouem.) Beda, Vſuardus, Vuandelbertus, et alij.

ss. Veruli, Secundini, Seruuli, et aliorum.) De quibus ſcribit etiam Nicolaus Monachus, ſed breuiter, ut ceteri.

s. Agathonis Pontificis.) Cuius diem feſtum Græci ſolemni prece colunt, ut ex eorum Euchologio, Horologio, Menologioq. animaduertimus.

s. Felicis epiſcopi.) Ex Calendario Metenſi.

Apparitio s. Ambroſii.) Quæ olim celebrabatur nomine uictoriæ, cæleſti auxilio mirabiliter partæ ad uicum Parabiacum: ſed cum in Breuiarij Ambroſiani recognitione uerſaremur; nec ueritate, ex annalibus perſpecta, de aliorum, qui aderant, conſilio appellari potius cenſuimus apparitionis nomine.

s. Paterij epiſcopi.) Ex annalibus Brixiæ.

Octauo calendas Martij.

Cathedra s. Petri Apoſtoli.) Huius Cathedræ Antiochenæ s. Ignatius meminit in epiſtola, ad Magneſianos ſcripta: hiſtoriamq narrat s. Clemens lib. x. recognitionum. Eam beatus Petrus fundaſſe, et inſtituiſſe traditur anno Chriſti Domini XXXVIII. ut ab Euſebio annalium monimentis proditum eſt. Septem autem annis ad illius gubernacula ſedit; ſicut beatus Damaſus ſcribit, cum quo Latini conſentiunt, licet Græci diſſideant. Vbique huius diei celebritas ex auctoritate Romana agitur, et ſolemniſſime præſertim Romæ, ut in Micrologo ſcriptum eſt, cap. 48. Olim a pontifice, hoc ipſo die, ut ex antiquo cæremoniarum libro animaduertimus, et Miſſæ ſacrum ſolemniter fiebat, et ſermo habebatur. Huc ſpectant ſancti Leonis ſermones, anniuerſario ſuſcepti pontificatus die habiti. Eſt de hac cathedræ ſolemnitate ſermo s. Auguſtini; et unus item quem Iuo Carnotenſis ſcripſit. Quàm antiqua igitur ſit celebritas huius diei cognoſcimus cum ex ijs, quæ commemorauimus, tum ex lectionario s. Hieronimi, Antiphonario, et libro Sacramentorum s. Gregorij, tum præterea ex Synodo Turonenſi, Pelagio pontifice habita, cap. 23. et ex Micrologo cap. 48. et Ordine Romano.

mano. Totam uero huius feſti diei rationem exponunt, et Sicardus, et Belethus, cap.83. de expl. diu. off. et Durantius lib.7. cap.8. diu. off. qui, ut cetera, ſic omnem huius ſolemnitatis explicationem ab illis duobus accepit. Porrò et ſi hic locus erat ſcribendi de eccleſia Antiochæna; maluimus tamen iam nunc ſilere, ut aliàs pluribus diſſeramus.

Romæ, uia Tiburtina.) Quæ extra Eſquilinam Tibur ducit. In ea eſt cœmeterium Cyriacæ: quæ Crypta Tiburtina uocatur, in qua recondita ſunt corpora ſanctorum martyrum, Laurentij archidiaconi, Seueri presbyteri, Claudij diaconi, Romani Oſtiarij, Creſcentij Lectoris; Hippolyti etiam martyris, Concordiæ nutricis, et aliorum uiginti nouem e familia ſua, Iuſtini presbyteri, Cyrenei, Abundij, Cyrillæ, et Triphoniæ; ac pontificum præterea Romanorum, Zoſimi, Xyſti III. et Hilarij.

s. Concordiæ martyris.) De qua a notarijs S.R.E. relatum eſt in geſta s. Hippolyti martyris: cuius dies natalis agitur idibus Auguſti.

s. Ariſtonis.) Aliàs, Ariſtionis· Cuius meminit Euſebius lib.3. cap.33. Nicephorus, et Dorotheus in ſynopſi.

s. Papiæ.) Qui ab auditoribus Apoſtolicis diligenter perquiſiuit, quæcumque ab Apoſtolis tradita eccleſiis eſſent: ſcripſit propterea libros quinque de uerbis Dominicis. An hic uero plane ſit, quem, ab Apoſtolorum diſcipulis religionis chriſtianæ doctrina inſtructum, aliquando presbyteri nomine Irenæus uocat, eiuſdemq. teſtimonio utitur; a pleriſque quæſitum eſt: ſed, ſi Euſebius hoc de genere uere ſcribit; non relinquitur dubitationi locus. Qui autem ſuppreſſo nomine ab Irenæo citatur, Clemens Romanus eſſe putatur: quoniam quæ ab hoc interdum afferuntur, apud illum nonnulla extare compertum eſt. De Papia porrò litteris proditum eſt ab Euſebio, s. Hieron. lib. de eccl. ſcrip. Nicephoro lib. 3. cap.2. et 20. ac præterea a Volaterrano lib.18. com. urb.

ss. martyrum, Victorini, Palatini, et reliquorum.) Vt e. M. S. codicibus accepimus.

s. Abilij.) De quo ſcriptum eſt ab Euſebio, ac Nicephoro non ſolum in hiſtoria eccleſiaſtica, uerum etiam in Chronicis, et a Zonara item Monacho.

s. Paſchaſii.) Beda, et M. S. Cod. Ado præterea anno 208. Is alio nomine uocatus eſt Paſcius: cuius Demochares meminit lib. de ſacrificio Miſſæ.

Septimo calendas Martij.

Vigilia beati Matthiæ.) M. R. et Beda, et auctor Micrologi cap.47. et M.S.C.

s. Polycarpi presbyteri.) De quo relatum eſt in codicem de geſtis s. Sebaſtiani. Tu uide Surium tom.1. De s. Seb. Beda, Vſuardus, et M. S.

ss. martyrum, Seroneti, et reliquorum.) Beda, et M. S.

s. Sereni abbatis.) Ioannes Caſſianus in coll.7. et 8. s. Antoninus lib.2. Chron. tit.15. cap.2. De eodem præterea ſcriptum eſt in uitis patrum.

Sirmij.) Sic legitur in omnibus ferè Martyrologijs, et impreſſis, et manu ſcriptis, antiquis admodum. At in uno tantum, perueteri codice monaſterij Mediolanenſis ſcriptum eſt, Apud Firmum: nec deſunt, qui ita legi debere affirmant: nos uerò hoc de genere nihil plane exploratum adhuc habemus, quod certum ſcribamus: maluimuſq. in re dubia ſequi ſcriptionem complurium, qui, Sirmij, habent: Eſt autem Firmum, urbs in agro piceno; Sirmium uero pannoniæ totius metropolis, olim nobiliſſima: in qua ferè ab ineunte religionis Chriſtianæ ætate,

iacta ſunt fundamenta fidei. Huius urbis Eutherius epiſcopus: qui in Sardicenſi concilio adfuit: et Ammenius item, in concilio Aquileienſi, contra Palladium, et Valentem Arianos habito. Porrò de ſynodo Sirmienſi proditum eſt annalibus eccleſiaſticis.

s. Syreni Monachi, et martyris.) Aliàs, Syneri, ut in pleriſque omnibus, manu exaratis, Martyrologij codicibus, iiſq. antiquis, ſcriptum eſt; quorum auctoritate ita in noſtro Martyrologio reponendum cenſemus.

ss. ſexaginta duorum martyrum.) Aliàs, ſeptuaginta, ut in uno, et altero item, manu ſcripto; libro Bibliothecæ Borrhomeianæ legitur.

s. Polycarpi epiſcopi.) Vt in græcis Menologij monimentis traditum eſt.

In urbe Ecchatana.) Ecbatana: quæ Metropolis Mediæ prouinciæ eſt. Eſt alia item urbs Syriæ, eodem nomine nuncupata: quam Egbatanam alij uocant.

s. Docithei.) Cuius meminit Dorotheus in lib. 1. ſermonum.

s. Gerardi epiſcopi.) Ex M. S. C. Martyrol. De eodem paucis Equilinus.

s. Felicis epiſcopi.) De quo proditum eſt annalibus Brixiæ, quos Capreolus conſcripſit. Fuit is, illius ciuitatis epiſcopus XXVII.

s. Milburgis.) Cuius uita litteris mãdata eſt a Gozelino monacho s. Bertini.

s. Celſi.) De quo Trithemius in Chronicis Hirſaugiæ.

Sexto calendas Martij.

s. Matthiæ Apoſtoli.) Cuius dies feſtus in anno intercalari colitur eo die, qui uigiliam proxime ſequitur, non illo, qui propter biſextum eo anno in Calendario iteratur; ut in Micrologi libro notatur cap. 48. De eo Græci in Menologio ſcribunt quinto idus Auguſti: quo die celebritatem illius agunt. Extat de illius uita ſermo; quem alij s. Auguſtino, alij Bedæ adſcribunt: idemq. in pleriſque eccleſiis legitur. Eiuſdem meminit Dionyſius Areopagita lib. de cæl. Hier. Euſeb. lib. 2. cap. 1. Hiſt. eccl. et lib. 1. cap. 12. Niceph. lib. 2. cap. 40. Clemens Alex. lib. 2. 3. et 7. Stromatum. Epiph. lib. 1. hær 20. Dorotheus in ſynopſi. Glycas ann. par. 3. s. Hieron. cap. 10. de eccl. ſcrip. in appendice Græca, idem in com. ut putat Gratianus 26. q. 2. in Ioan. et Beda in act. Ap. Oecumenius item, et Theophilactus, Iſidorus lib. de pat. noui teſtamenti, Beda item, Ado, et Vſuardus in martyrol. Honorius presb. in ſp. Radulphus Ard. in ſer. de ſanctis. De eius parentibus, ortu, corporis habitu, animi uirtutibus, orationis ui a Notarijs S. R. E. litteris proditum eſt. Quæ uerò in libro, qui falſo Abdiæ nomine inſcribitur, pleraque de eo conſcripta ſunt, in Apocryphis cenſentur. Matthiæ, præterea euangelium, ut librũ ab hæreticis confictum, recenſet Euſebius lib. 3. cap. 25. hiſt. eccl. itidemq. putat Origenes hom. 1. in Lucam. Eiuſdem item nomine traditiones ſcriptas Clemens in medium affert lib. 2. ſtromatũ: at minus canonicas putat lib. 7. eiuſd. op.

Sanctorum martyrum, Montani, Lucij, Iuliani, Victoris, Flauiani.) Quos beati Cypriani Carthaginienſis ſocios fuiſſe apparet: id quod etiam opinatur Surius, qui eorum dimicationes, pro Chriſto ſuſceptas, uitam, martyriumq. in hoc ipſo die adſcribit, ut eſt tom. 1. de ſanctis. De Montano apud illum ſcriptum eſt in epiſtola Celerini, quæ ad Lucianum exarata, extat: de Lucio, qui Africæ epiſcopus fuit, et martyr, in eius ep. 4. lib. 1. ep. 10. lib. 4. ep. 25. lib. 3. de Iuliano, qui epiſcopus in concilio Carthaginienſi adfuit, et a Telapte nominatur, in ſententijs epiſcoporum eiuſdem concilij, illius uolumine exaratis; de Victore multis eius epiſtolarum locis; ſed pro Victore reponendum cenſemus Victoricum; de quo in ep. 2. et 4. lib. 1. Is in ſynhodo Carthaginienſi appellatur a Thabraca.

s. Rhe-

s. Rhegini martyris.) De quo in uoluminibus, ac monimentis Græcorum memoriæ proditum eſt.

s. Sergij martyris.) Beda, Vſuardus, Ado, et Codices, manu, exarati, omnes breuiter meminerunt. Eius præclare acta extare, ab ijs ipſis ſcriptum eſt; nihil tamen adhuc comperimus.

Rothomagi.) Quod Ratomagum alij dicunt. Eſt uerò Galliæ urbs, ad ſequanam fluuium ſita, uulgo Rouan, cum alijs rebus, tum archiepiſcopatu nobilis. Habet diœceſes, iuriſdictioni archiepiſcopali ſubiectas, ſex: nempe Sagienſem, Abrincenſem, Conſtantinum tractum, Baiocenſem, Lexouienſem, et Ebrocenſem. Fidei chriſtianæ initia ſuſcepit iam ab Apoſtolicis uſque temporibus, ſtudio et opera beati Nicaſii, ab s. Clemente pontifice in Galliam miſſi, qui primus illius ciuitatis epiſcopus omnem illam maris Oceani regionem doctrina chriſtiana imbuit. Rotomagi Archiepiſcopi numerantur octuaginta tres: e quibus, in ſanctorum numero adſcribuntur duodecim, s. Nicaſius, s. Melanius, s. Victricius, beatiſſimi Innocentij I. ſummi pont. familiaris, ad quem s. Paulinus Nolanus ſcribit, s. Innocentius, s. Euodius, s. Siluester, s. Medardi epiſcopi Nouiocomenſis frater, qui in concilio Aurelianenſi I. interfuit; s. Flauius, in concilio Aurelianenſi II. et III. s. Prætextatus, in concilio Turonenſi II. in conc. Pariſienſi II. in Aurelianeſi I. s. Romanus, s. Audœnus, in concilio Cabilonenſi, s. Hugo. Synodi præterea Rotomagenſes celebratæ putantur ex pleriſque canonibus, qui apud Burchardum, Iuonem, et Gratianum extant:

s. Prætextati.) Quem alij Prætexatum, alij Prætextum dicunt. Eccleſiæ Rotomagenſi is præfuit anno Domini DXXXIV. illis, ut ſupra, concilijs interfuit.

Inuentio capitis, s. Ioannis Baptiſtæ.) Quam inuentionem Beda, Vſuardus, Ado, huic diei adſcribunt, et quarto calendas Septembris; quo die eccleſia decollationem illius celebrat; ſed totam rem nos loco ſuo explicabimus. Græci uerò et primæ, et ſecundæ inuentionis celebritatem hoc ipſo die agunt, ut ex Menologio animaduertimus. De s. Ioannis Baptiſtæ capitis reuelatione, extat incerti auctoris tractatio, in beati Cypriani operibus adſcripta.

s. Honorati epiſcopi.) Ex Eccleſiæ Mediolanenſis Calendario, et tabulis, alijſq. monimentis priſcis, manu exaratis. Eius Paulus Diaconus meminit lib. 2. cap. 12.

s. Ethelberti regis.) Beda lib. hiſt. Angl. I. cap. 25. 32. et 33. lib. 2. cap. 3 et 5.

s. Berecti Monachi.) Ex Martyrologio M. S.

Quinto calendas Martij.

ss. martyrum, Donati, Iuſti, Rutuli, et reliquorum.) Beda, et M. S.

s. Alexandri martyris.) Cuius martyrium e græco, in latinum ſermonem breui conuertimus.

Dioſpoli in Aegypto.) Quo nomine aliæ etiam quattuor in ea prouincia præter hanc ſunt puſillæ urbes; alia item in Palæſtina, cuius in Itinerario mentio fit; in Lydia præterea alia, et in Arabia, de qua Stephanus pluribus ſcribit, Hæc, de qua agimus, Hecatompylos aliquando uocitata.

ss. martyrum, Victorini, Victoris, et reliquorum.) Ado, Vſuardus, et Beda, qui enucleatius horum ſingulorum martyrium perſcribit, ut itidem in manu ſcriptis codicibus eſt. Nicephori, repone, Nicophori, ut in omnibus ſcribitur.

s. Victorij martyris.) Ex M. S. Cod.

ss. Neſtoris, et trium Germanorum fratrum.) Ex Martyrologio perantiquo,

s. Tharaſii epiſcopi.) Vt eſt in priſcis tabulis eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

et in Menologio, Euchologioq. item Græcorum. De Tharaſio Suidas, et Ignatius Diaconus ſcribit. Hic uero illius uitam uberius conſcripſit, quæ a Surio relata eſt in tomum 1. de ſanctis. Fuit is ad œcumenicæ ſynodi Nicenæ poſterioris præſcriptum, ſacrarum imaginum uenerationis defenſor acerrimus; ut ex illius ſynodi actis conſtat.

Herbipoli.) Cuius urbis epiſcopatum, s. Bonifacius, ſedis Apoſtolicæ Legatus, in Germaniam miſſus, inſtituit, Zaccharia pontifice Max. A quo tempore uſque ad hodiernum diem eccleſia Herbipolenſis habuit epiſcopos circiter ſexaginta quattuor: in quibus ſanctitatis laude celebrantur hi, BurcKardus, Arno, et Bruno.

s. Burardi.) Repone, BurcKardi: qui a s. Bonifacio conſaguineo ſuo, piæ religioſæq. uitæ diſciplina, et doctrina imbutus, Herbipolis urbis primus epiſcopus, ab eodem Apoſtolico legato inſtitutus, a Zacharia pontifice confirmatur. De quo Sigebertus anno 748. et Franciſcus Irenicus lib. 3. cap. 76. Demochares tom. 2. de ſacrif. Miſ.

s. Gerlandi epiſcopi.) Ex Maurolyco: cui de rebus ſiculis ualde aſſentimur.

s. Gotardi epiſcopi.) Vt ex antiquo libro, qui Mediolani ab presbytero Hieronymo Aqueo, canonico baſilicæ s. Ambroſii, aſſeruatur, nos accepimus.

s. Furſei.) Tranſlatio ſcilicet: dies enim natalis agitur XVII. calendas Februarij: quo die de eo ſcripſimus.

Quarto calendas Martij.

ss. martyrum, Fortunati presbyteri, Felicis, et reliquorum.) Ex Martyroll. M. S. et Rom. Theonij autem nomen nos expreſſimus ex codice M. S.

Pergæ in Pamphilia.) Cuius urbis Mela meminit lib. 1. Pergam uenerunt Apoſtoli, Paulus, et Barnabas, e Papho, maritima Cypri urbe, traiecti, ut in actis apoſtolorum cap 13. ſcriptum eſt: indeq. Antiochiam Piſidiæ profecti, demum in Lycaoniam uenerunt, inde rurſus Pamphiliam ingreſſi, ſermonem Pergæ habuerunt. Ab initio igitur euangelij Pamphilia illuſtrata, habuit epiſcopos ſeptem in ſynodo Nicæna œcumenica 1. præſentes: quorum primus, Gallides epiſcopus Pergenſis ſubſcripſit ſynodalibus actis: alios item in ſynodo Sardicenſi, et in ceteris deinceps.

s. Neſtoris martyris.) Ado, Vſuardus, et Beda, qui nobile illius martyrium enucleatius ceteris perſcribit: ac Surius præterea tomo 1. de ſanctis.

s. Alexandri.) Euſebius, Nicephorus, Theodoritus, Rufinus, Beda, Caſſiodorus, et reliqui rei eccleſiaſticæ ſcriptores teſtatam fecerunt ſanctiſſimi epiſcopi pietatem, uereq. epiſcopalem uirtutem, in concilio Niçæno priori ualde ſpectatã.

Gazæ.) Quæ nobilis Paleſtinæ urbs, olim in ſortem Iudæ cecidit: Apoſtolicæ doctrinæ munere olim felix. Habuit inter alios præſtantem eruditione, et pietate uirum Siluanum epiſcopum, qui Diocletiani iuſſu coronatus martyrio eſt. Aſclepius, Gazæ epiſcopus interfuit concilio et Nicæno priori, et Sardicenſi.

s. Porphirij epiſcopi.) Cuius uitam, a Marco, eius familiari, conſcriptam, Simon Logotheta concione explicauit: eandemq. Surius et Lippomanus in libros ſuos retulerunt. De eo Græci in Menologio, et Horologio.

Niuernis.) Neuers, latine alio nomine Neuernum, uel Niuernium appellatur, urbs Galliæ: cuius epiſcopus, Tauricianus in concilio Epaunenſi; Ruſticus in Aurelianenſi III. Clementenus in Aurelianenſi V. et Pariſienſi II. Agricola in Matiſconenſi I. et II. Rauracus in Cabilonenſi interfuit.

s. Agri-

s. Agricolai epiſcopi.) Ex M. S. Cod.

s. Seruuli epiſcopi.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Veronenſis, et conſtitutione ſynodali.

s. Victoris.) De cuius uita s. Bernardus non ſolū ſermones habuit; ſed hymnum etiam, Reſponſoria duodecim, et antiphonas uiginti ſeptem ſcripſit, ut ex eius epiſtola 312. perſpicuum eſt.

Tertio calendas Martij.

ss. Alexandri, Abundiani et reliquorum.) Vt ex codice, manu ſcripto, accepimus.

s. Iuliani.) De quo s. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium ſcribit lib. 6. Hiſt. eccl: cap. 34. Ruf. 31. Nicephorus, et alij Græci; Vſuardus, Beda, et M. S.

s. Dionyſij; et aliorum XXIIII.) Beda, et Cod. M. S.

s. Leandri epiſcopi.) Ad quem ſuos in Iob commentarios Gregorius I. pont. ſcripſit. Eiuſdem meminit lib. 3. dialogorum cap. 3. Iſidorus de uir. ill. cap. 28. Xyſtus in Biblioth. ſancta. et Vſuardus, ceteriq. Martyrologij ſcriptores. Fit de eo in eccleſia etiam Cordubenſi.

s. Baldomeris.) Beda, et Codices, manu ſcripti.

Pridie calendas Martij.

ss. martyrum Celerij, Pupuli.) Aliàs, Pupilli, ſed deprauate, ut ex libris recte ſcriptis animaduertimus. Horum martyrium, Alexandriæ editum, Beda ſcribit; at, Romæ, nos ſcripſimus, codicis antiquam ſcriptionem ſecuti.

s. Salbinæ martyris.) Ex Martyrologio M. S. et Centenario Iſingrinij.

Beatorum martyrum Cærealis, Caij, et Serapionis.) Beda et C. S.

Lugduni.) Locis ſcilicet uirentibus, ut Vſuardus ſcribit, alij, Iurenſibus, ſic a Iura monte appellatis, uulgo les monts ſainct Claude; alij Lorenſibus. Eſt enim Lorenſis Eremus nobilis.

s. Romani.) Vſuardus, Beda, et M. S. Codd. ss. Romani, et Lupici uitam, Gregorius Turonius ſcribit lib. de uita pat. cap. 1.

s. Vindemialis.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Veronenſis, et Franciſco Corna. Eius corpus Veronæ in baſilica s. Stephani reconditum eſt.

Translatio s. Auguſtini.) De qua Paulus Diaconus, lib. 6. c. 14. s. Antoninus par. 2. Chron. tit. 14. cap. 1. Iacobus Guallius, ciuis papienſis, lib. de ſanctis Pap. et poſtremò Sigonius enucleate perſcribit lib. 3. hiſt. de reg. Italiæ.

MARTIVS.

Calendis Martij.

ss. martyrum ducentorum, et ſexaginta.) De quibus in Valentini presbyteri, martyris acta a notarijs S. R. E. et a Beda, et ab Vſuardo item, in Martyrologij monimenta relatum eſt.

Claudio

Claudio Imperatore.) Anno ſcilicet Domini circiter, c c l x x i i. In qua perſecutione centum et ſexaginta ſeptem alij præterea martyrium ſubierunt, et hi item, Abacuc, Cæſarius, Leontius, Iulianus, et Euſebius Monachus.

ss. Hermetis, Leonis, et Adriani.) De ijs in Martyrologij codice perueteri, et manu ſcripto traditum eſt, ſed ita breui, ut de cruciamentis, quibus torti ſunt, narretur plane nihil. Illorum martyrium incidit in annum Domini ferè c c x c. Hermetis, et Leonis Vſuardus meminit, Adriani nequaquam: at in uolumine, manu ſcripto, mentio fit.

s. Donati.) Qui martyrium obijt in perſecutione Vandalica, anno Domini circiter, c c c c x x x. De illo ſcribit Victor epiſcopus lib.2. et 3.

Vrſatio duce.) Alij, Iudice: at, Duce, in uetuſtioribus Martyrologij codicibus ſcriptum extat. Fuit enim ille Dux limitis Africani. Tu uero de triplici Ducum genere uide Lazium lib.2. cap.9. de rep. Rom.

ss. Marini, et Aſterij.) De quorum martyrio memoriæ proditum eſt ab Euſebio lib.7. cap.14. hiſt. eccl.

Calagurij.) Quæ Hiſpaniæ urbs, Calagurris, et ab Antonino Calagurra, alio nomine appellata eſt, uulgo Calahorra. A qua urbe originem s. Dominicus, ordinis prædicatorum auctor, ducit.

ss. Hemiterij, et Chelidonij.) Al. Cheledonij. De utroque hymnus 1. prudentij extat in lib. peri Stephanon.

s. Eudociæ martyris.) In Menol. et Horol. Græcorum.

Andegaui.) Cuius urbis populi, olim Andes, nunc Andegauenſes nominati, uulgo Angioini, in prouincia Turonenſi, fidei chriſtianæ ſacris imbuti ſunt ab ſanctis, Defenſore, et Apothemio. Eorum epiſcopus Talaſſius in concilio Venetico, et Turonico item præſens adfuit, Hilario Pont. Max.

s. Albini epiſcopi.) Huius uitam, a Fortunato presbytero conſcriptam legimus apud Surium tom.2. de uit. ſanct. Eiuſdem meminerunt, Beda, Vſuardus, et Gr. Turonenſis lib. de gloria conf. cap.99.

Peruſiæ.) Hæc urbs Italiæ antiquiſſima, in umbria ſita, hodie perugia, religionis chriſtianæ ſacris, iam ferè uſque ab Apoſtolicis temporibus imbuta, clariſſimos habuit epiſcopos, Herculanum martyrem, Conſtantium, Venantium, et alios, de quibus in libro epiſcoporum ſcripſimus. Ad clerum, populumq. Peruſinum de epiſcopo, quo illa ciuitas diu orbata erat, eligendo epiſtola, ab s. Gregorio 1. pont. ſcripta, extat in lib.1. Regeſti; altera ad Venantium epiſcopum lib.10.

s. Herculani.) Quem Heraclianum alij uocant. De Herculano s. Gregorius ſcribit lib.3. cap.13. dial.

s. Suuiberti.) Cuius uitam, ſanctitatis, miraculorumq. laude florentem, pluribus a Marcellino presbytero, et Lulgero epiſcopo explicatam, legas licet apud Surium tom.2. de ſanctis, et in Indiculo præterea ſanctorum Belgij.

In ſanctos retulit.) Solemniter pridie nonas Septembris, ut animaduertimus ex litteris Riffridi epiſcopi Traiectenſis, de ſolemni hac actione ad Ludgerum epiſcopus exaratis.

s. Adalongi.) Ex tabulis eccleſiæ Maſſilienſis.

s. Siuiardi Abbatis.) Vide Surium in tom.2. de ss.

Sexto Nonas Martij.

ss. martyrum quàm plurimorum.) Vt ex Adone, Vſuardo, et Martyrologijs, manu exaratis, eccleſiaſticæq. ſcriptionis tabulis, ac monimentis, didicimus.

Mar-

Martyrio autem coronati dicuntur anno Chriſti Domini CCXXXIII. Grato, et Seleuco Coſſ. Alexandro Seuero Mammæo Imp. Fuit porrò Alexander Mammæus, ut Tertullianus de Antonino Cæſare ſcribit, lacte chriſtiano educatus, et a chriſtianis non auerſus: matrem enim habuit Mammæam, fœminã religioſam, et ab Origene fidei myſterijs inſtructam. Huius igitur conſilio ille uſus, Chriſtum Dominum in larario ſuo coluiſſe; publicumq. etiam templũ ei extruere uoluiſſe fertur. Proinde chriſtianis hominibus non modò liberam religionis ſuæ, publicamq. confeſſionem, ſed locum etiam in urbe conceſſit. Cum enim ei, ut eſt apud Lampridium, quendam locum, qui publicus erat, occupaſſent; contraq. popinarij contenderent, ſibi eum potius deberi; conſultus hic Alexander, reſcripſit, melius eſſe, ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinarijs dedatur. At uero quamuis hoc animo, à chriſtianis non alieno, ille eſſet; tamen nullum eius edictum comperimus, quo præſidum in prouincijs gladij, a chriſtianorum ceruicibus depellerentur, ignesq. extinguerentur. Immo aderant in eius conſilio infenſiſſimi hoſtes fidei chriſtianæ: in quibus unus potiſſimum erat Domitius Vlpianus, iuriſconſultorum, ſicut uocant, coriphæus, qui præfectus prætorio erat. Næ iſte quàm iniquo contra noſtros animo eſſet, cum ex illius reſponſo, quo illos impoſtores appellat, tum ex eo apparet, quod et de ceteris fidei noſtræ aduerſarijs, et de hoc Domitio Vlpiano in primis Lactantius ſcribit his uerbis: Quinetiam ſceleratiſſimi homicidæ contra pios iura impia condiderũt. nam et conſtitutiones ſacrilegæ, et diſputationes iuriſconſultorum leguntur iniuſtæ. Domitius de officio proconſulis libris ſeptem reſcripta principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur. Hic igitur Vlpianus Domitius, qui Alexandri nomine proconſulibus, in prouincias cum imperio profecturis, mandata dabat, cum uideret illum; a chriſtianorum cæde abhorrentem, eò deduci non poſſe, ut de ijs exterminandis aliquid ediceret; uetera impiorum tyrannorum, Neronis, Domitiani et aliorum reſcripta proconſulibus edidit, ut ex ijs ſuum in hoc genere officium æſtimarent. Quamobrem factum eſt, ut, illius etiam tempore, et Romæ, et in prouincijs multa chriſtianorum millia pro Chriſti gloria dimicando, cæderentur: et ubique terror, ſupplicia, cruciamenta, carceres, cataſtæ, equlei, ungulæ, et omnia omnium tormentorum genera, ut in alijs acerbiſſimarum perſecutionum tempeſtatibus, contra chriſtianos adhiberentur.

Romæ, uia Latina.) Hæc per Ferentum, Fruſinum; et Fabrateriam, oppida ad Caſſinum uſque ducens, ibi in Appiam incidit. Via Latina cœmiteria duo, unum Cardianum, alterum Aproniani: in hoc s. Eugenia uirgo, et martyr ſepulta eſt.

ss. Iouini, et Baſilei.) Anno Domini circiter CCLVII. Ado, Beda, Vſuardus et M. S.

s. Simplicij Papæ.) Cuius diem natalẽ alij quinto nonas Martij adſcribunt, nos autẽ ſexto nonas, qui hic ipſe dies eſt, pontificalium librorum auctoritatem ſecuti. De quo ſanctiſſimo pontifice ſcripſimus in notationibus noſtris, in Platinã.

In portu Romano.) Qui Oſtienſis alio nomine uocitatus, olim ampliſſimus fuit. A portu, et uia, et porta portuenſis Romæ uocatur.

ss. martyrum, Pauli, Heraclij etc.) Beda.

s. Theodoti ep. et mart.) Qui fuit Cyreniæ epiſcopus, ut ex græcorum tabulis cognoſci licet.

ss. martyrum, Abſaloni, Hergli.) Sic Beda habet. et M. S. alij uero, Heracli. Largi, ſic emendate ſcripſimus, licet aliàs legatur, Lorgij.

Cæſareæ ſancti Lucæ epiſcopi.) Aliàs, Lucij, ſed, Lucæ, retinuimus, ut in ple-

riſque codicibus legitur, et apud Bedam in primis.

Burgis.) Repone, Brugis. Quod Galliæ Belgicæ oppidum, multis partibus nobile eſt: Brugenſibus autem, et Andegauenſibus municipibus, ceteriſq. Brabantiæ regionis incolis, ab ſancto Amando, Bertulpho, Bauone, Louato, Bertino, Floreberto, Andrea, Ioanne, Humberto, Mauronto, ceteriſq. s. Amandi collegis, euangelium prædicatum eſt, anno Chriſti D C L X V I I I. Leone I I I. pont. Max. Iuſtiano Imp.

s. Caroli martyris.) Ex Calendario, et Indiculo ſanctorum Belgij. Martyris uero Caroli uitam, ſancte actam, Vualterus monachus, libro explicauit, quem ad Ioannem, Morinorum epiſcopum ſcripſit; et Vualbertus Brugenſis, ac præterea Meierus in annalibus Frandriæ.

ss. Quatrigentorum martyrum.) Gregorius pont. lib. 3. cap. 28. Dial. Alij legunt, Quatraginta; nos cum uulgata, et antiqua lectione conſenſimus.

s. Ceddæ.) Aliàs, Ceaddæ: cuius uitam litteris primum mandauit, Daniel, epiſcopus Vintonienſis. Beda item lib. 3. cap. 28. lib. 4. cap. 2. et 3. hiſt. Ang. et Maſſeus lib. 16. Ann. meminerunt.

Quinto Nonas Martij.

ss. martyrum, Felicis, Lucioli.) Ex M S. et Bedæ Martyrologio.

ss. martyrum, Eutropij, Eleonici, Baſciliſci.) Vt græcis tabulis traditum eſt.

s. Titiani ep.) Ex tabulis eccleſiæ Brixienſis, et annalibus Capreoli.

s. Vuinualoci.) Cuius uitam, e uetuſtis codicibus exſcriptam, Surius explicauit tom. 2. de ſanctis.

s. Chunegundis Auguſtæ.) Huius uitam ſanctiſſimam, et miracula, ad ſepulcrum edita, legi licet apud Surium tom. 2. de ſanct.

Quarto nonas Martij.

s. Lucij Papæ et martyris.) Anno Chriſti Domini C C L V I I I. Valeriano II. et Gallieno Coſſ. Ad Lucium extat epiſtola, a Cypriano, et collegis ſcripta, lib. 3. ep. 1. Fit de eo in breuiario libro Daniæ. Huius pontificis decreta in ius canonicum relata ſunt hæc.

Cap. 2.	Diſt.	81.		Cap. 1. tit. 6. lib. Decretal. 1.
Cap. 5.	1. q.	4.		Cap. 6. tit. 3. lib. v. Decretel.
Cap. 9.	24. q.	1.		
Cap. 57.	Diſt. 1.	de conſ.		

s. Caij Palatini, et Sociorum X X V I I.) Anno Chriſti Domini C C L I X. Maximo I I. et Glabrione coſſ. De Caio Vſuardus, Beda, Ado, et ſcriptores annalium eccleſiaſticorum memoriæ tradiderunt: de alijs X X V I I. in Martyrologijs, manu exaratis, et in Romano præſertim ſcriptum eſt. Is porrò Caius, ut Euſebius martyr, de quo poſtridie huius diei mentio fit, Palatinus uocatus eſt; nempe miles. Sunt autem Palatini milites, qui in Auguſtorum miniſterio erant, quos modò aulicos, aut Curiales nominamus: de quibus extat titulus lib. 12. Codicis Iuſtiniani, nempe de priuilegio eorum, qui in Palatio militant. Militia item Palatina in Breuiario Theodoſii recenſetur. Munia Palatinæ militiæ apud Sidonium. In qua ſane militia ſtipendia faciebant, non qui armis pugnabant: ſed quorum miniſterio Auguſti in menſis, conſiliiſq. utebantur. Qui præerant uero Au-

guſtalibus

guſtabus epulis, Comites ſcholarum palatinarum dicebantur. Atqui Palatini milites, alii comites Palatini, alii Domeſtici, alii Comitatenſes, alii Mittendarii erant: hi poſtremi ex Auguſtorum comitatu in prouincias mittebantur. Sed hæc breuiter de militia Palatina.

ss. martyrum nongentorum.) Vſuardus, Beda, et Cod. M. S. Eorum martyrium cadit in annum Domini CCLX. Valeriano III. et Gallieno II. Coſſ. quo in conſulatu s. Cyprianus item martyrio coronatur.

In cœmiterio ad s. Cæciliam.) Quod cœmiterium nobile Honufrius præter miſit in libro, quem eo de genere ſcripſit.

s. Hadriani, et aliorum XXIII.) At triginta tres Beda habet, alii omnes, ut nos ſcripſimus. Tu uero uide de s. Hadriano, et ſociis martyribus Surium in tom. v. ſexto idus Septembris: quo die tranſlatio, hoc die martyrium celebratur.

s. Paulini epiſcopi.) Ex Calendario, et monimentis eccleſiæ Brixienſis. Eiuſdem Rampetus epiſcopus in hiſtoria tranſlationis s. Philaſtrii, et Capreolus in annalibus meminit.

s. Baſini epiſcopi.) Ex tabulis eccleſiæ Treuerenſis.

Tertio nonas Martij.

s. Phocæ martyris.) Anno Chriſti Domini CXIX. Nigro, et Aproniano coſſ. quo anno Traianus Armeniam, Aſſyriam, et Meſopotamiam prouincias fecit. De B. Phoca ab Vſuardo, Beda, Adone, s. Antonino, Gregorio Turonenſi cap. 99. de glo. mar. ceteriſq. ſcriptum eſt. Eius diem natalem Græci agunt decimo calendas Octobris: quo die de illo relatum eſt in Menologium eorum. Aſterius, Amaſeæ epiſcopus præclaram de eodem habuit concionem, quam, a Simeone Metaphraſte exſcriptam, Surius habet in tom. v. de ſanct.

s. Euſebij Palatini, et Sociorum IX.) Vſuardus, Beda, et M. S. De Palatino milite mox diximus.

s. Hadriani martyris.) Cuius martyrium exponit Euſebius lib. 8. cap. 11. hiſt. eccl. et Nicephorus item.

ss. Euolij, Petri, et reliquorum.) Anno Domini CCLV. Decio II. et Ruſtico coſſ. quo anno beatiſſimus Laurentius tertio idus Auguſti martyrio coronatus dicitur. De iis martyribus ſcriptum eſt in libro, quo, manu exarato, uſi ſumus.

s. Theophili epiſcopi.) Euſeb. lib. 5. cap. 22. et in Chron. s. Hieronymus de ſcript. eccl.

s. Euſebii Abbatis.) s. Hieronymus in ep. ad Pammachium de opt. interp. gen. in Apologia contra Ruf. in ep. contra Vig. in ep. ad Alipium, et Auguſtinum, in ep. ad Paulinum.

s. Gulielmi epiſcopi.) Ex Martyrologio M. S. et Vernerio Carthuſienſi.

Pridie nonas Martij.

Terdonæ.) Quæ Taurinorum urbs, a Ptolomæo Dertona appellatur, ut in coſmographia Æthici item, uulgo Tortona, iure Metropolitano ſubeſt eccleſiæ Mediolanenſi. Ab euangelicæ prædicationis initio ferè, Chriſti Domini fidem amplexa eſt, ut ex tabulis cognoſci licet epiſcoporum: quorum primum habuit s. Martianum martyrem, anno Domini CXX. Euariſto. Pont. Max. Traiano Imp. Claro, et Alexandro coſſ.

s. Martiani epiſcopi, et Martyris.) Theodoritus in Philotheo, Canſius in Martyrologio, Guilielmus Eyſengreineus in par. 2. centenarij.

ss. Victoris, et Victorini mart.) Beda, Vſuardus, et M. S. Cod.

ss. Quatraginta duo martyrum.) Vt e Menologio, alijſq. græcorum tabulis accepimus.

Toleti.) Quæ urbs Hiſpaniæ notiſſima, tot ac tantis nobilitata concilijs, beatorum martyrum, et epiſcoporum ſanctitatis ſplendore clariſſima, omni laude floret. Eſt eccleſia Toletana primas Hiſpaniæ; epiſcopos, quos uocant ſuffraganeos, ſeptem habet. Sed hæc breuiter dixiſſe ſatis ſit, cum omnia, quæ ad illius urbis gloriam inſignia ſunt, uberrime perſecutus ſit Ambroſius Moralius, ciuis Cordubenſis in libro, quem de antiquitatibus Hiſpaniæ ſcripſit.

s. Iuliani.) Pomerij: cuius tres libri extant contra Iudæos; et alij item tres, Prognoſtici nomine inſcripti.

s. Quiriaci presbyteri.) Ex tabulis eccleſiæ Treuerenſis.

s. Fridolini Abbatis.) Ex Breuiario eccleſiæ Curienſis. Illius uitam olim ſcripſit Noggerus Abbas ſancti Galli.

Nonis.

In monaſterio Foſſæ nouæ.) Quod eſt in campania, prope Amaſenum fluuiū.

s. Thomæ Aquinatis.) De cuius ſanctitate, et doctrina extant apoſtolicæ litteræ trium ſummorum pontificum, Ioannis XXII. Pauli IV. Pij V. Eius uitam ſcripſerunt permulti, Antonius Pizamanus, Ioannes Garzo lib. 4. de illuſtribus uiris ordinis præd. s. Antoninus par. 3. Chron. tit. 18. cap. 10. Petrus Aequilinus F. Leander lib. 4. de uir. ill. ord. P. Xyſtus in bibliotheca ſancta, Surius tom. 2. de ſanctis. Et græce Demetrius Cydonius, qui græco etiam ſermone explicauit illius libros contra gentes. Hoc die agitur celebritas illius natalis, quinto calendas Feb. tranſlationis, ut in Breuiario eſt ordinis Dominicani.

Thuburbæ.) Quæ a Ptolomæo, Tobros, et in Itinerario Tuburbus, librorumq. conciliorum nominatur: ut Sedatus a Tuburbo, qui in concilio Carthaginienſi 1. interfuit. Alij Tubardam dicunt. Tuburbitani Fauſtini meminit s. Auguſtinus lib. poſt collat. cum Don. cap. 22. Inter colonias Africæ ſex, Plinius ponit Tuburbium: neque procul eſt ab Vthina. Quòd autem Mauritani ab Apoſtolis fide imbuti ſint, cum alias diximus, tum conſtat ex concilijs Africanis: quibus epiſcopi Mauritani interfuerunt.

ss. martyrum, Reuocati, Perpetuæ, Felicitatis, et reliquorum.) Valeriano, et Galieno Impp. ut pleriſque, et Maurolyco in primis placuit: quibus nos aliquando aſſenſi, itidem in Martyrologio ſcripſimus: ſed ueteres, emendatioreſq. rei eccleſiaſticæ annales, aliter oſtendunt; quorum auctoritatem ſecuti, reponimus, Septimo Seuero Imp. ut Vſuardus habet item. Martyrum igitur horum dies natalis Nonis Martij Seuero Imp. Anno ſcilicet Christi CCIIX. Antonino II. et Geta conſulibus. s. Auguſtinus de Perpetuæ, et Felicitatis martyrio tres, ut Poſſidius oſtendit, tractationes habuit. Et lib. 3. cap. 9. et in pſalmum 47. prope finem earumdem meminit, et lib. de tempore barbarico c. 5. Beda prætereа, Vſuardus, Hermannus, et Volaterranus lib. 16. comm. urb.

s. Eubuli mart.) Euſeb. lib. 8. hiſt. eccl. cap. 21. ac Nicephorus item.

ss. epp. martt. Baſilei, Ephraim, et reliquorum.) De quibus proditum eſt græcorum monimentis.

In Valeria prouincia.) Quæ in ultima Germania eſt, Styria hodie nocitata: de qua

de qua pluribus Lazius diſſerit lib. de comm. gent.

s. Equitij Abbatis.) s. Gregorius lib. 1. dial. cap. 4. a quo Surius accepit.

s. Volkeri martyris.) De quo Molanus retulit in Martyrologium Vſuardi.

Gaudioſi epiſcopi.) Ex annalibus, et tabulis epiſcoporum Brixiæ.

Octauo idus Martij.

Carthagine.) Cui urbi, Epænetus, s. Pauli Apoſtoli auditor, epiſcopus primus præfuit. Quod ſanè argumento eſt quatrigentis ante Auguſtini ætatem annis, in ea urbe, et in Africa prouincia, ut diximus, Ieſu Chriſti fidē propagatā eſſe.

s. Pontij diaconi.) Beda, Vſuardus, et s. Hieron. de ſcrip. eccl. cap. 70. Ioannes item Trithemius, qui teſtatum facit, illius opera chriſtianam fidem a Philippo 1. Imp. ſuſceptam eſſe.

In urbe Antinoo.) de qua ſupra ſcripſimus.

ss. Philemonis, et reliquorum.) Quorum martyrium ſermone complexus eſt Metaphraſtes XVIII. calendas Ianuarij. De ijs prætereà ſcribit Vſuardus.

Beatiſſimorum martyrum Rogati, Felicis etc.) Beda et M. S.

s. Felicis ep.) Beda lib. 2. cap. 15. hiſt. Ang.

Septimo idus Martij.

Sebaſte in Armenia.) Eſt enim alia in Iudæa, quam Herodes Baſtam appellauit; alia quoque in Cappadocia.

Beatiſſimorum martyrum quatraginta.) De quibus extat homilia s. Baſilij; conciones duæ Gregorij Niſſeni, fratris; ſermo ſancti Gaudentij Brixienſis; oratio Metaphraſtis, a Surio exſcripta in tom. 2. de ſanctis. De ijs etiam ſcriptum eſt breui ab Vſuardo; Beda, et Sozomeno, lib. 9. c. 2. et a Græcis: qui eorum martyrij celebritatem hoc ipſo die agunt.

ss. martyrum Iuliani, Sicci, et reliquorum.) Ex M. S. Codice.

Niſſæ.) In Cappadocia; alia uerò Cariæ prouinciæ eſt.

s. Gregorij epiſcopi.) s. Hieronymi familiaris: de quo aliàs ſcripſimus in proemio concionum, quas de oratione Dominica ab eo confectas, nos conuertimus. Eius teſtificata eſt auctoritas ſacroſanctis concilijs, Epheſino, Quinto, Sexto, et Septimo. Meminit eiuſdem s. Hieronymus de ſcrip. eccl. cap. 138. et Teodoritus lib. 4. cap. 28. Hiſt. eccl. Diem natalem illius celebrant Græci quarto Idus Ianuarij. Vitam Gregorius Nazianzenus ſcripſit, prout Xyſtus in bibliotheca ſancta affirmat.

s. Paciani epiſcopi.) Vſuardus, s. Hieronymus de ſcrip. eccl. cap. 116. et M. S.

Sexto idus Martij.

Apameæ.) Quæ Phrygiæ urbs, ad Meandri fluuij ripas ſita, cum præcipuo quodam totius Aſiæ conuentu, tum fidei Chriſtianæ profeſſione olim celeberrima, ut ex cartophylacio didicimus, in Metropolium græcarum numero cenſetur. Paulus Apamæus Concilio Nicæno priori ſubſcripſit. Martyres Apamænses multi numerantur: in quibus præclari admodum habentur hi duo, Alexander et Caius: quorum celebritas hoc die agitur, ut in omni Martyrologio notatur

Tu uero uide Euſebium lib. 5. cap. 15. hiſt. eccl. Eſt autem altera Syriæ urbs, Apamia nuncupata: cuius epiſcopus s. Iunias extitit, unus e LXX. diſcipulis.

Corinthi.) Quam Romanorum coloniam, totius Græciæ lumen, M. Tullius dixit; hodie Coranto della Morea. Ad Corinthios ſemel, atque iterum, Euangelij cauſa s. Paulus Apoſtolus uenit: epiſtolaſq. duas ſcripſit. Illorum epiſcopus primus, iſq. ab eodem Apoſtolo inſtitutus, Silas eſt, unus diſcipulorũ ſeptuaginta.

Beatorum mart. Codrati, Cypriani, et aliorum.) Quos, e tabulis græcis exceptos, in Martyrologium noſtrum retulimus. De ijs etiam Metaphraſtes ſcribit, ut eſt apud Lippomanum.

ss. martyrum XLII.) Vſuardus, Beda, et M. S. uolumina.

Beatorum martyrum, Gorgonij, Firmi, et aliorum.) Ex Martyrologijs uetuſtis, manu exaratis. De Gorgonio alio, et Dorotheo ſcriptum eſt quinto idus Septemb.

ss. Palatini, Firmiani, et Ruſtici.) Beda.

Laodiceæ.) Huius nominis urbes complures leguntur, una Syriæ, ſancti Lucæ Euangeliſtæ patria; altera Cariæ, uel, ut alijs placet, Phrygiæ; tertia Galatiæ, Coloſſis finitima. Hæc porrò, cuius epiſcopatum s. Anatolius geſſit, Syriæ eſt: neque uerò in ea s. Paulus Apoſtolus fuit: illa uerò Cariæ, conuentu aſiatico nobilis, hôc nobilior eſt, quòd illic Chriſtum idem Apoſtolus docuit, et epiſtolam, quæ prior ad Timotheum inſcribitur, inde Epheſum miſit. Illa ad Laodicenſes epiſtola, Pauli nomine inſcripta, in canonicis libris non cenſetur, ſed ab omnibus exploditur, inquit s. Hieronymus. qua de re tu uide s. Thomam, et F. Xyſtum, in bibliothecæ ſuæ parte priori, pluribus differentem.

s. Anatolij epiſcopi.) Vt in Martyrologio M. S. animaduertimus. De eo Euſebius, et in Chronicis, et in hiſt. eccl. ſcribit lib. 7. cap. 27.

In monaſterio Luxouio.) Cuius curæ præfuerunt ss. Abbates, Columbanus, Euſtachius, Vualdericus, Attalus et alij. Quo tempore illius curam, s. Columbanus geſſit, in eo erunt monachi CCXX.

s. Attalæ Abbatis.) Huius uita, a Iona Scoto primum cõſcripta, apud Surium extat in tomo. 2. de ſanctis. Eiuſdem meminit Vſuardus; et Beluacenſis item.

s. Droctouei.) Aliàs, Dorothei: Sed Vſuardus, et codices, manu ſcripti, habent, Droctouei, ut nos ſcripſimus.

Quinto idus Martij.

Beatiſſimorum martyrum, Heraclij, Zozimi, etc.) Aliàs, Sozimi, Al. Zoſimi.

ss. Trophani, et Thali.) E græco codice, eorum martyriũ breui expreſſimus.

s. Vigilij epiſcopi.) E tabulis eccleſiæ Antiſiodorenſis. Scribit de eo breuiter Demochares par. 2 de ſacrificio Miſſæ.

s. Eulogij presbyteri.) Et doctoris item, prout in eccleſia Cordubenſi, et fuit, et habitus eſt. Extat illius opus de martyribus, quod memoriale ſanctorum inſcribitur. Vita eiuſdem, ab Aluaro Cordubenſi litteris mandata, operis initio impreſſa eſt.

s. Sophronij ep.) De quo Nicephorus in Chronicis. Eiuſdem extant litteræ ſynodicæ ad Honorium pont.

In ſacris eccleſiarum Dipytchis.) Erant enim eccleſiarum diptycha, ſacræ ſcilicet tabulæ duæ, in quarum una uiuorum, in altera mortuorum epiſcoporum, qui in ſacrificio Miſſæ recitabantur, nomina deſcribebantur. De his tabulis diſſerit Pammelius in ep. x. s. Cypriani.

s. Be-

s. Benedicti.) Ex annalibus Mediolanenſibus. De eo autem ſcribit Paulus Diaconus lib. 6. cap. 10.

s. Conſtantini.) Vt eſt in Martyrologio Molani.

s. Firmini abbatis.) E Calendario Ambianenſi.

s. Gumberti.) Ex eodem.

s. Georgiæ.) Cuius Gr. Tur. meminit lib. de gloria confeſſorum cap. 34.

Quarto idus Martij.

s. Gregorij Papæ.) Cuius celebritas, olim, quoniam pro quatrageſimæ, in qua Canone Laodiceno de ſanctis non fit, ritu agi hoc die non poterat, tranſlata fuit in diem ſuæ ordinationis, qui eſt tertio nonas Septembris; ut ſcribit Radulphus Tungrenſis Propoſ. xv. obſeru. eccl. At uero quòd multis ab hinc annis hoc ipſo die de eo fiat, liquido conſtat ex antiphonario, et Sacramentorum libro, qui eius nomine inſcribitur. Sunt enim in illo, et antiphonæ, et reliquæ eccleſiaſtici officij partes, quæ de eo rite in eccleſia aguntur, iam pridem ab eiuſdem ſucceſſoribus conſcriptæ. Hoc feſto die a ſummis pontificibus olim ſolemniter fieri ſolere, ex Innocentij Tertij ſermonibus, quos hoc ipſo die de ſanctiſſimo eo pontifice habuit, cognouimus. Sermo eſt item de eodem Honorij presbyteri Auguſtodunenſis. Illius uitam, Ioannes Diaconus libris quattuor diſtincte complexus, Ioanni Papæ ſcripſit: eandemq. et operum ſuorum initio impreſſam, et a Surio in tomo altero exſcriptam, legimus. Porrò illam etiam Paulus diaconus contexuit, ut ipſe teſtis eſt; poſtremo Sigonius libro. 1. de Reg. Italiæ. Atque huic quidem pontifici, eiuſq. libris multum tributum eſt cum à latinis, tum a Græcis. In his ſane Damaſcenus, in ſermone de defunctis, hoc ei teſtimonium dat; Gregorius, ueteris Romæ epiſcopus, uir, ut teſtantur omnes, ſacrarum diſciplinarum intelligentia celebris: cui etiam, ſicut tradunt, ſacra facienti angelus ſe ſocium addidit. Euthymius eiuſdem ſæpe meminit. Anaſtaſius uero, Antiochiæ epiſcopus, paſtorales illius libros græce uertit: ſicut Zacharias pontifex eiuſdem morales græcos fecit. Atqui Concilij Toletani VIII. patres de illo ſcribunt his uerbis: Beatus etiam Papa Gregorius, et uitæ meritis honorandus, atque in ethicis aſſertionibus, pene cunctis præferendus. Petrus Diaconus, qui fuit unus ex illius intimis, aliquando iureiurando affirmauit, ſe columbam, lucubrantis pontificis auribus aſſidentem, ſæpius conſpicatum eſſe: ex quo perſpicuum fuit, quæ ſcripſit, cum non ſine cæleſti Spiritus ſancti afflatu ſcripſiſſe: eamq. ob cauſam imago illius exprimi ſolet, ut antiqui moris eſt, cum columba in eius humeris aſtante. Neque uero eſt, cur hoc loco teſtimonia ſcribamus, quæ ſanctiſſimo, eidemq. doctiſſimo pontifici afferunt rituum eccleſiaſticorum ſcriptores; Iſidorus, Rabanus, Amalarius, Valfridus, micrologi auctor, ceteriq. id generis, cum de his ipſis ſcribendi locus ſit in notationibus, Platinæ per nos adiunctis: in quibus de eccleſiæ ritibus, ab eo inſtitutis, de ſtationibus, de ſeptem eccleſiæ Romanæ officijs, atque alijs, quæ utiliter, ſancteq. ille ſtatuit, enucleate perſcribimus.

s. Innocentij 1. Papæ.) Quem huic diei aſcripſimus, Bedam, et Martyrologia antiqua, manu ſcripta, quibus multum tribuimus, ſecuti: at more Romano de eo fit quinto calendas Auguſti: quo die pluribus ſcribemus.

s. Mamiliani martyris.) De quo litteris traditum eſt in geſtis ſanctiſſimi Vrbani pont. cuius dies natalis eſt VIII. calendas Iunij. In Martyrologio Bedæ ſcribitur, ſancti Maximiliani, ſed, s. Mamiliani, retinuimus, ut in pleriſque alijs eſt.

s. Petri Diaconi.) Ex Martyrologio, M. S. Is eſt, qui tam præclarum, ut diximus,

ximus, teſtimonium dedit ſcriptis ſanctiſſimi pontificis Gregorij.

s. Petri martyris.) Euſeb. lib.8. hiſt. eccl. cap.6. Vſuardus, Beda, et ceteri id generis ſcriptores.

s. Egduni.) Aliàs, Egdunij: de quo, et ſocijs ſeptem ſcriptum eſt breuiter a Beda, et Vſuardo.

In Britannia.) Minori ſcilicet. s. Pauli epiſcopi Leonenſis: cuius uitam breui commemorat Aequilinus lib.3. cap.194.

Tertio idus Martij.

ss. martyrum, Macedonij, Patritiæ, et Modeſtæ.) Anno Domini C C X C. Maximiano I I. et Ianuario Coſſ. De his martyribus Vſuardus, Beda, et Ado, breuiter ſcribunt. Fuit Patritia, Macedonij coniunx, Modeſta filia.

ss. Theuſetæ, Horris, Theodoræ, et reliquorū.) Vſuardus, Beda, et M.S. Codd.

Hermopoli.) Aliàs, Hermupoli; ut ſcribitur in Itinerario.

s. Sabini martyris.) Cuius uitam e græco carthophilacio breuiter conuertimus: at Metaphraſtes pluribus exponit, ut eſt apud Surium in tom.2.

ss. martyrum, Africani, Puplii, et Terentii.) E tabulis græcis.

s. Euphraſiæ uirginis.) Vſuardus, et Surius. Hic in tomo ſecundo, quem de ſanctis contexuit, ſermone complexus eſt huius uirginis uitam: quæ, in uitis patrum etiam impreſſa, extat.

Beatorum martyrum, Ruderici presb. et ſalomonis.) De quibus s. Eulogius ſcribit in Apologetico.

s. Leandri.) Vt fit in eccleſia Cordubenſi. De eo ſupra ſcripſimus.

In monaſterio Cluniacenſi.) Quod, a Guilielmo I I. Aquitaniæ duce, non longe a Maſtica urbe in Burgundia ædificatum, multos peperit, et ſanctitate, et doctrina claros uiros, ut, Odonem, Odilonem, Vgonem, et alios, quos alio loco commemorauimus. Ab eo monaſterio ordo Cluniacenſis nomen accepit: qui ordo monaſteria olim habuit duo millia, et Romæ potiſſimum tria, unum ſancti Pauli, uia oſtienſi, a Ioanne X I I. pont. conceſſum, alterum ſancti Laurentii, tertium ſanctæ Agnetis, utrumque etiam extra urbis mœnia ſitum.

Tranſlatio, ſanctæ Concordiæ.) E Martyrologio Romano.

Pridie idus Martij.

Beatiſſimorum martyrum, Quatraginta ſeptem.) Aliàs, Quatraginta nouem ut Maurolycus legit: ſed in omnibus ferè Martyrologiis, et ſcriptis, et impreſſis, ſcriptum eſt, Quatraginta ſeptem: de quibus relatum eſt in acta Proceſſi martyris: cuius dies natalis eſt V I. nonas Iulii.

s. Zachariæ pont.) De quo ſcriptum eſt in lib. pontif. cap.93. et tom.3. concil. Huius pontificis res pie, utiliterq. geſtas, Sigonius denique præter ceteros diligentiſſime perſecutus eſt lib.3. de regno Italiæ. Is s. Gregorii libris maximopere delectatus, græce reddidit, ut diximus, eius paſtorales.

Beati Sagoris epiſcopi, et mart.) Aliàs, Sagaris. Hic Laodiceæ epiſcopus I I. s. Lucio ſucceſſit.

ss. martyrum, Petri, et Aphrodiſii.) Aliàs, Euphrodoſii, ſed in omnibus libris ſcriptum eſt, Aphrodiſii: de his martyribus Victor Vticenſis.

ss. martyrum, Donati, Effroſi, Fiuminij.) Beda, et M. S.

Bea-

Beatiſſimorum martyrum, Feliciſſimi, et Frontinæ.) Beda item.
In Pidne.) Quæ alio nomine Cydna uocatur, urbs Macedoniæ.
s. Alexandri martyris.) Vt a græcis tabulis accepimus.
ss. Recuperati, et ſociorum martyrum.) Ex M.S.
s. Lazari epiſcopi et conf.) Ex Calendario perantiquo, et uolumine, manu ſcripto, eccleſiæ Mediolanenſis, atque ex annalibus item Boſſii. De s. Lazaro epiſcopo Med. uerſus extant, ab Enodio, Epiſcopo Ticinenſi, conſcripti.
s. Innocentij ep.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Veronenſis.
s. Leonini epiſcopi.) Repone, Leouini, uel, Leobini, ut eſt apud Democharem.
Tranſlatio s. Bonauenturæ.) Quæ celebrata eſt anno Domini MCCCCLXXXII.

Idibus Martij.

Sancti Longini martyris.) Beda, Vſuardus, et Metaphraſtes: qui pluribus illius martyrium explicat, ut eſt apud Surium in tom. 2. de ſanctis. Eiuſdem meminit s. Antoninus in chronicis par. 1. tit. 6. cap. 25. Illius geſta, litteris mandata, extant Louanij in baſilica ss. Petri, et Martini: ſed pleraque in apocryphis cenſentur, præſertim quæ de apocrypho Nicodemi euangelio ſumpta ſunt. In Græcia eius dies natalis celebratur XVII. cal. Nou.

Bethaniæ.) Quæ eſt in Palæſtina uicus Marthæ, et Mariæ, in montis Oliueti latere ſitus, ſecundo ab urbe Hieroſolyma milliario: ad quem uicum Chriſtus Dominus aliquando diuertit, Matth. 21. Mar. 11. Luc. 10. Ibiq. Lazarum Bethanienſem, a morte excitauit. Ioan. 10.

s. Ariſtobuli.) Cuius s. Paulus meminit in ep. ad Rom. Dorotheus in Synopſi, Volaterranus in com. lib. 19. et Græci in Menologio: qui illum τῆς βρεταννίας epiſcopum dicunt.

Theſſalonicæ.) Quæ Macedoniæ metropolis, uulgo Salonich, tantarum rerum gloria celebris, turcarum imperio hodie paret. Primò Theſſalonicenſes ab ſancto Andrea Apoſtolo fidei doctrina inſtructi ſunt: ad quos deinde beatus Paulus Apoſtolus profectus, et apud Iaſonem, ciuem Theſſalonicenſem, pium hominem aliquot dies diuerſatus, magno certamine, euangelium docuit: indeq. intem peſta nocte abire coactus, cum illuc, ut inſtituerat, redire per inſidias non potuerit, eoſdem duabus epiſtolis cohortatus eſt ad fidei chriſtianæ doctrinam. Eorum epiſcopus 1. fuit, Siluanus ab eodem Apoſtolo creatus. Alexander Theſſalonicenſis ſubſcripſit concilio Nicæno priori.

s. Matronæ martyris.) Beda, Vſuardus, et ceteri latini ſcriptores, tum Græci: qui illius diem natalem agunt ſexto calendas Aprilis, ut e Menologio, et Horologio cognouimus.

Beatorum martyrum Agapij, Timolai, Puplij, et Sociorum.) Quod de his in Martyrologium retulimus, ſummatim conuertimus e græcis libris.

Beati martyris Nicandri.) E græco Cartophylacio, et Menologio. Eſt autem alius Nicander, Myreorum epiſcopus: cuius celebritas in Græcia agitur pridie nonas Nouembris.

s. Leocritiæ.) Cuius uita, et martyrium exponitur in uita ſancti Eulogij martyris; et corpus in Hiſpania Oueti reconditur: quo loco ubique legitur, Lucretiæ; ſed nos, s. Leocritiæ, ſcripſimus, ſcholia ſecuti Ambroſii Moralij in Eulogij libros.

Reate.) Quæ antiquiſſima, Sabinorum urbs, quatraginta millia paſſuum Roma diſtans, uulgo Rieti, nuncupata, umbilicus Italiæ putatur. Huius urbis epi-

ſcopus, Gaudioſus,in concilio Lateranenſi interfuit Martino 1. Pont. Hadrianus in concilio Conſtantinopolitano, Agathone pont.

s. Probi.) Ex tabulis eccleſiæ Reatinæ. s. Probi meminit s. Gregorius lib. 4. dial. cap. 12.

s. Tranquilli ep. et conf.) De quo s. Gr. Tur. libr. de gloria confeſſ. cap. 44.

Decimo ſeptimo calendas Aprilis.

s. Cyriaci martyris.) De quo memoriæ proditum eſt in actis s. Marcelli pont. quæ Surius in tomo primo exſcripſit. Meminit hoc die eiuſdem Beda, et Vſuardus item. Romæ Cœmeterium ſancti Cyriaci fuit uia Oſtienſi.

In cataxta extentus.) Cataxtam nominat s. Cyprianus lib. 3. ep. 4. Eſt autem cataſta locus editior: in quò de martyribus ſumebatur ſupplicium τὰ βάθρα græce. Tu uide Pammellium in ead. ep.

s. Hilarij ep. et Tatiani diaconi.) Alias, Datiani, ſed, Tatiani, paſſim ſcribitur in Martyrologijs, et ſcriptis, et impreſſis.

In Cilicia.) Caramania hodie: Cuius prouinciæ Metropolis, Tarſus, cum beatum Paulum Apoſtolum genuit, tum fidei Chriſtianæ doctorem eundem habuit: ut mirum non ſit tot in locis, tanta diſciplina, grauitate, et conſtantia, olim chriſtianam religionem per tot celebres eccleſias Ciliciam coluiſſe, quæ a tàm magno doctore, naſcentis euangelij initio, fidei myſterijs imbuta ſit. De Tarſenſi eccleſia teſtantur hiſtoriæ, eædemq. epiſcopos illius magnos uiros fuiſſe declarant, ſicut martyres etiam Tarſenſes præclare pro Chriſti gloria dimicaſſe oſtendunt. Primò Iaſon, Tarſi epiſcopus, ab eodem Apoſtolo conſecratus eſt. Theodorus præterea Tharſenſis, cum decem alijs Ciliciæ epiſcopis, adfuit in concilio Nicæno priori.

s. Iuliani martyris.) E græcis monimentis accepimus huius martyrium.

s. Romani mart.) Quorum celebritatem hoc die Græci agunt, ut ex illorum.

ss. martyrum Decem.) Tabulis animaduertimus.

s. Heriberti epiſcopi.) Aliàs, Hereberti: cuius uitam, quæ apud Surium in tom. 1. extat, Rupertus, abbas Tuitienſis, ſcripſit: antea uero eandem, s. Matri Eccleſiæ Romanæ dicatam, Lambertus Leodienſis, duobus libris complexus eſt.

s. Patritij ep. et conf.) Vſuardus, et M. S.

s. Iſicij ep. et conf.) Beda, et M. S.

Decimo ſexto calendas Aprilis.

s. Scotia.) Quæ, Britanniæ inſulæ nomine olim comprehenſa, religionem chriſtianam ſuſcepit, Eleutherio Pont. Max. M. Antonino, et Aurelio Commodo, Impp. AA. Lucio Rege, Ariſtobulo, Fugatio, et Damiano apoſtolicis uiris, anno Domini C L V I. Quo tempore quamuis fidem acceperit; at epiſcopus primum eidem datus eſt Palladius diaconus, Celeſtino pont. Max. Theodoſio minori, Imp. anno Domini C C C C X X. Porrò Scotiæ nomine in Martyrologio intelligitur Hybernia, cuius epiſcopus primus fuit, s. Patricius: de quo hoc ipſo die fit in ea inſula: ubi paſſim illius ſancti imago exprimitur ſerpentibus, ad eius pedes abiectis; quoniam diuina illius uirtute hoc mirabiliter fieri traditur, ut nulla uenenata beſtia ibi uiuat; id quod narrat Beda lib. 1. cap. 1. hiſt. ang.

s. Mariæ martyris.) Cuius martyrium pluribus exponitur a Beda, ut eſt item

in Mar-

in Martyrologio Cremonenſi, quo uſi ſumus.

s. Agricolai ep. et conf.) Ex codice M. S. Aliàs, Agricolæ: cuius mentio fit in uita s. Germani, Epiſcopi Pariſiorū, et apud Greg. Tur. lib. 5. cap. 45. hiſt. Fran.

s. Gertrudis uirginis.) Ex calendario, et Indiculo Belgij, et Martyrologio perantiquo. Tu præterea uide Surium tom. 2. de ſanctis.

ss. confeſſorum, Colonati, et Totuani.) Artimanus monachus in annalibus.

Decimo quinto calendas Aprilis.

s. Alexandri epiſcopi, et mart.) Vſuardus, Beda, Euſebius lib. 6. hiſt. eccl. Nicephorus in chronicis, et s. Hieronymus in libro de uir. ill. Is eſt, cui Clemens presbyter eccleſiæ Alexandrinæ librum ſcripſit contra eos, qui in Iudæorum errore uerſabantur. Epiſtolas præterea illius multas præſertim unam ad Antinoitas, alteram ad Antiochenſes legit idem s. Hieronymus: qui magnam partem commentariorum ad Galatas ſe ab illo accepiſſe fatetur. Martyrio coronatur, quo anno s. Babylas, anno Domini CCLV. Gallo, et Voluſiano coſſ.

s. Cæleſtici mart.) Beda.

Beatorum martyrum, Aprilis, Ceruoli, Eucarpionis, et Sociorū decem mille.) Ex Beda, Martyrologijs, M. S. et annalibus rerum eccleſiaſticarum.

s. Narciſſi ep. et mart.) De quo ſcriptum eſt in geſtis s. Afræ martyris: cuius dies natalis agitur nonis Aug.

s. Eduardi regis, et martyris.) Cuius uitam, in antiquis exemplaribus, manuſcriptis, explicatam, Surius luculente narrauit in tom. 2. de ſanctis. In Martyrologio Maurolyci ſcribitur, s. Eldeburdi, ſed deprauate.

s. Cyrilli epiſcopi.) Cuius celebritatem adſcribit Surius pridie huius diei, ſed græci hoc ipſo die illam agunt, ut e Menologio apparet. Huius Cyrilli Alexandrini meminit concilium œcumenicum VII. et alterum, Martino I. pont. habitum; ac s. Hieronymus item. Vitam, ex hiſtorijs eccleſiaſticis a Ioanne Grodecio perbelle contextam, Surius adſcripſit in tom. 2. de ſanctis.

s. Tretici ep. et mart.) Ex tabulis ss. epiſcoporum eccleſiæ Antiſiodorenſis; et ex Demochare lib. 2. de ſacr. Miſſæ.

s. Speciosæ uirginis.) Vt eſt apud Molanum.

s. Anſelmi epiſcopi.) Ex annalibus Artimani monachi, Sigeberti, et tabulis eccleſiæ Mantuanæ.

Decimo quarto calendas Aprilis.

s. Ioſeph confeſſ.) Cuius in eccleſia Græca cōmemoratio fit VII. calen. Ian. De feſto autē illius die uel in aduētu, uel in octaua Purificationis celebrando pluribus diſſerit Ioannes Gerſo in par. 4. operū ſuorum. De s. Ioſeph præterea extat homilia s. Bernardi, altera itē Petri Cardinalis Aliacenſis. De eodem ſcriptū eſt in euangelio Mat. 1. Luc. 1. 2. Fuit is faber, non ferrarius, ut quidam opinati ſunt, ſed lignarius, ut Iuſtinus ſentit in dialogo cōtra Tryphonem; beatiſſimæ uirginis Mariæ ſponſus, annū natus octuageſimū, ſicut Epiphanius ſcribit; ſed hac ætate illū fuiſſe, atque ex apocrypho libro ſumptū eſſe, Gerſo cenſet, idemq. exiſtimat Ioānes Heſellius, ut hac ipſa de re multis Molanus diſputat in lib. de pict. cap. 62.

Surrenti.) Quæ Campaniæ urbs, alio nomine Petræ ſirenum, uulgo nominatur ſorriento.

ſs. martyrum, Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci, et Sociorum ɪ x.) Ado, Vſuardus, Beda, et M. S. Addidimus, Florentij, ex libris, manu exaratis.

Albigauni.) Quod Liguriæ oppidum, alij Albingaunium, alij Albingam uocant, uulgo Albenga.

Beati martyris Caloceri.) De quo ſcriptum etiam eſt in actis ſs. martyrum Iouitæ, et Fauſtini. Eiuſdem meminit Vſuardus, et Caniſius, Ado autem x v. calendas Martij: at x ɪ ɪ ɪ ɪ. calendas Maij de eo fit in eccleſia Mediolanenſi, in cuius libris, manu ſcriptis, illius martyrium pluribus exponitur.

s. Claudij martyris.) Vt e græco codice accepimus.

s. Pācharij martyris.) Sicut in Menologio, unde ſumpſimus, græce ſcriptū eſt.

s. Hilariæ, et Coniugis.) Græce exaratum utriuſque martyrium eſt.

s. Theodori presbyteri.) Aliàs, Diodori, ut græce illius, et Mariani, ſociorumq. martyrium enucleate perſcribitur.

s. Ioannis confeſ.) Vſuardus, Ado, Beda, alijq. item. Sed in Martyrologio Cremonenſi pluribus illius uita narratur, quæ a Ioanne Epiſcopo Spoleti ſcripta putatur. Tu præterea uide Surium in tom.2. de ſanctis.

s. Leontij.) Martyrol. Rom, uetus.

s. Zandoaldi presbyteri.) Cuius uitam, a Nodgero, Leodij epiſcopo, litteris conſignatam, Surius adſcripſit in tomo.2. de ſanctis.

Decimo tertio cal. Aprilis.

s. Ioachimi confeſſoris.) Huius diem natalem Græci agunt quinto idus Septemb. alij x v ɪ. calendas Octob. ut ſcribit Maſſæus, in Chronicis: Eccleſia uerò Churienſis quinto idus Decemb. Qua de re tu uide Clicthoueum in hymno. s. Ioachimi meminit Epiphanius contra hær. 79. Damaſcenus lib. 4. cap. 15.

s. Archippi.) Cuius meminit s. Paulus in ep. ad Coloſ. cap. 4. Vſuardus, Dorotheus, et Græci præterea in Menologio, et Horologio: quo libro diem illius natalem aſcribunt x ɪ. cal. Marcias.

ſs. Pauli, Cyrilli, Euſebij, Ioſephi, et Sociorum ɪ ɪ ɪ ɪ.) Ex Martyrologio, qui s. Hieronymi putatur, atque ex codice M. S.

In urbe Aminſo.) Aliàs, Amiſo: quæ urbs Ponti nobiliſſima, alio nomine Amaſia uocatur, a Ptolomæo aliquando Polemoninm, aliquando Pharnacia. In Ponto initio prædicationis ab ſancto Petro Apoſtolo euangelium diſſeminatum eſt. Fuerunt pontici ciues, Aquilæ duo, unus, qui uetus teſtamentum græce uertit; alter Priſcillæ maritus, ac beati Pauli Apoſtoli familiaris, cuius s. Lucas in actis meminit cap. 18. In pontum s. Ioannes Chryſoſtomus relegatus, in Oppido Pythiunte aliquandiu manſit. Pontici epiſcopi in concilio Nicæno 1. interfuerunt, Longinus Neocæſarienſis, Domnus Trapezuntius, Stratophilus Ptyuſius.

ſs. Chriſti martyrum, Alexandriæ, Claudiæ, Euphraſiæ, Matronæ, et reliquarum.) Quarum, ſeptem ſcilicet piarum fœminarum martyrium, græce expoſitum, ſummatim conuertimus.

s. Rhodiani martyris.) Ex Horologio græco.

s. Cuthberti.) Cuius uita, primo uerſibus, deinde ſoluta oratione a Beda conſcriptam, Surius retulit in uolumen 2. de ſanctis.

s. Vulfranni.) Huius uita, a Iona monacho litteris conſignata, extat in eodem uolumine Surij.

Duode-

Duodecimo calen. Aprilis.

s. Benedicti abbatis.) Cuius dies natalis etiam in Græcia agitur, ſed pridie idus Martij, ut in Menologio notatur: Alijs locis quinto idus Iulij, quo die celebratur translatio. Cum enim dies natalis eius in quatrageſimam cadat, quo tempore ex antiquo ritu de ſanctis fieri nō ſolebat, ad certum illum menſis Iulij diem celebritas eius dilata eſt, ut Radulphus Tungrenſis ſcribit. De s. Benedicto ſermones tres extant Guerrici Abbatis Igniacenſis, et unus Honorij presbyteri, alter Odonis Abbatis Floriacenſiq. Vita illius græce conſcripta eſt, et Latine in primis a Sanctiſſimo Gregorio I. pontifice lib. 2. dial. cap. 34. Quam uitam deinceps uerſibus contexuit Marcus poeta, ut Sigebertus teſtatur cap. 33. de uir. ill.

s. Serapionis Anachoritæ.) De quo ſcriptum eſt in uitis patrum, et in hiſtoria Tripartita lib. 8. cap. 1. ab Vſuardo item breuiter in mart. et a Beda.

s. Lupicini epiſ.) Hunc, & Beda, et Vſuardus, et alij abbatem nominant, et ita in Martyrologio reponendum cenſemus. De Lupicino enim epiſcopo, fit III. nonas Februarij, quo die de eo ſcripſimus.

s. Benedicti monachi.) Cuius Sigelbertus mentionem facit in chronicis, et s. Gregorius lib. 3. dial. cap. 18.

Vndecimo calen. Aprilis.

Narbonæ.) Hæc Narbo etiam uocatur, à qua, prouincia Narbonenſis nomen accepit, olim ampliſſimum totius Galliæ emporium, initio ferè euangelicæ prædicationis fidem accepit ab ſancto Paulo, de quo fit hoc die, apoſtolorum diſcipulo. Natus in ea urbe eſt ſanctiſſimus martyr Sebaſtianus.

s. Pauli.) Cuius diem natalem Beda adſcribit idibus Decembris, Vſuardus pridie calen. Aprilis.

s. Aphrodiſij epiſ.) Vſuardus, Eiſengrinius in cent. I. Volateranus comm. lib. 3. De eo eccleſiæ Narbonenſis monimentis traditum eſt.

ss. Callinicæ, et Baſiliſſæ.) Vt e græcorum tabulis animaduertimus.

s. Baſilij presbyteri, & martyris.) Hic presbyter, et martyr, alius ab eo eſt, quem eccleſiæ Ancyranæ epiſcopum, Macedonianæ partis cum Euſtatio Sebaſteno principem fuiſſe, à ſancto Hieronymo accepimus: Id uero cum ex temporum ratione perſpicuum eſt, tum ex ijs, quæ prodita ſunt eccleſiaſticis monimentis Græcorum, qui ex perueteri inſtituto, Baſilij huius martyris celebritatem religioſis precibus, diuiniſq; laudibus agunt hoc ipſo die. Hunc Baſileum pleriquè uocant: de cuius martyrio ſcriptum eſt in lib. VI. Trip. hiſt. cap. 14.

ss. martyrum, Saturnini, et ſociorum IX.) Victor lib. I. perſ. Vandalicæ.

s. Saturi confeſſoris.) Idem Victor eo ipſo libro cap. ult.

ss. martyrum, Decronij, et Alionis.) Beda.

s. Leæ uirginis.) s. Hieronymus in ep. ad Marcellam.

s. Catharinæ uiduæ.) Cuius uitam, mirifice religioſeq. actam, luculente exponit Surius in tom. 2. de ſanctis.

Decimo calen. Aprilis.

ss. martyrum, Liberati, et coniugis, ac filiorum.) Aliàs, Liberij, ſed, Liberati,

ti,ſcripſimus, ut in perſecutione Vandalica apud Victorem extat.

Adrumenti.) ut a Plinio appellatur, ab alijs Hadrumentum cum aſpiratione, a s. Hieronymo, uel a Beda potius, at Adrumetis, urbs Africæ, ueterum ſcriptis notiſſima, hodie Machomedia. Adrimetinam coloniam Cyprianus ep. 45. uocat. Huius urbis mentio fit in actis Apoſt. cap. 25. apud s. Auguſtinum, Vict. Vticenſem hiſt. Vand. lib. 3. Ptolomæum, Solinum, Cæſarem, Saluſtium, et alios. Concilio Carthaginenſi 1. Polycarpus ab Adrumeto ſubſcripſit. Non deſunt uero, qui Adrumentum, ut nos ſcripſimus, uocant; ut pote. s. Auguſtinus, Victor, et alij.

ss. Victoriani, Veroli, Secundini, et ſociorum uiginti.) Ex libro 3. eiuſdem Victoris de perſecut. Vandal. a quo nomina accepimus aliorum item, quorum martyrium diei huic adſcripſimus, martyrologium, manu ſcriptum, ſecuti.

s. Proculi ep.) Ex tabulis eccleſiæ Veronenſis, et conſtitutione Synodali, eiuſdem eccl.

s. Theodori presby.) Vſuardus, & M. S.

ss. Iuliani.) Idem.

Inuentio ss. mart. Dionyſij epiſcopi, Ruſtici, et Eleutherij presb.) Ex M. S. Itidemq. eſt apud Maurolycum.

Nono calendas Aprilis.

s. Pigmenij presbyteri.) Cuius martyrium Beda enucleatius perſcripſit, quàm Vſuardus, Ado, et alij.

ss. Octo mart. Timolai, Dionyſii, et reliquorum.) De quibus memoriæ proditum eſt ab Euſebio lib. 8. hiſt. eccl. cap. 13.

ss. mart. Muritæ, & aliorum clericorum.) Vt de iis ſcriptum eſt a Victore Vticenſi.

s. Agaphi.) Aliàs, Agapeti: qui Synadæ in Phrygia epiſcopus extitit, ſicut à Suida accepimus, et a Socrate item lib. 3. cap. 7. hiſt. eccl.

s. Seleuci.) Vſuardus, et M. S.

s. Latini epiſ.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Brixienſis, et annalibus urbis Bergomi.

Octauo calen. Aprilis.

Annunciatio beatiſſimæ uirginis Mariæ.) In ordine Romano, Annunciatio s. Mariæ, et in Micrologo cap. 48. et Antiphonario s. Gregorii itidem inſcribitur. in libro Sacramentorum autem, Annunciatio Beatæ Mariæ; de qua à s. Luca euangeliſta in euangelio ſcribitur cap. 1. Huius diei celebritas cum in hebdomadam ſanctam frequentius incidat, quo tempore quoniam ſolemni ritu ob paſſionē Chriſti Domini agi non poteſt, placuit olim Toletani concilii patribus in aduentum Domini, nempe ad decimum quintum calendas Ianuarii illam transferri, ut rem totam ſcribit auctor Micrologi cap. 48. et Radulphus Tungrenſis prop. 16. Idq. in eccleſia Ambroſiana ſeruatur in qua mors eſt illam ſolemniſſimo agi die Dominico, Natalem Domini proxime præcedenti. More autem Romano, quem admodum et agatur, et transferatur, Durantius lib. VII. cap. 9. Belethus, et Sicardus exponunt. Syri chriſtiani illam ſolemniter agunt in Sabbato ſancto, Græci hoc die. Extant de ſanctiſſimo hoc myſterio libri, et latini, et græci, tum conciones

ciones præterea quàm plurimæ ſanctorum patrum, ut Athanaſii, Chryſoſtomi, Andreæ Cretenſis, s. Auguſtini, s. Bernardi, Innocentii papæ tertii, Guerrici Igniacenſis, Iuonis, Brunonis Cartuſienſis, Radulphi Ardentii, Honorii presbyteri, et aliorum.

s. Iacobi Apoſtoli.) Cuius martyrium in hunc diem cadit, ſed celebritas transfertur ad octauum calendas Auguſti, ut et de hoc, et aliis quibuſdam feſtis diebus ſcribit Petrus Damianus in libro, qui dicitur, Dominus uobiſcum, cap. 15.

s. Cyrini mart.) De quo ſcribitur in actis, quæ apud Surium extant, Valentini presbyteri. Illius præterea martyrium litteris mandauit Anaſtaſius Bibliothecarius; Vſuardus breuiter meminit, ac Beda item.

Beatorum martyrum CCLXII.) Ex annalibus martt. et cod. M. S. Eorum martyrium breui narrat Vincentius lib. x. cap. 98.

Sirmij.) De quo aliàs diximus.

s. Irenæi epiſ.) Vſuardus, Beda, et M. S.

s. Dulæ virg.) Vſuardus, Beda, et M. S.

s. Egberti.) Ex annalibus rei eccleſiaſticæ.

s. Humberti epiſ.) Vt a Molano accepimus.

In antro.) Quæ inſula Galliæ eſt, in Garumna fluuio ſita: cuius Mela meminit lib. 3.

s. Hermelandi.) Qui monaſterii Antrenſis abbas 1. fuit. Eius uita, ab monacho item Antrenſi conſcripta, deinde ornatius a Surio expoſita, legitur in tomo 2. de ſanctis.

Hoc ipſo die, nempe VIII. Calendas Aprilis, Chriſtus Dominus cruci affixus eſt, ſicut ſancti Patres ac doctiſſimi uiri frequentes in hanc ſententiam eunt, in primiſq. s. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus in epiſtola, ad Synhodum Carthaginienſem, Beda, Albertus magnus, Gerbandus, Campanus, et alii plerique omnes. Nicetas, et eccleſia Græca x. calendas Aprilis; Theophilus Cæſarienſis XI. calendas, itidemq. olim eccleſia Gallicana; Lactantius Firmianus, et ceteri, qui tabulam cycli magni ſequuntur, VII. calendas Aprilis; alii, ut Paulus Sempronienſis, III. Nonas; alii, ſubducta e græcis tabulis ſupputatione, IV. Nonas Aprilis paſſionem Domini adſcribunt. De toto hoc genere quæſtionis cum alii diſſerunt, tum pluribus Honofrius libro comm. II. de faſtis. Sed hæc hactenus, cum iudicium ſit ſacroſanctæ catholicæ, apoſtolicæq. eccleſiæ Romanæ.

Septimo calen. Aprilis.

s. Caſtuli mart.) De quo à notariis S. R. E. relatum eſt in acta beati Sebaſtiani martyris, quæ in tomo 1. Surius exſcripſit. Breuiter illius martyrium Vſuardus exponit, ſed pluribus Beda: qui Cetarium præterea palatii nominat, at pro Cetario Zetarium reponi oportet. Præerat enim is Zetis: erat autem Zeta, locus capax unius Lecti cum duabus ſellis, qui uelis obductis, et reductis, modò adiicitur cubiculo, modo aufertur. De Zetis inſtructis legitur in oratione s. Sebaſtiani.

Beatiſſimorum martt. Petri, Martiani, Iouini, et aliorum) Ex M. S.

Pentapoli in Lybia.) Cuius regionis tractus, à quinque urbibus uocata, Pentapolis etiam Cyrenaica dicitur. Quæ urbes hæ ſunt, Berenice, Arſinoe, Ptolomais, Apollonia, et Cyrene. Is tractus cum reliqua africa, hodie Barbaria nuncupatur. Huius Pentapolis aliquando meminit s. Lucas in actis ap. Epiſcopi Pentapolitani in concilio Niceno 1. interfuerunt, ut Dathes Berenice, et alij, et in Mileuitana item ſynodo.

ss. Theo-

ſs. Theodori ep. Irenæi, diaconi, et aliorum.) Vſuardus, Beda, et cod. M.S.
ſs. martt. Montani presb. Demetrij diaconi.) Iidem, qui ſupra.
s. Felicis.) E tabulis eccleſiæ Treuenſis.
s. Ludgeri.) Vide Surium.

Sexto cal. Aprilis.

s. Martiniani epiſcopi.) Aliàs, Martiani.
s. Alexandri mart.) Vſuardus, et M.S. cod.
s. Ioannis Heremitæ.) Beda; Vſuardus, et cod. M.S. Ruffinus lib. II. cap. 19. s. Auguſtinus lib. de cura pro mort. cap. 17. et de ciu. Dei lib. 5. cap. 26. Euagrius, et Palladius cap. 43. hiſt. Lauſ. Sigelbertus in chron. Caſſianus lib. 4. de uit. pat. Heraclides, Caſſiodorus lib. 9. cap. 55. hiſt. Trip. et Proſper in chron.
ſs. martyrum Zanitæ, Lazari, et ſociorum ſeptem.) Ex M.S. cod. Metaphraſtes, in martyrio Ionæ, die 29. Martii.
s. Ruperij epiſ.) Ruperti: cuius uitam, luculente explicatam, legimus apud Surium in tom. 2. de ſanctis.
s. Archibaldi abbatis.) Ex M.S. cod.
Reſurrectio Domini noſtri Ieſu Chriſti:) quam alii decimo, alii ſeptimo, nonnulli quinto calendas, alii calendis, quidam quarto, et præterea aliqui tertio nonas Aprilis, extitiſſe ſcribunt. ſed complures in ea ſententia uerſantur, ut hoc ipſo die, nempe ſexto calendas Aprilis, Chriſtum Dominum reſurrexiſſe affirment.

Quinto calendas Aprilis.

ſs. Priſci, Malchii, et Alexandri.) Euſeb. lib. 7. hiſt. eccl. cap. 12. Vſuardus, Beda, et alii. His martiribus Nicolaus monachus ſocios addit, Marcum, Aſterium, et Senatorem.
Beatorum mart. Adaucti, et Dorothei.) ut ex codice ſcripto accepimus. Caſtoris.) Ex Vſuardo.
ſs. martyrum Rogati, Succeſſi, et aliorum XVI.) Beda, et cod. M.S.
s. Herodionis mart.) Huius diem natalem alij celebrant ſexto idus Aprilis: nos, codicem græcum ſecuti, illius celebritatem adſcripſimus huic diei. Fuit is, Patrarum epiſcopus: cuius meminit s. Paulus in ep. ad Rom. 16. Dorotheus in Synopſi, Stephanus ep. Græcus in uita s. Petri.
s. Phileti mart.) De hoc, et ſociis ſcriptum eſt a Græcis.
s. Gumtramni regis.) Vſuardus ex Gregorio Tur. de gloria mart. cap. 76.

Quarto calendas Aprilis.

In urbe Aſtenſi.) Quæ in liguria ſita, a Nouaria non longe diſtans, ab initio propè prædicationis euangelicæ, fidem ſuſcepiſſe, coniicitur ex martyrio s. Secundi: cuius hoc die celebritas agitur. Is martyrio coronatus traditur, Anno Chriſti Domini CXXXIIII. Hadriano Imp. Augurino, et Sergiano coſſ. Quo anno Quadratus, diſcipulus Apoſtolorum, et Ariſtides, Philoſophus Athenienſis pro chriſtiana religione libros apologeticos ſcripſerunt ad eundem Hadrianum: quem anno poſtero, qui fuit CXXXV. Tiberio, et Siluano coſſ. eccleſiam

Dei oppugnare deſiiſſe, memoriæ proditum eſt, Sereno etiam Granio legato, uiro admodum nobili, chriſtianorum cauſam præclare defendente. De s. Secundo autem traditum eſt, ab Vſuardo, Caniſio, et annalibus Bergomenſibus.

Ionæ, et Barachiſij.) Martyrum res fortiter, diuineq. actas, Metaphraſtes concione expoſuit, quam apud Surium legimus in tom. 2. De ijs ſcriptum eſt etiam in aliis eccleſiaſticis græcorum monimentis.

ss. Paſtoris, et Victorini.) Ex Cod. M. S. Martyrol. Rom. et Maurolyco.

ss. martt. Saturnini, Iulianæ, et aliorum quatuor.) Ex Martyrologio ſcripto, ac probato, et a Molano item.

ss. Domnini, Victoris, et Balbinæ.) Ex M. S.

s. Marci Arethuſij.) De quo ſcriptum eſt in hiſtoria eccleſiaſtica Theodoriti, lib. 3. cap. 7. Sozomenis lib 5. cap. 19. Caſſiodori lib. 6. cap. 12. At pluribus uero, illius, et in uarijs certaminibus conſtantiam, et nobile martyrium commemorat Gr. Nazianzenus in oratione 1. contra Iulianum.

s. Armogaſti.) Lege, Armogaſti, aliàs, Armogaſtis: de quo et Socijs ſcribit Victor in fine lib. 1. perſec. Vand.

s. Euſtachij abbatis.) Aliàs, Euſtaſij: cuius uitã Ionas, eius diſcipulus ſcripſit.

Tertio cal. Aprilis.

Beatiſſimi martyris Quirini.) Cuius martyrium alij quarto, alij tertio, ut Caniſius, et nos alij pridie calendas Aprilis adſcribunt: anno autem Domini CXVII. M. Valerio Meſſala, et Pedone coſſ. Paſſi cum eo dicuntur MCCIII. de quibus Vſuardus, et Beda 4. idus Ap. De s. Quirino autem ſcriptum eſt in actis s. Alexandri Papæ, et in Martyrologio ab Vſuardo, Adone, Beda, Caniſio, Iſengrinio, et a Sabellico lib. 4. Enn.

s. Reguli.) Vſuardus, Caniſius, s. Antoninus in chron. par. 1. tit. 6. cap. 28. Iſengrinus in cent. 11. par. 4. diſt. 4. et Mombritius item.

ss. Agapij, et Secundini epp.) Beda, et M. S. De Socijs item, quos in Martyrologio huic diei adſcripſimus, ut pote de Aemiliano, Tertulla, et reliquis ſcriptum eſt ab eodem.

s. Paſtoris ep.) De quo aliàs, ex eod. M. S.

s. Mammertini abbatis.) Ex M. S. item.

Pridie cal. Aprilis.

s. Balbinæ uirginis.) Beda, Vſuardus, Ado, hoc ipſo die in Martyrologio, at Caniſius pridie calendas Martij; in quo die aſcripſimus, s. Salbinam, antiquorum auctoritatem ſecuti. De s. Balbina præterea Volaterranus lib. 14. comm. et Iſengrinus cent. 11. par. v. diſt. 1.

Amos Prophetæ.) s. Hieronymus in initio comm. in Amos, Epiphanius, Iſidorus, de uit. proph. Vſuardus in Martyrologio huius diei.

s. Aneſij.) Beda, et Vſuardus. Ei præterea ſocios adiunximus alios, quorum nomina accepimus a codice, manu ſcripto, et a Victore item.

s. Hypatij.) Vt ſcriptum eſt in tabulis græcorum: qui eius celebritatem hoc die agunt.

APRILIS.

Calendis Aprilis.

Beatiſſimæ martyris Theodoræ.) De qua a notarijs S.R.E.relatum eſt in acta s. Alexandri pont. et mart. cuius dies natalis agitur quinto nonas Maij: ſcribunt præterea hoc die, Vſuardus, Beda, et alij.

ss. Victoris, et Stephani.) Ado, Vſuardus.

s. Venantij ep. et mar.) Beda, Vſuardus, et M. S. codices.

ss. martyrum, Quintiani, et Irenæi.) Ex codice græco.

s. Hugonis.) Qui ab Innocentio II. Pont. Max. in ſanctorum numerum relatus eſt, ut perſpicuum ſit ex illius apoſtolicis litteris ad Guigonem, Cartuſiæ Priorem, datis. A quo Guigone Pontificis iuſſu conſcripta illius uita, extat apud Surium in tom.2. de ſanctis. Eiuſdem meminit Sigelbertus in Chronicis.

s. Vualerici abbatis.) Beda; et Surius: apud quem legas licet illius uitam, in tomo. 2. explicatam.

Quarto nonas Aprilis.

s. Theodoſiæ uirginis.) Vſuardus, ſed Beda pluribus de illa ſcribit, ut Acquilinus item.

Beatæ item Theodoſiæ uirginis, et mart.) Hæc Tyria, Cæſareæ in Palæſtina; illa, de qua ſupra, Cæſarienſis, et Cappadox, extitit. De Theodoſia Tyria uirgine, et martyre Euſebius ſcribit lib.8. cap.17. hiſt. eccl. Eius diem natalem Græci agunt 4. cal. Iunij.

s. Amphiani mart.) Cuius diem natalem Vſuardus, et Beda adſcribunt nonis Aprilis; nos uero huic diei adiunximus, concione Metaphraſtis adducti, quæ, hoc ipſo die de illo habita, extat apud Lippomanum. Hunc Apphianum Lycienſem plerique uocant: de cuius, et Æeleſij fratris martyrio litteris proditum eſt etiam ab Enſebio lib.8. cap.14. et 15. hiſt. eccl.

s. Victoris, et Sociorum XV.) M. S. at Beda habet, quattuordecim.

ss. Marcelli, Saturnini, Satuli.) Alias, Satulli, Beda item.

s. Mariæ Aegyptiacæ.) Quæ Peccatrix, uel potius, pœnitens uocitata eſt, ut s. Pelagia item: cuius dies natalis agitur VIII. idus Octobris. Pro hiſtoriæ ratione aliqui s. Mariæ Aegyptiacæ feſtum diem colunt quinto idus Aprilis. Eius uita, a Zozima abbate primum ſcripta, latine reddita eſt a Paulo, diacono Neapolitanæ eccleſiæ, ut ſcribit Sigebertus de uir. ill. cap.69. Contexta eſt etiam a Sophronio, Hieroſolymæ epiſcopo. Citatur in Nicæna ſynodo II. et a Damaſceno contra ſacrarum imaginum oppugnatores. Edita eſt cum uitis patrum, quæ extat item apud Surium. Verſibus demum exponitur ab Hidelberto Archiepiſcopo Turonenſi.

s. Nicetij ep.) Beda, Vſuardus, et M. S. De eo præterea Gr. Tur. lib. de gloria confeſſ. cap. 61. et alijs locis; et Demochares tom.2. de ſacrificio Miſſæ.

s. Abundij.) Ex Martyrologio Romano, et M. S. ex monimentis præterea eccleſiæ Mediolanenſis.

s. Vrbani ep.) Cuius hiſtoria multa exponit miracula in cõſeruandis uitibus: ideo cũ uite pingitur: nõ Vrbanus Papa, ut notat Molanus lib. de picturis cap 64.

s. Fran-

ſ. Franciſci Paulani.) Cuius uita expoſita eſt a Sadoleto in litteris canonizationis, quam Leo x. celebrauit. Tu uide Surium in tom. 2.

Tertio nonas Aprilis.

ſs. uirginum, et martyrum, Agapis, Chioniæ, et Irenlæ.) Harum uirginum martyrium Græci celebrant XVI. cal. Maij. Metaphraſtes in concione de martyrio Anaſtaſiæ matris de ijs ſcribit, ut legimus apud Surium. Sunt qui, Theſſalonicæ illas martyrium ſubijſſe ſcribant, ut Ado, Vſuardus, ac Beda: nos, Romæ, ſcripſimus, baſilicæ Cathedralis Bergomenſis tabulas, quibus earum martyrium exponitur, ſecuti: a quibus non diſſentit ſ. Antoninus in chron.par. 1.tit.8.cap.1. et Mombritius item.

ſ. Pancratij epiſcopi, et martyris.) Metaphraſtes in uita ſs. app. Petri, et Pauli; Nicephorus lib. 2. cap. 35. Is in Sicilia eccleſiam inſtituit. De eodem Vſuardus, Beda, et M.S.

Beatorum martt. Euagrij, et Benigni.) Vſuardus, et Beda, et alij.

ſs. Martt. Bythonij, et Elpidophori.) Vt in tabulis græcis ſcriptum eſt.

ſ. Richardi.) Epiſcopi Ciceſtrienſis: cuius uitam, a Radulpho Ciceſtrio libris duobus ſcriptam, Surius breui exponit in tomo 2. de ſanctis.

Pridie nonas Aprilis.

Beatorum martyrum, Pauli, Victoris, Nicanoris, Apollonij, et Martinianæ uirginis.) Alias, Martianæ. De Nicanore, Apollonio, ab Vſuardo, et Beda ſcriptum eſt nonis huius menſis: nos huic diei illos adſcripſimus, codices, manu exaratos, ſecuti.

ſs. Theoduli, et Agathopodij martt.) Metaphraſtes hoc ipſo die: at Græci Nonis eorum diem natalem agunt, ut ex Horologio perſpeximus.

Mediolani.) Quæ Galliæ Ciſalpinæ metropolis, populi multitudine refertiſſima, iam inde primum ab ſanctiſſimo Apoſtolo Barnaba Chriſti Ieſu ſacris imbuta, archiepiſcopos, ſanctitatis laude claros, in cæleſtiumq. ciuium numero adſcriptos, XXXVI. habuit: de quibus in præfatione noſtra homiliarij ambroſiani breuiter ſcripſimus. Habet præterea nobiles eximia uirtute martyres, Geruaſium, Protaſium, Calimerum, Naborem, Felicem, Celſum, Nazarium, Sebaſtianum, Victorem, et Socios, Vitalem, et alios complures; ita ut iam inde primum a Neronis temporibus, in omni fere perſecutione, egregijs, et martyrum, et epiſcoporum uirtutibus ad pietatis fideiq. tuendæ ſtudium excitata ſit ciuitas Mediolanenſis. Cuius etiam eccleſiaſticis rebus acceſſio maxima, et ornamenti, et ſplendoris facta eſt a magno illo epiſcopo Ambroſio: cuius dies natalis hoc ipſo die eſt; qui quoniam in quatrageſimam cadit, celebritas transfertur, ut Rad. Tungrenſis ſcribit, in illius ordinationem; quæ more Romano, græco, et ambroſiano agitur VII. idus Decembris.

ſ. Ambroſij ep.) Et doctoris ex conſtitutione Bonifacij Papæ VIII. ſed de eo quidem pluribus ſcribemus ad VII. idus Decembris.

ſ. Iſidori ep.) In Breuiario Hiſpalenſi. De eo conciliũ VIII. Toletanũ, et Aquiſgraneuſe, Leo Papa IV. ut eſt apud Gratianũ diſt. 20. Trithemius, Vſuardus, Beda. Hic Iunior appellatus eſt: alter enim, Senior uocitatus, Iſidorus ep. Cordubenſis fuit, cuius ſ. Auguſt. aliquãdo meminit. Iunioris huius uita eſt apud Suriũ.

Nonis Aprilis.

ſs. martt. Didymi, Quinti, Claudiani, et aliorum.) Ex M. S. cod. et annalibus ſanctorum.

In Leſbo inſula.) Quæ, in occidenti Aſiæ parte ſita non fertilitate ſolum, ſed urbium frequentia, clarorumq. uirorum fama olim nobilis, Mitylenem præter ceteras urbem præclariſſimam habet: ad quam s. Paulus Apoſtolus, Macedonia peragrata, nauigio uectus eſt, inde Chium, poſtridie Samum, et ſequenti die Miletum, ut in actis apoſtolicis a s. Luca narratum eſt cap. 20.

ſs. Quinque martyrum.) De quibus relatum eſt in tabulas græcas.

s. Theodoræ uirginis, et mart. et s. Dydimi mart.) Græci hodie, ut ex Horologio accepimus, diem eorum natalem celebrant; ſed latini quarto cal. Maij, quo die de iiſdem ſcribimus.

s. Tigernaci ep. et confeſ.) Vt in Martyrologio Vſuardi eſt, quod Molanus auxit, atque illuſtrauit.

s. Vincentij confeſſoris.) Cuius uitam Petrus Rauſanus, Panormitanus libris quinque complexus eſt: quos quattuor Surius retulit in uolumen 1 1. de ſanctis.

Hoc præterea die, ſanctorum martyrum, Claudij, Diodori, Victoris, Victorini, Pappij, et Serapionis, et aliorum quoque, de quibus græcæ eccleſiaſticis tabulis proditum eſt.

Octauo idus Aprilis.

ſ. Xyſti pont. et martyris.) Quem Siſtum, alij Sextum uocant; ſed Xyſtum nos nominamus, ut in pontificalium librorum monimentis priſcis ſcribitur. De quo Vſuardus, Beda, Iuo in Chronicis ætate VI. Aimo lib. 4. cap. 14. chriſt. rer. mem. Martinus Polonus, Marianus Scotus, Bartholomæus Lucenſis, Volaterranus, Platina, Euſebius, Nicephorus, s. Auguſtinus, Irenæus, et alij. Huius pontificis decreta, in canonicum ius relata, hæc apud Gratianum ſunt. c. 4. 2. q. 6. c. 15. ibidem. c. 19. 2. q. 7. c. 5. 3. q. 6. c. 16. ibidem. c. 18. q. 5. c. 19. 9. q. 3. cap. 20. 24. q. 1. C. 39. diſt. 1. de Conſecr. Atque de eo quidem pluribus in notationibus, quas in Platinam contexuimus.

Hadriano Imp.) Anno ſcilicet humanæ ſalutis C X X V I I.

s. Cæleſtini pont.) Ex Martyrologio Romano, et M. S. ac Beda: qui poſtridiei huius diei acta illius in Martyrologium refert. De s. Cæleſtino iidem, qui ſupra; et Cyrillus præterea ep. 10. Proſper contra Collatorem cap. 41. Socrates lib. 7. cap. 11. Extant in actis concilij epheſini, nuper editis, huius pontificis epiſtolæ quattuor, I. ad Neſtorium. I I. ad Clerum, populumq. Conſtantinopolitanum, I I V. ad Ioannem Antiochenum, Iuuenalem Hieroſolymitanum, Rufum Theſſalonicenſem, et Flauianum Philippenſem. I V. ad Cyrillum Alexandrinum. Decreta eiuſdem, in iure canonico adſcripta, hæc ſunt, c. 5. diſt. 38. c. 4. diſ. 59. c. 7. diſ. 61. c. 12. ibidem. c. 13. ibidem. c. 2. diſt. 62. c. 26. diſ. 63. c. 3. diſt. 81. c. 3. 9. q. 2. c. 13. 26. q. 6. c. 9. 30. q. 1. c. 2. 35. q. 6. c. 82. diſ. 4.

ſs. Centum, et uiginti martyrum.) Ex M. S.

ſs. Firmi, Romani, Donati, et Clunij.) Vt accepimus ex annalibus eccleſiaſticis.

s. Vuilhelmi.) Tu uide Surium in tom. 2.

s. Theoderi.) Gennadius lib. de uir. ill.

Septimo

Septimo idus Aprilis.

s. Egeſippi confeſſoris.) De quo paucis Vſuardus, at Beda pluribus. Euſebius præterea lib. 4. hiſt. eccl. cap. 8. 10. et 12. Nicephorus lib. 4. c. 7. et item s. Hieronymus lib. de uir. ill. cap. 32.

Beatorum martt. Epiphanij ep. Donati presb. et Sociorum XIII.) Aliàs, XIV. ſed Maurolyco de ſocijs XIII. aſſentimur, ut ſcriptus codex habet.

s. Pleuſii presb.) Aliàs, Peluſii, ut Vſuardus habet; Paleuſii, Beda.

s. Calliopij mart.) Vertimus e græco, quicquid de eo ſummatim retulimus in Martyrologium. Illius uitam, a Metaphraſte enarratam, legimus apud Surium in tom. II.

In Synope.) Oppido Paphlagoniæ nobiliſſimo.

Beatiſſimorum martyrum Ducentorum.) Sicut memoriæ proditum eſt græcis litteris.

s. Saturnini ep.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Veronenſis.

Sexto idus Aprilis.

ss. martt. Timerij, Maximi, et Sociorum.) Ex M. S. cod.

ss. martyrum, Ianuarij, Maximæ, et Machariæ.) Beda,

s. Conceſſæ mart.) Idem Beda.

s. Dionyſij epiſ.) s. Hieronymus de uir. ill. cap. 73. Euſeb. lib. 4. cap. 22. Nicephorus, Cedrenus, et Glycas. Hi duo martyrem illum cenſent. Floruit autem Sotere pont. ad quem ſcripſit epiſtolam.

s. Amantij.) Aliàs, Amandi: ex Calendario, et tabulis eccleſiæ Nouocomenſis. Eius meminit Mombrinus in uita s. Gaudentij, qui in epiſcopatum ei ſucceſſit. Fuit enim ille Nouocomi epiſcopus III.

s. Perpetui epiſ.) Beda pluribus, Vſuardus paucis de eo ſcribit. Fuit Turonum epiſcopus VI. Cuius Sidonius meminit lib. 4. ep. 18. Gr. Tur. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 14. et lib. 10. cap. 31.

Translatio s. Philaſtrij.) De qua Rambertus, Brixiæ ep. XLI. ſcribit hiſtoriã.

Quinto idus Aprilis.

Translatio s. Monicæ.) Ex Martyrologio Romano, atque ex litteris Martini Quinti pont.

s. Procori.) Cuius meminit s. Lucas act. cap. 6. Metaphraſtes in uita ss. app. Petri, et Pauli, Dorotheus in Synopſi, Vſuardus, Beda, et Volaterranus lib. 19. comm. Eum alij Procorium, alij Proculum dicunt: cuius diem natalem Græci agunt quinto cal. Auguſti.

Beatorum martt. Demetrij, Conceſſi, et Hilari.) Ex calendario monaſterij Bergomenſis, quod eſt ordinis Vallis Vmbroſæ.

ss. virginum Septem.) Beda, et M. S. Cod.

s. Eupſychij mart.) Aliàs, Eutychij, ſed, Eupſychij, ſcripſimus, ut in Horologio, ac Menologio græce ſcribitur.

s. Hugonis ep.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Rothomagenſis. Fuit is Rothomagenſium ep. XXV.

Quarto idus Aprilis.

ss. plurimorum martyrum.) De quibus a S. R. E. notarijs ſcriptum eſt in actis s. Alexandri papæ, et mart. a Beda item, et Vſuardo.

Ezechielis prophetæ.) Iſidorus, et Epiphanius di uit. prophetarum. Beda præterea, et Vſuardus. Ioſeph. heb. lib. 10. antiq. c. 5. duos prophetiæ libros, ab Ezechiele conſcriptos teſtatur: quorum alter apocryphus ab Athanaſio in Synopſi citatur. Huius prophetiæ diuinas uaticinationes, obſcuras illas quidē, primus omnium s. Hieronymus commentarijs præclare illuſtrauit.

s. Apollonii mart.) Cuius nomen ſolum, et ſociorum numerum Vſuardus ſcribit, nos cetera, ab alijs de eo expoſita, in martyrologium retulimus.

Beatorum martyrum, Terentii, Africani, Maximi, Pompeii, et ſociorum xxx.) Græce pluribus exponitur eorum martyrium, nos breui narrauimus. Tu uero uide Surium, qui a Metaphraſte accepit.

ss. Iacobi presb. et Azæ diac.) De quibus proditum eſt græcis tabulis.

Tertio idus Aprilis.

s. Leonis pont.) Primi: cuius uita, initio operum ſuorum, perbelle contexta, legitur: ſed longe plura, a græcis, et a latinis ſumpta, et illa quidem magna, unde Magni cognomen is accepit, de eodē commemorantur. nam cum ex ſuis litteris, librisq. permultæ pontificiæ actiones, ſempiternaq. memoria dignæ, conſtant; tum et epiſcoporum Galliæ, et Euſebii Mediolanenſis, epiſcoporumq. Inſubriæ, et Theodoriti Cyrenſis, et Sophronii. Hieroſolymitani litteris, tum denique patrum Calcedonenſis concilij luculentis teſtimoniis illuſtrantur. Tu de eo item plura colliges ex actione 3. eiuſdem concilii Calchedonenſis.

Cortynæ.) Quæ ciuitas Cretæ nobilis, ab euangelii initio, chriſtianæ fidei myſteriis inſtructa putatur, cum beatum Apoſtolum Paulum prædicantem audierit; eiuſq. diſcipulum Titum epiſcopum habuerit. Huius rei gratia, ille inquit, reliqui te Cretæ, ut, quæ deſunt, corrigas &c. Veterum huius inſulæ epiſcoporum clariſſimi ſunt, Pinytus Gnoſius, et Philippus Cortynenſis.

s. Philippi ep.) Cuius meminit Dionyſius Corinthius in epiſtola, quam ad Cretenſes ſcripſit, Euſebius ex illius ep. lib. 4. hiſt. eccl. cap. 22. s. Hieronymus cap. 40. de ſcrip. eccl. Vſuardus item, Beda, et M. S.

Salonæ.) Aliàs, Salonis, Salonæ enim a Stephano, multitudinis numero appellantur.

s. Domnionis.) Aliàs, s. Domni. Quo nomine epiſcopi duo concilio Nicæno priori ſubſcripſerunt, Domnus Stridonienſis, et Domnus Boſphori.

s. Antypæ ep. et mart.) Vt e græcis libris, et Metaphraſte accepimus, quod de eo breuiter in Martyrologio narrauimus.

s. Euſtorgii presb.) Vſuardus.

s. Staniſlai ep. et mart.) Ex litteris Innocentii IIII. De eo multa Crantius lib. 3. cap. 12. 13. et 14. hiſt. Vand. Tu lege Surium in tom. 2.

s. Sicarii ep.) Ex tabulis eccleſiæ Lugdunenſis: cuius is fuit epiſcopus XIIX.

Pridie idus Aprilis.

Romæ, uia Aurelia.) Quæ, et hoc nomine ab auctore, et Traiana ab inſtauratore

ratore nuncupata, ob eamq. cauſam Aurelia item uetus, et noua inuenitur, per Tuſciam maritimam Piſas uſque protenſa. In ea, ut ex martyrologiis animaduertimus, cæmiteria extructa ſunt hæc, s. Callepodii, Lucinæ, s. Felicis papæ, s. Iulii papæ, s. Agathæ. Quibus in cœmiteriis multa corpora ſanctorum recondita ſunt, quæ ſuis locis exponimus.

s. Iulii pont.) Vſuardus, Beda, Ado, et M. S. De eo præterea pluribus ſcriptum eſt in libris pontificalibus, et annalibus eccleſiaſticis, et in hiſt. Trip. lib. 4. cap. 15. 16. 19. et 29. Eccleſiæ illum annos XXV. præfuiſſe, Sozomenes ſcripſit, XVI. Nicephorus, ſed hic, et ille fallitur, ut alias oſtendimus. Huius pontificis epiſtolæ permultæ extant: de quibus mentio item fit ab Iſidoro, Iuone, Gratiano, Vincentio Lirinenſi, a patribus concilii Epheſini, a Felice II pont. in ep. 1. ad Aegyptios, ab Athanaſio in apologia 2. a Theodorito lib. 2. hiſt. eccl. cap. 4. Socrate lib. 2. cap. 15. et 17. Sozomeno lib. 3. cap. 8. et 10. Nicephoro lib. 9. cap. 6. 8. et 10. a ſynodi Sardicenſis patribus in ep. quæ eſt in lib. 2. hiſt. eccl. Theod. cap. 8. Decreta Iulii I. in ius canonicum tranſlata hæc ſunt.

c. 3.	diſt. 11.	c. 10.	ibidem	c. 12.	26. q. 6.
c. 3.	diſt. 17.	c. 9.	3. q. 6.	c. 1.	29. q. 2.
c. 5.	2. q. 2.	c. 1.	5. q. 4.	c. 3.	ibidem.
c. 9.	2. q. 6.	c. 9.	14. q. 4.	c. 7.	35. q. 2.
c. 10.	ibidem.	c. ult.	15. q. 3.	c. 12.	ibidem.
c. 12.	ibidem.	c. 12.	24. q. 1.	c. 13.	ibidem.
c. 17.	ibidem.	c. 40.	ibidem.	c. 7.	diſt. 2. de conſecratione.
c. 4.	2. q. 7.	c. 11.	25. q. 2.		

Quam grauis autem, contra eccleſiam Dei perſecutio, eo pontifice, a Sapore, Perſarum rege, excitata ſit, cognoſci poteſt ex Sozomene lib. 2. cap. 8. et Ammiano Marcellino, lib. 25. noſq. alio loco perſcribemus.

ss. triũ mart. Menæ, Dauidis, et Ioannis.) Martyriũ Græci odis multis celebrant.

s. Zenonis epiſ.) Et martyris, ut ex ſancti Gregorij teſtimoniis, atque ex omni martyrologio conſtat: idq. pluribus oſtenditur in libro, qui de ss. epiſcopis Veronenſibus nuper in lucem editus eſt. Hoc ipſo die martyrium; VI. idus Decembris Ordinatio; XII. calendas Iunii tranſlatio Veronæ celebratur. Eius uita, a Coronato notario conſcripta, Lobii extat: tu præterea lege Surium. De illius autem ſermonibus ſcribit Xyſtus in Bibliotheca ſancta.

s. Sabæ mart.) Cuius martyrium, ab eccleſia Gothiæ ad Cappadoces, omneſq. catholicæ eccleſiæ chriſtianos olim conſcriptum, extat apud Metaphraſtem: a quo Surius accepit, et in uolumen II. retulit.

s. Conſtantini ep.) Vſuardus, et M. S.

s. Damiani ep.) Ex calendario, et tabulis ſanctorum eccleſiæ Papienſis. De eo, Paulus Diaconus lib. 5. cap. 15, de illius item epiſtola lib. 6. cap. 3.

Idibus Aprilis.

Pergami.) Quæ urbs, ut Strabo ſcribit, Aſiæ clariſſima, opibuſq. florentiſſima, quo potiſſimum tempore Attalus regnum tenuit, Sileno fluuio finditur, et Cæcio alluitur. Pergami eccleſiæ meminit s. Ioannes euangeliſta, cap. 1. et 2. apocalip. Quod ſanè argumento eſt, eccleſiam Pergamenam ab apoſtolis primò inſtitutam eſſe.

s. Carpi.) Beda, Caniſius, Vſuardus, et ceteri martyrologii ſcriptores, Euſebius præterea, ex epiſtola eccleſiæ Smyrnenſis, lib. 4. cap. 14. et Nicephorus lib. 3. cap. 36.

cap. 36. hiſt. eccl. Rhegino lib. 1. Chron. Marianus Scotus lib. 2. ætat. 6. Eſt Carpus alius, unus e LXXII. diſcipulis: cuius dies natalis a latinis celebratur III. idus Octob. a Græcis VII. cal. Iunii. Pro Chriſti gloria s. Carpus occiſus eſt anno ſalutis humanæ CLXIX. Pudente II. et Pollione coſſ. Quo anno, perſecutionis facibus in Aſia, et in Gallia incenſis, Polycarpus, aliiq. ſancti uiri innumerabiles martyrio coronati ſunt, ut rem totam memoriæ produnt et Euſebius lib. 5. cap. 1. et ſeqq. ac lib. 4. cap. 15. et Oroſius lib. 7. cap. 9.

s. Iuſtini mart.) Ex martyrologiis Bedæ, Vſuardi, et M. S. Eius uitam, ex libris, a ſe conſcriptis, Ioachimus Perionius perbelle contexuit. De illo in concilio ſexto, et Martini 1. pont. atque ab Euſebio præterea lib. 4. cap. 8. et 11. Nicephoro, Glyca, et ab aliis ſcriptum eſt. Tu uero uide etiam Surium.

ss. martt. Maximiani, Cintilliani, et Dadæ.) E græcis martyrum tabulis breuiuertimus, quod de iis græce pluribus exponitur.

Beatorum martt. Eleutherii, Perſæ, Theodoſii, et Zorli.) E græcis monimentis.

s. Hermenegildi regis.) Ex martyrologio Vſuardi, et Bedæ, qui pluribus ſcribit. Eiuſdem meminit s. Gregorius lib. 3. dial. cap. 31. et Gratianus in decr. c. Cœpit, 24. queſt. 1.

s. Euphemiæ.) Ex annalibus, et martyrologio M. S.

s. Marcellini ep.) Ex Bonino Mombritio, et tabulis eccleſiæ Ebredunenſis.

Decimo octauo cal. Maij.

Beatiſſimorum martyrum, Tiburtii, Valeriani, et Maximi.) De quibus relatum eſt in geſta ſanctæ Cæciliæ: et Beda præterea, atque Vſuardus ceteriq. ſcribunt. De iiſdem antiphonæ, et orationes, extant in antiphonario, et libro Sacramentorum s. Gregorii: et ubique fit ex Romana auctoritate.

s. Proculi mart. et s. Domninæ uirginis.) Ex Martyrologiis, manu ſcriptis, et impreſſis, Vſuardi, ac Bedæ, et aliorum.

s. Frontonis.) Ex iiſdem. De eo præterea ſcriptum eſt in uitis patrum.

Decimo ſeptimo cal. Maij.

Beatiſſimorum martyrum, Maronis, Eutychetis, et Victorini.) De iis ſcriptum eſt in libro actorum Nerei: cuius dies natalis eſt IV. idus Maii.

ss. martyrum, Olympiadis, et Maximi.) Vt in omni Martyrologio proditum eſt, et in litteris martyrii Abdon, de quo in geſtis s. Laurentii.

ss. marty. Baſiliſſæ, et Anaſtaſiæ.) Quarum martyrium e græcis libris expreſſimus, atque ex Horologio præſertim.

s. Creſcentis mart.) Huius pro Chriſto dimicatio græce expoſita eſt.

Translatio. s. Iſidori mart.) Ex annalibus urbis Venetiarum.

Decimo ſexto cal. Maij.

ss. martyrum, Calixti, Chariſii, Martialis, et ſociorum.) Aliàs pro Calixti, habent, Cæleſti: ſed in omni ferè Martyrologio legimus, ſicut ſcripſimus, Calixti; de quo et ſociis traditū memoriæ eſt ab Adone, Beda, Vſuardo, Vuandelb. et aliis.

Beato-

Beatorum martt. Optati, et ſociorum.) De octodecim ſcilicet his, martyrij ſocijs, Cæſarauguſtanis hymnum fecit Prudentius: qui hymnus IIII. eſt, peri ſtephanôn.

ss. martyrum, Caij, Engratiæ.) Encratis: ut Prudentius eodem hymno nominat.

s. Iſidori mart.) Ex cod. M. S.

ss. mart. Felicis ep. Ianuarij presb. et ſociorum.) Quorum martyrium, Horologij tabulis græce traditum, latine reddidimus ſummatim.

s. Turibij ep.) Ad quem epiſcopum Aſtoricenſem Leo I. pont. contra Priſcillianiſtas ſcripſit epiſtolam, quæ in ceteris nonageſima tertia numeratur.

In Dacia.) Quæ alio nomine Dauia, aut Dania uocatur regio, Scythiæ Europeæ, fidem religionemq. chriſtianam ſuſcepit ab Apoſtolis, atque adeo ab eorum diſcipulis: cuius rei præter cetera illud argumento eſſe poteſt, quòd in concilio Nicæno priori adfuerunt epiſcopi duo Daciæ, Marcus Metropolitanus, et Protogenes Sardicenſis, alijq. epiſcopi, Dacis uicini.

s. Magni mart.) Ex Molani additionibus.

s. Gulielmi conf.) Ex Martyrologio Mantolyri.

s. Albani mart.) Aliàs, Albini: cuius hiſtoria, Coloniæ impreſſa eſt.

s. Drogonis conf.) Ex Calendario, et Indiculo Belgij. In diœceſi Cameracenſi feria tertia Pentecoſtes dies natalis eius agitur ſolemniter.

Decimo quinto cal. Maij.

s. Aniceti pont.) Martyrio coronati, Iunio Ruſtico II, et Veſtio Aquilino coſſ. anno ſcilicet Domini CLXIII. Huius pont. meminerunt Latini, et Græci, Irenæus lib. 3. cap. 3. contra hæreſes, Euſebius lib. 4. cap. 11. hiſt. eccl. et in chron. Nicephorus lib. 3. cap. 25. et in chron. Methodius in chron. Hegeſippus. s. Damaſus in lib. pont. Beda, Vſuardus, in Martyrologio, Rhegino in chron. Iuo in chron. item, Otto Friſingen. lib. 3. cap. 24. Vrſpergen. in chron. Marianus Scotus lib. 2. ætat. 6. Polonus in chron. Volaterranus comm. lib. 22. Nauclerus tom. 2. et alij multi. Sanctiſſimi Aniceti, quem Anicium plerique dicunt, in ius canonicum relata decreta, illa ſunt.

c. 22. diſt. 23. c. 1. diſt. 66. c. 5. q. 3.
c. 4. diſt. 64. c. 2. diſt. 99. c. 6. ibidem.

De eo pont. et mart. fit ubique ex conſtit. Gregorij VII. quæ in Micrologo teſtata ſit cap. 43.

Beatiſſimorum martt. Mappalici, et ſociorum.) Beda, Ado, Vſuardus, et s. Cyprianus lib. 2. ep. 6. e qua Ado accepit, quæ de ijs ipſis in Martyrologium retulit; et Lucianus item in epiſtola, quæ ad Celerinum ſcripta, in operibus Cypriani nuper impreſſis, eſt XXII.

ss. martt. Petri Diaconi, et Hermogenis.) Beda, Vſuardus, et M. S.

Beatorum martt. Simeonis ep. Abdellæ presbyteri, et ſociorum MCL.) De quibus Græci ſcribunt.

ss. Heliæ presb.) Aliàs, Helei, ſed, Heliæ, ſcripſimus, ut in Eulogij libro de ſanctis legimus. Huius meminit, Ado, Vſuardus, Equilinus, et idem Eulogius lib. 3. cap. 15. qui illum cum Paulo, et Iſidoro, ſocijs martyrium ſubijſſe ſcribit Era. DCCCXCIIII. nempe anno Domini 856.

s. Innocentij epiſ.) Ex tabulis eccleſiæ Derthonenſis, et Bonini uolumine I. de ſanctis.

Decimo quarto cal. Maij.

s. Apollonij Senatoris.) Vſuardus, Beda, Euſebius lib. 5. cap. 18. et 21. hiſt. eccl. Nicephorus lib. 4. cap. 25. et 26. s. Hieronymus de uir. ill. Zonaras annal. tom. 2. Ado Vien. in chron. et 6. Volaterranus comm. lib. 13. Trithemius de uir. eccl. et nos aliàs meminimus.

ss. martt. Eleutherij ep. et Anthiæ matris.) De ijs ſcribunt, Beda Mombritius, Vſuardus, Artimanus monachus in chronicis, Nicolaus itē monachus in tab. alph. qui omnes Eleutherium epiſcopum nominant: at presbyterum eundem dicunt, Ado, et Belinus, Patauinus: nos uero cum illis ſentimus, qui eum epiſcopum cenſent, ut ſcripti etiam codices teſtantur. Tu uide Metaphraſtem de eo, et matre ſcribentem apud Surium.

s. Sabæ mart.) Vt e tabulis græcis accepimus.

Beatiſſimi mart. Perfecti presb.) Cuius martyrium fuſe ſcribit s. Eulogius libro memoriali 2. ſanctorum: et ille, quiſquis eſt, luminoſi Indiculi auctor, ab Eulogij narratione non diſſentiens. Meminit præterea idem multis locis, et Vſuardus. Incidit illius martyrium in Eram DCCCLXXXIIX. in annum ſcilicet Domini, DCCCL. et in ſextam utique feriam, ut ex Cycli ſolaris ſupputatione animaduerſum eſt.

s. Vrſmari ep.) Huius uitam, ut Sigebertus teſtatum facit, litteris mandauit Ratherius, epiſcopus Veronenſis: eandemq. uerſibus contexuit Herigerus, abbas Lobienſis. Tu legas licet apud Surium.

s. Galdini ep.) Ex uetuſtis eccleſiæ Mediolanenſis monimentis. Illius uitam in uolumen 1. de ſanctis Mombritius retulit. De eodem præterea aliquid ſcribit Hilario monachus Mediolanenſis, et Michael Carrarius in annalibus Italiæ, ac Boſſius item in chronicis.

Decimo tertio cal. Maij.

s. Leonis pont.) Noni: de quo Rhemis in cœnobio ſancti Remigij ſolemniter fit. Eius uita, olim duobus libris conſcripta, extat in Geraldo monte ad s. Adrianum, Sed de illo quidem pluribus in libro notationum, quas Platinæ adiunximus.

s. Timonis diaconi.) s. Lucas act. 6. Vſuardus, Dorotheus, Beda, Nicolaus monachus, et alij.

ss. martt. Hermogenis, Caij, et ſociorum,) Vandelbertus, Beda, Vſuardus, et M. S.

s. Vincentij mart.) Vſuardus, Beda, et M. S.

s. Elphegi ep. et mart.) Cuius uitam habet Surius in tom. 2. eiuſdem meminit Edinerus lib. 1. uitæ s. Anſelmi.

Duodecimo cal. Maij.

ss. martyrum, Simplicij, et Seruiliani.) De his ſcriptum etiam eſt in geſtis Nerei, et ſociorum: quorum dies natalis eſt IIII. idus Maij.

ss. martyrū, Victoris, Zotici, et ſociorū.) De ijs proditū eſt græcis monimentis.

s. Mar-

s. Marcellini.) De quo Vſuardus, Beda, Ado in Martyrologio, Gregorius Tur. lib. de gl. confeſſ. cap. 69. et Mombr. par. 1. de ſanctis.

ss. Martiani, et Mamertini presb.) Ex Maurolyci martyrologio.

s. Victoris.) Vticenſis. Fuit enim alius Victor Afer, epiſcopus Cemmenſis, qui ab orbe condito hiſtoriam ſcripſit: alius etiam epiſcopus Cartennæ in Mauritania: cuius Gennadius meminit: alius item, Sextus Aurelius Victor nuncupatus, a quo ſcripta eſt hiſtoria perſecutionum, quas Nero, et ceteri deinceps imperatores excitarunt. Huius s. Hieronymus meminit in ep. ad Paulum Concordienſem. Neque is porrò eſt, ut pleriſque placuit, idem, de quo nunc agimus; cum hunc aliquot poſt s. Hieronymi ætatem ſæculis extitiſſe perſpicuum ſit.

Vndecimo calen. Maij.

s. Simeonis epiſcopi, et ſociorum centum.) Vſuardus, et Caſſiodorus lib. 3. hiſt. Trip. cap. 2. ac Sozomenus item lib. 2. hiſt. cap. 8. 9. et 10. ac denique Beda, qui pluribus ſcribit.

ss. martt. Iannarij ep. Proculi, et ſociorum.) De quibus relatum a Græcis eſt in Menologium.

s. Maximini mart.) Beda, et M. S. eod.

Beatorum martt. Aratoris presb. Fortunati, et ſociorum.) Vſuardus, Beda, et reliqui.

s. Anſelmi ep.) Cuius uitã Emundus monachus ſcripſit: tu uide Suriũin tom. 2.

s. Cypriani epiſ.) Vt legimus in tabulis ſanctorum epiſcoporum Brixiæ.

Decimo calen. Maij.

s. Sotheri pont. et mart.) Cuius pridie huius diei Beda meminit, at hic dies eſt, quo martyrium obijt, ut ſanctæ eccleſiæ Romanæ monimentis, omniumq. librorum pontificalium litteris proditum eſt. Quòd uerò Honofrius Panuinius ſcribit, a Damaſo nullam martyrij huius mentionem fieri, in uetuſtiſſimoq. bibliothecæ Palatinæ libro eundem confeſſoris nomine appellari; id tamen non tanti eſt, ut putemus illum martyrem non fuiſſe, cum contra ex omni Martyrologio conſtet. De s. Sothero Irænæus lib. 3. cap. 3. Dionyſius corinthius apud Euſebium lib. 4. cap. 19. Euſebius item lib. 5. cap. 1. et in chron. Methodius in chron. Nicephorus lib. 3. cap. 25. et in chron. Anaſtaſius Bibliothecarius, Iuo chron. æt. 6. Vrſpergenſis in chron. Otto Friſingenſis lib. 3. cap. 25. Haimo lib. 4. cap. 22. Rer. mem. Marianus Scotus lib. 2. Martinus Polonus, Alb. Crantius hiſt. eccl. lib. 2. cap. 1. Gotfridus Viterbienſis, Bartholomæus Lucenſis, Nauclerus, Volaterranus lib. 22. et alij permulti. Is a pleriſque Soter, a Nicephoro Soterichus, ab alijs Sotherus uocitatus eſt: martyrio coronatus anno Chriſti Domini CLXXII. Iunio Claro, et M. Aurelio Cethego coſſ. Huius pontificis illa ſunt in decreto Gratiani.

c. 26.	diſt. 23	c. 58.	diſt. 1. de conſ.
c. 16.	22. q. 4.	c. 60.	ibid.
		c. 17.	diſt. 2. ibid.

De Sothero pont. et mart. fit ex conſtitutione Gregorij VII.

s. Caij pont.) De quo relatum eſt in geſta, et s. Sebaſtiani, et s. Suſannæ. Hic apud Euſebium ita ordine collocatur, ut Zepherino pontifici ſucceſſiſſe putetur.

Quod ſane factum eſt non Euſebij culpa,ſed interpretis uitio, qui illius ſententiā male uertendo, hiſtoriam falſam reddidit. Nam Euſebij uerba græca in eum ſenſum cadunt,ut hic,de quo agimus,Caius,Zepherino pontifice, in eccleſia, magno nomine,magnaq. uirtutis laude eluxerit. Græci enim rei eccleſiaſticæ ſcriptores,qui fere omnes Euſebium conſectati ſunt, non Zepherino, ſed, ut ut eſt,Eutychiano hunc ſubſtituunt. Appellatur hic Pontifex ab Optato Gaius.

Diaconis regiones urbis diuiſit.) Id uerò non Romæ ſolum, ſed in ceteris etiā frequentiſſimis urbibus agi ſtatuit,prout temporum illorū,quibus eccleſia Chriſti ubique gentium maxime oppugnabatur,ratio ab ſanctiſſimi pontificis pietate depoſcere uidebatur.

s. Agapiti pont.) Aliàs, Agapeti: cuius etiam diem natalem Græci agunt xv. calendas Maij. Eiuſdem hoc die Beda meminit; et s. Greg. lib. 3. dial.

s. Epipodij mart.) De quo extat homilia Gregorij Galli: cuius homilias Emiſſeni nomine Gagneus inſcripſit.

s. Leonidis mart.) Quem Leontium Glycas appellat. De eodem ſcriptum eſt in geſtis Thyrſi: et ab s. Hieronymo in ep. ad Pam. ab Euſebio lib. 6. cap. 1.

s. Nearchi mart.) E tabulis græcis.

Beatorum martt Meliſij,Acepſimi,et ſociorū.) De quibus Metaphraſtes apud Surium,Caſſiodorus lib. 3. Trip. hiſt. cap. 2. et Sozomenus lib. 2. cap. 11. 12. et 13. Vſuardus item,et ceteri id generis.

ss. martt. Parmenij, Helimenæ,et ſociorum.) Vſuardus,et M. S. cod.

ss. Triginta mille martt.) Ex M. S. cod. et Annalibus Burchardi Dominicani.

s. Leonis ep.) Ex martyrologio Rom. et tabulis eccleſiæ Sennonenſis.

Tranſlatio s. Euſtathij patriarchæ.) Celebrata anno Chriſti Domini, MCCXL.

Inuentio ss. martyrum,Dionyſij Ruſtici, et Eleutherij.) De ijs, hymnos,et officium nocturnum Hilduinus abbas iuſſu Ludouici Imp. ſcripſit, ob inuentionē.

s Maroli.) Ex monimentis eccleſiæ Mediolanenſis. De eo uerſus fecit Ennodius,epiſcopus Ticinenſis.

Nono cal. Maij.

s. Georgij mart.) Quem hoc die, martyrio coronatum eſſe, ſcribunt, s. Hieronymus, Beda, Vſuardus, Ado,et Græci item: qui hoc ipſo etiam die illius martyrium celebrant, ut Romæ quoque, Venetijs, Pàtauij, Brixiæ fit: at Mediolani, Aquileæ, Papiæ atque alijs multis locis poſtridie huius diei, qui eſt VIII. cal. Maij. De eo extat ſermo Petri Damiani Cardinalis,et encomium Metaphraſtis. Eiuſdem uitam olim conſcripſit Paſicrates; deinde idem Metaphraſtes. Tu uero uide Lippomanum, et Surium. Illa, quæ ex ſanctione Gelaſii in apocryphis cenſetur, non ea ſane eſt, quæ ab ijs græcis memoriæ proditur.

Beatorum martt. Felicis presb. Fortunati diaconi etc.) Vſuardus,Beda,Equilinus, et alij, ac denique Surius, qui illorum acta retulit in uolumen II.

Beatorum martt. Valerij, Anatolij, et Sociorum.) Vt e tabulis græcis animaduertimus.

s. Adalberti ep. et mart.) Cuius Cromerus meminit lib 3. uitam a monacho, illius æquali, conſcriptam, Surius ſplendide expoſuit in lib. 2. de ſanctis.

s. Gerardi ep.) Ex proprio Eccleſiæ Tullenſis calendario.

Octauo cal. Maij.

s. Alexandri mart.) De quo, et Epipodio item legas licet homiliam Euſebij, Galli:

Galli: Vſuardus præterea ſcribit, ſed copioſe Surius.

s. Sabæ mart.) martyrium e græco libro conuertimus.

in ss. martt. Euſebij, Neonis, et Sociorum.) De quibus mem oriæ traditum eſt libro græco de martyrio s. Georgij.

s. Melliti ep.) Vſuardus, et Beda præterea lib. 1. cap. 29. et 30. ac lib. 2. cap. 3. 4. 5. 6. et 7. hiſt. Angl.

s. Gregorij ep. et conf) Vſuardus, et M. S,

s. Egberti.) Monachi. Fuit enim alius epiſcopus: de quo ſcribimus pridie nonas Maij. Porrò de s. Egberto monacho, Beda item multa narrat in lib. 3. cap. 4. et 27. ac lib. 4. cap. 3. lib. 5. cap. 10. et 23. hiſt. Ang.

ss. uirginum Bonæ, et Dodæ.) Ex tabulis eccleſiæ Rhemenſis.

s. Coronæ.) Ex Martyrologio monachorum ordinis Benedictini.

Septimo cal. Maij.

s. Marci Euangeliſtæ.) De quo ſermones duo, a Petro Damiano conſcripti ſunt: unus ab Honorio Aug. alter a Radulpho Ardentio: Encomium, uel Laudatio a Procopio diacono, et carthophylace; uita ab Adone, Iſidoro lib. de pat. utriuſque teſt. ab Euſebio lib. 2. hiſt. eccl. cap. 13. et ſeq. a Nicephoro lib. 2. cap. 43. a Simeone item Metaphraſte; ab ijs denique qui in eius euangelio exponendo commentarios, concionesue confecerunt, ut Beda, Rabanus, Chryſoſtomus, Ephrem, Petrus Aliacus, Theophilactus, et is, qui s. Hieronymi nomine commentarium inſcripſit. Eiuſdem meminerunt, s. Petrus Ap. ep. 1. cap. 5. s. Lucas in act. Ap. cap. 12. quo loco Ioannem uocat, Mariæ filium. Papias Hieropolitanus, Euſebius, Epiphanius, Clemens Alex. Irenæus, Cedrenus, Glycas, Philo hebræus, lib. 4. de uit. cont. Dorotheus, s. Hieronymus de uir. ill. cap. 21. Beda in Martyrologio, et alij plerique. Is Euangelij librum unum ſcripſit, ut eſt in ſanctione Gelaſii pont. cap. ſancta Romana eccleſia: eumq. dictante s. Petro Apoſtolo, cuius ille diſcipulus, et interpres extitit: ut Origenes affirmat apud Euſebium lib. 6. cap. 25 et Nicephorum lib. 4. c. 16. hiſt. ecc. Idem Euſebius ſcribit lib. 2. c. 14. lib. 3. cap. ult. lib. 6. cap. 13. lib. 5. cap 8. hiſt. ecc. et lib 3. de Dem. Eu. cap. 5. Glycas, et Græci alij. Sunt qui, euangelium latine ab eo ſcriptum arbitrantur, ut Ioannes Cantacuzenus in Ap. 4. ſed falluntur, opinionis errore ducti ex illis Gregorij Nazianzeni græcis uerbis, Μάρκος δ' ἰταλίη: quæ uerba ſi recte interpretamur, perſpicue cognoſci licet, illum non italice, ſed in Italia Euangelium ſcripſiſſe, idq. græce, ut frequentes patres in hanc ſententiam eunt. Scripſit item græce uitam s. Barnabæ Apoſtoli, et conſobrini ſui: quam Bedas latine reddidit. Quòd autem a pleriſque memoriæ proditum eſt, beatum Marcum ſibi digitum præcidiſſe, ne ſacerdotio initiaretur; id in præfatione, non s. Hieronymi, ſed græci auctoris incerti, a quo Iſidorus etiam accepit, ſcriptum extat, quod ſane in apocryphis cenſetur. Vetitum eſt enim non ſolum canone Nicæno, ſed ſacris litteris, exod. 20. ſe ipſum mutilare. Qua porrò ſtatura, quaue effigie ille fuerit, Nicephorus oſtendit lib. 2. cap. 43. hiſt ecc. et Metaphraſtes in uita. Eius celebritatem Græci hoc ipſo die agunt, quo latini item. Porrò ſanctiſſimi pontificis Gregorij 1. tempore non dies feſtus s. Marci, ſed litania maior, ab eo inſtituta, ſolemniter hoc die agebatur, ut cognoſci licet ex initio lib. 2. epp. et lib. 11. ep. 2. Regeſti, et lib. eiuſdem antiphonario, et libro ſacramentorum: ubi et antiphonæ, et totum eccleſiaſticum huius diei officium eſt de litània maiori; ac nihil planè de s. Marco, ut Durantius item, Sicardus, Belethus, ceteriq. ſcribunt: at Micrologi auctor, Miſſas duas hoc die celebrari teſtatur,

tur, priorem de s. Marco, alteram de litania maiori, ſeu de pœnitentia; ut Mediolani in huius diei celebritate fieri uoluit ſanctiſſimus uir, Carolus Cardinalis s. Praxedis, Archiepiſcopus, re inueſtigata, et cognita cum ex alijs eccleſiaſticis monimentis, tum ex libris antiquis eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis.

Litania maior.) De qua idem s. Gregorius lib. I I. ep. 2. et initio lib. 2. Reg. Greg. Turonenſis in principio lib. x. hiſt. Fr. Paulus Diaconus lib. 3. cap. 10. hiſt. Lon. Amalarius lib. 1. cap. 37. lib. 4. cap. 25. Vualafridus cap. 28. In ordine Romano cap. 8 I in Micrologo cap. 56. et 57. Romæ, ut ex pontificali libro perantiquo accepimus, Miſſæ ſacrum a presbytero Cardinale ſolemniter hoc die fiebat, præſente Pontifice.

ss. martt. Euodij, Hermogenis.) Vſuardus, et Ado: Alij legunt, Ennodij, at, Euodij, paſſim ſcriptum eſt in omni libro, manu exarato. Calixti, addidimus ex M. S. et Molano.

s. Aniani ep.) Euſeb. lib. 2. cap. 23. lib. 3. cap. 12. hiſt. ec. Nicephorus lib. 3. cap. 2. hiſt. ſac. Zonaras lib. 2. Ann. Cedrenus; s. Hier. ad Eug. Beda, et alij. Anizanus ab pleriſque, et Ananus a quibuſdam uocitatur. Fuit is ciuis Alexandrinus, nobili genere natus, Deo ob pietatem charus, admirabilis multis in rebus, Alexandriæ creatus epiſcopus, Nerone Imp. Mem. Regulo, et Virdinio Rufo coſſ.

s. Auguſtini ep. et conf.) Dies fortaſſe tranſlationis: de qua Nothelmus Londonienſis librum ſcripſit. Dies natalis, ut Vſuardo placet, celebratur V I I. cal. Iunij: quo die de illo ſcribimus copioſius.

Sexto cal. Maij.

s. Cleti pont. et mart.) Quem Euſebius, ceteriq. Græci prætermittunt, ut latini, s. Auguſtinus ep. 165. Optatus Mileuitanus lib. 2. Irenæus lib. 3. cap. 3: Eundem enim fortaſſe putant, quem Anacletum dicunt. At hic, de quo hodie fit, Romanus; ille græcus extitit. Huius effigies longe diuerſa eſt ab imagine Anacleti: quam in noſtro libro de pontificibus intueri licet. De Cleto pont. præterea memoria fit in canone: ac ſcribunt Epiphanius, Rufinus, s. Damaſus, Ioannes Papa I I. in ep. dec. Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius, Methodius in Chr. Sabellicus, Bartholomæus Lucenſis, Platina, Onufrius denique. Beda uero illius martyrium non diei huic, ſed I I I. cal. Maij adſcribit. Fit de eo ſolemniter ex ſanctione Gregorij V I I.

Religioſum ad limina apoſtolorum peregrinandi ſtudium.) Ex Martini Poloni exemplari peruulgato.

s. Marcellini pont. et mar.) s. Damaſus cap 30. Vſuardus, Beda, Ado, alijq. Martyrologij ſcriptores. De eius pœnitentia in tomo I. concil. memoriæ proditum eſt; a Gratiano item. Martyrio is coronatus dicitur Diocletiano A. V I. et Conſtantio Cæſ. I I. coſſ.

Septem, et decem milia fidelium.) Vt memoriæ proditum eſt ab Euſebio lib. 8. cap. 1. et ſeq. Oroſ. lib. 7. cap. 25. Niceph. lib. 7. cap. 6.

s. Baſilei ep. et mar.) Cuius martyrium, a Ioanne, presbytero Nicomediæ, conſcriptum, a Metaphraſte etiam expoſitum, Lippomanus, et Surius retulerunt in ſuos codices de ſanctis.

s. Richarij.) Surius in tom. 2.

s. Clarentij ep.) Cuius meminit Ado in Chr. an. D C X L I.

Tranſlatio ss. martt. Proiecti, et Iacobi.) Ex annalibus, et tabulis eccleſiæ Bergomenſis.

Quinto

Quinto cal. Maij.

s. Anaſtaſij pont.) Primi: Cuius ſæpe meminit s. Hieronymus in ep. ad Principiam 16. in ep. ad Demetriadem 8. in ep. ad Pammachium, et Marcellam 78. in Apologijs 2. et 3. contra Ruſinum. Paulinus in ep. 2. ad Delphinum. Vſuardus item, s. Proſper in Chr. ac Beda.

s. Anthimi ep. et mart.) De quo breui ſcribit Euſ. lib. 8. cap. 6. pluribus autem Simeo Metaphraſtes apud Surium tom. 2. Vſuardus etiam, ac Beda item.

ss. martt. Puplionis, et Lolionis.) Sicut ex Horologio Græco accepimus.

s. Pollionis mart.) Ex M. S. et Beda, qui illius martyrium adſcribit poſtridie huius diei, nempe IIII. cal. Maij.

Beatorum martt. Caſtoris, Stephani, Hermetis, et Victoris.) Caſtoris tantum Vſuardus meminit, reliquorum nomina adſcripſimus, codicem, manuſcriptum, ſecuti.

s. Theophili ep. et conf.) E tabulis ſanctorum Brixiæ urbis, et ex annalibus itẽ.

s. Liberalis conf.) Cuius corpus, Altino diruto, Taruiſim translatum eſt.

Quarto calen. Maij.

s. Vitalis mart.) Cuius uitam, et martyrium Petrus Damianus, ſermone complexus eſt, quem legimus apud Surium. De eo fuſe copioſeq. ac luculente in primis ſcribit Hieronymus, Rubius lib. 1. hiſt. Rauen. Beda item, Vſuardus, et ceteri. Eccleſiæ præterea Mediolanenſis monimentis de eodem proditum eſt, quàm diligentiſſime; idq. præſertim in epiſtola s. Ambroſij, ad omnes Italiæ fratres conſcripta, de inuentione ss. Geruaſij, et Prothaſij.

s. Valeriæ mart.) De qua multis ſcriptum eſt in codice perantiquo eccleſiæ Med. in alijsq. eiuſdem monimentis, et ab Hier. item, Rubio, eodem lib. 1. hiſt. Rau. et ab Adone. Extat de ea præfatio Ambroſiana in Liturgicis.

s. Theodoræ uirginis.) Cuius dies natalis in Græcia agitur nonis Aprilis, ut eo die de illa ſcripſimus. Beda autem, et Vſuardus hunc illius martyrio diem adſcribunt. Eſt de ea traditum ab ſancto Ambroſio lib. 2. de uirg. et a Metaphraſte pluribus apud Surium.

Pruſæ.) Hæc urbs Bithyniæ eſt ad Olympum: cuius epiſcopus Georgius interfuit, ac ſubſcripſit Concilio Niceno I.

s. Patricij ep.) Cuius martyrium, a Græcis fuſe expoſitum, breui reddidimus.

s. Iaſonis mart.) Quem multis odis Græci celebrant.

ss. Aphrodiſij, Caralippi, et ſociorum martt.) Beda, et M. S.

Tertio calen. Maij.

Apud Cirtenſem Coloniam.) Quam Coloniam ſittianorum Plinius uocat, Cirtam Iuliam, et Cirtenſes populos Ptolomæus item. Huius urbis meminerunt, Optatus lib. 1. contra Parm. s. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcentẽ c. 26. Eſt hæc urbs Numidiæ prouinciæ primaria: in qua olim Dux domicilium habuit. Creſcens a Cirta ſubſcripſit concilio Carthaginienſi 1. Mileuitano Xantippus Cirtenſis: qui epiſcopus primæ Sedis Numidiæ appellatur. Ea in urbe martyres, Aga-

pus, Secundinus. Aemilianus, Tertula, Antonia, et mater. Hodie Cirta, Conſtantina nuncupatur. Cirtenſe praeterea concilium celebre, quod Numidice concilium Optatus appellat.

ss. martt. Agapij, et Secundini.) De quibus ſcriptum eſt in geſtis ss. Mariani, et Iacobi: quae a Surio exſcripta ſunt in tomo 3.

s. Reguli.) Vſuardus, Caniſius, s. Antoninus in chr. par. 1. tit. 6. cap. 28. De quo ſupra item I I. calendas Aprilis: quo die Santonenſes eius martyrium celebrant.

ss. martt. Zenonis, et Vitalis.) Vt graece proditum eſt.

Beatorum martt. Vitalis, Chriſtophori, et Sociorum.) Ex cod. M.S.

s. Paulini ep.) Qui Brixiae epiſcopus x. fuit: ex tabulis sāctorū eccleſiae Brixianae.

s. Hugonis Abbatis.) Ex Martyrologio R. et M. S. ex Surio item.

s. Roberti Abbatis.) Cuius uitam, ſancte actam, reſq. mirifice diuinituſq. geſtas legas licet apud Surium.

s. Petri martyris.) De cuius uita ſanctiſſima, et miraculis in litteris apoſtolicis Innocentij I I I I. ſcriptum eſt. Tu praeterea uide Surium.

s. Catherinae uirginis.) E litteris Pij I I. pontificis, uitam huius uirginis breuiter alias expreſimus ad uſum ſodalitij Mediolanenſis, s. Catharinae nomine nuncupati. Tu uide Surium.

Pridie cal. Maij.

s. Quirini mart.) Dies natalis tertio calendas Aprilis: tranſlatio hoc die celebratur. De eo aliàs diximus, Bedaq. hoc ipſo die copioſe.

s. Eutropij ep. et mart.) Ado, Vſuardus, at Beda ſub I I I. calendas. De eo ſcribit s. Antoninus par. 5. tit. 6. cap. 28. s. Gr. Turonenſis lib. de gloria martt. cap. 56. Illius uitam nuper breui contexuit Eyſengrinus. cen. 1. par. 5. diſ. 3. Martyrio coronatus traditur, anno Chriſti Domini X C V I. Imp. Domitiano.

ss. martt. Iacobi diaconi, et Mariani Lectoris.) Vſuardus, et Surius, qui eorum uitam, ab eo litteris mandatam, qui martyrio interfuit, in tomum I I I. retulit.

s. Maximi mart.) Surius ex antiquis codicibus, manu ſcriptis.

Beatorum martt. Amatoris presb. Petri monachi, et Ludouici.) Eulogius lib. mem. 3. ſanctorum cap. 13. Martyrio coronati ſunt, Era D C C C X C I I I. Anno ſcilicet Chriſti Domini D C C C L V.

s. Miroclis ep.) Cuius meminit Optatus Mileuitanus lib. I. et aliquando s. Ambroſius, ut ſuo loco exponemus.

s. Maxentiae Viduae.) Huius uitam ſcripſit Altemanius, epiſcopus Tridenti.

s. Laurentij presb.) Ex calendario eccleſiae Nouarienſis. Huius fit mentio in hiſtoria s. Gaudentij.

s. Erconualdi ep. et conf.) Beda lib. 4. cap. 6. hiſt. Angel.

MAIVS.

Calendis Maij.

ss. Apoſtolorum Philippi, et Iacobi.) Sic in breuiario Romano, nuper impreſſo, alijſq. antiquioribus, lectionario item s. Hieronymi, antiphonario, libroq. Sa-

cramentorum s. Gregorij, et in Micrologo præterea legitur. Verum in alijs calendarijs, martyrologijs, et Sacramentorum libris, ut hoc ipſum Micrologi auctor, et Belethus, teſtatum faciunt, ſic ſcribitur, Sanctorum apoſtolorum, Iacobi, et Philippi, et omnium apoſtolorum. Itidemq. eſt in antiquo diplomate Ioannis III. pont. qui horum duorum apoſtolorum baſilicam, a Pelagio I. pont. Romæ inchoatam, perfecit, et conſecrauit nō ſolum eorum amborum, ſed apoſtolorum, omnium nomine, ut ex illo ipſo pontificio diplomate perſpeximus. Quare probabile eſt, quod Durantius, et Belethus ſcribunt, hoc ſcilicet die apoſtolorum omnium celebritatem agi conſueſſe, ſicunt eandem in Græcia agi moris eſt pridie calendas Iulij. Porrò id confirmat, quòd in Micrologi libro præfatio de apoſtolis, præcipue feſto huic diei adſcribitur. Atqui s. Philippi Apoſtoli diem natalem Græci concelebrant XVIII. cal. Decembris: in quo die, aut poſtero, ſi recte conmeminimus, Metaphraſtes illius uitam adſcribit, quam legas licet apud Lipomanum in epit. tom. 2. et apud Surium tom. 3. de ſanctis. De eodem ſcriptum eſt in Euangelio s. Ioan. 1. 6. 12. et 14. ab Euſebio lib. 3. cap. 24. et 25. hiſt. eccl. a Nicephoro lib. 2. cap. 39. ab Iſidoro lib. de pat. uet. teſt. ab Adone, Vſuardo, Beda, ceteriſq. hoc ipſo die. Fuit alter Philippus diaconus; de quo ſcribimus ad VIII. idus Iulij.

s. Iacobi Apoſtoli.) Qui Frater Domini uocatus eſt, pro eo quòd eſſet filius Ioſeph, qui Chriſti Domini quaſi pater habebatur, inquit Haimo. Is enim ex alia uxore ſuſceptus, quoniam una cum Ieſu Chriſto educatus, hac educationis ſocietate habitus eſt Frater Domini, non natura certe, ut rem totam explicat Epiphanius lib. 3. contra hær. Illam autem uxorem, e qua hunc, et illos alios tres, Simeonem, Iudam, et Ioſam, liberos, ut idem Epiphanius ſcribit, Ioſeph ſuſcepit, Salomem fuiſſe putat Hippolytus martyr, ep. Portuenſis. At uero s. Hieronymus Iacobum Fratrem Domini, conſobrinum arbitratur, filium ſcilicet Mariæ Cleophæ, quæ matris Ieſu ſoror fuit. Eſt alio item nomine nuncupatus Iacobus Alphæi a patre ſcilicet, cui Alphæus nomen fuit, marito eiuſdem Mariæ Cleophæ. Iacobus minor preterea a s. Marco appellatur cap. 15. Græci contendunt, hunc in numero apoſtolorum duodecim non cenſeri. Iacoboſq. tres fuiſſe putant, duos ſcilicet ex illis duodecim, et hunc tertium, quem, ut diximus, eorum duodecim numero non adſcribunt. Qua in opinione ſunt in primis, Clemens lib. 2. cap. 19. conſt. ap. Euſebius, Epiphanius, Dorotheus in ſynopſi, Nicephorus lib. 2. cap. 44. ſac. hiſ. et denique Glycas id pluribus differit Ann. par. 3. in latinis præterea idem ſentit s. Ambroſius. Quos omnes, Glyca excepto, in teſtimonium Epiſcopus Bouius affert: qui hoc ipſum opinari uidetur in ſuis conſtitutionum Apoſtolicarum ſcholijs, et Marianus etiam Victorius in ep. 62. tom. 2. s. Hieronymi. Sed contra diſputat Molanus lib. de pict. cap. 39. Cuius ſententia conſentiens eſt cum S. R. Eccleſiæ, omniumq. eccleſiarum officijs. Neque porrò eſt, cur hoc ipſum pluribus demonſtretur; cum ex ſanctis Euangeliſtis, Mattheo, cap. 10. Marco cap. 3. Luca cap. 6. Act. cap. 1. et ex Symbolo, ex canoneq. item Miſſæ ſacri perſpicue cognoſcamus, non tres, ſed duos Iacobos extitiſſe, eoſdemq. in Apoſtolis duodecim numerari. Id ipſumq. Beda plane ſentit in 1. cap. act. ap. Atqui de s. Iacobo ſcriptū eſt in ſacris litteris, præſertim 1. Cor. 15. Gal. 1. et 2. in ep. eius can. Act. lib. ab Egeſippo lib. 5. comm. ab Euſebio lib. 2. cap 22. hiſt. eccl. a Niceph. in hiſt. Sac. et in chr ab Epiphan. hær. 78. ab ſancto Hier. de uir. ill. cap. 3. et in 1. ad Gal. ab s. Anacleto pont. ep 2. ab s. Chryſoſtomo hom. 5. in Mat. ab Iſidoro lib de pat. uet. teſ. cap. 74. ab. Gr. Turonico lib. de gl. martt. cap. 27. a Simeone Metaphraſte, quem legas licet apud Surium in to. 3. de ſanct. et a Glyca copioſe admodum in par. 3. Ann. Extant præterea de eo ſermones, Honorij Auguſtodunenſis, Radulphi Ardentij, et aliorum. Porrò ſcripſit is epiſtolā, quæ in canonicis illis ſeptem

numeratur; Euangelium item, cuius Origenes ſæpe meminit; idipſumq. eſt, quod ſecundum Hebræos inſcriptum, ex hebræo in græcum, et latinum ſermonem s. Hieronymus conuertit. s. Matthæi præterea euangelium ab ſancto Iacobo, de quo loquimur, primo omnium expoſitum eſſe, Athanaſius ſcribit. Huius Apoſtoli nomine apud Græcos Liturgia in uſu eſt: quam, ut ueram, germanamq. illius ſcripturam, Proclus Conſtantinopolitanus agnoſcit, et Synodus Oecumenica VI. Ad eundem extat epiſtola beatiſſimi Clementis pont. quæ contra Magdeburgēſes egregie defenditur à Turiano lib. 2. de epiſtolis pont. Iam uero s. Apoſtoli huius diem natalem Græci agunt VII. idus Octob. quo die pluribus de eo ſcribitur in Horologio. Et quoniam ex antiquo inſtituto, ut narrauimus, hoc ipſo die agebatur celebritas apoſtolorum XII. non alienum putauimus, ſacra eorum nomina hoc loco adſcribere, cum plerique ſint præſertim, ut Nicephorus ſcribit, qui illa ignorent, aut certe recte teneant. Sunt igitur hæc.

1 Simon Petrus, qui syriace Cephas appellatus eſt.
2 Andreas, Petri frater.
3 Iacobus Zebedæi: qui maior dictus eſt.
4 Ioannes, Iacobi frater, euangeliſta.
5 Thomas, alio nomine, Didymus.
6 Iacobus Alphæi, frater Domini: qui Iacobus minor etiam nominatur.
7 Philippus.
8 Bartholomæus, quem eſſe eundem, qui a s. Ioanne Nathanael dicitur, Ianſenius oſtendit, in comm. Conc. Eu.
9 Matthæus Leui, alio nomine, Publicanus.
10 Simon Cananæus, alio nomine, Zelotes, frater Iacobi minoris, et Iudæ Thaddæi.
11 Thaddeus, alio nomine Lebbæus, aliàs item, Iudas Iacobi.
12 Matthias.

Atque hæc quidem nomina ſunt apoſtolorum XII. quæ eo ordine enumerauimus, quo in Litanijs s. mater eccleſia Romana utitur. At apud s. Auguſtinum ſer. 2. in Dom. Palmarum, ordo eorum hic eſt.

1 Petrus	4 Andreas.	7 Bartholomæus.	10 Simon Zelotes.
2 Ioannes.	5 Philippus.	8 Matthæus.	11 Iudas Iacobi.
3 Iacobus.	6 Thomas.	9 Iacobus Alphei.	12 Matthias.

Apud Nicephorum uero Græcum lib. 2. cap. 44. hæc apoſtolorum duodecim enumeratio eſt.

1 Petrus.	5 Philippus.	9 Iacobus Alphæi.
2 Andreas.	6 Bartholomæus.	10 Iudas Thaddæus.
3 Iacobus Zebedæi.	7 Thomas.	11 Simon Zelotes.
4 Ioānes frater eius.	8 Matthæus.	12 Matthias.

s. Matthæus ita enumerat cap. 10.

1 Petrus.	5 Philippus.	9 Iacobus Alphæi.
2 Andreas frater eius.	6 Bartholomæus.	10 Thaddæus.
3 Iacobus Zebedæi.	7 Thomas.	11 Simon Cananæus.
4 Ioannes, frater eius.	8 Matthæus publicanus.	12 Iudas Iſcariotes.

s. Marcus cap 3. ſic

1 Petrus.	5 Philippus.	9 Iacobus Alphæi.
2 Iacobus Zebedæi.	6 Bartholomæus.	10 Thaddæus.
3 Ioannes frater Iacobi.	7 Matthæus.	11 Simon Cananæus.
4 Andreas.	8 Thomas.	12 Iudas Iſcariotes.

Denique ita quidem s. Lucas cap. 6.

1 Simon

1 Simon Petrus.	5 Philippus.	9 Iacobus Alphæi.
2 Andreas frater eius.	6 Bartholomæus.	10 Simon Zelotes.
3 Iacobus.	7 Mattheus.	11 Iudas Iacobi.
4 Ioannes.	8 Thomas.	12 Iudas Iſcariotes.

Porrò ex omni hac enumeratione animaduertimus, primū apoſtolos, ſicut moris hæbreorum fuit, duobus, tribuſue nominibus appellatos eſſe, ut Simon Zelotes, Cananæus. Quem præterea s. Matthæus Lebbæum, s. Marcus Taddæum, s. Lucas Iacobum Iudæ nominauit. Duos item Simones, Iacobos etiam duos, Iudas quoque duos, in duodecim apoſtolorum numerum adſcriptos eſſe didicimus.

Ex ijs duodecim fuerunt aliqui, neceſſitudine inter ſe coniuncti, ut Petrus, et Andreas, fratres: Iacobus, et Ioannes, Zebedæi filij, fratres item; Iacobus minor, Simon, et Thaddæus, germani etiam fratres, ex Alphæo, et Maria nati, quæ beatæ, Dei genitricis, Mariæ ſoror dicitur. Quorum duodecim apoſtolorum nomine libri, diuerſis titulis inſcripti, leguntur: qui pontificijs eccleſiaſticiſq. ſanctionibus partim in canonicis, partim in apochryphis cenſentur; ut rem totam. F. Xyſtus explicat lib. 2. Bib. ſanctæ. Porrò s. Paulus, in eorum duodecim numero adſcribitur canone Miſſæ ſacri, licet Græci, præſertim Glycas, qui pluribus hoc diſſerit, in illum numerum non referant. Atque hæc breuiter de ſacris Apoſtolorum nominibus: de prouincijs uerò, quæ unicuique eorum obtigerunt, alio loco ſcribemus, ac de ſepulcris præterea eorum.

Hieremiæ Prophetæ.) De quo Epiphanius, et Iſidorus, in uitis proph. Vſuardus præterea in mart. hoc ipſo die: quo Græci item diem illius natalē concelebrant.

s. Andeoli Diaconi.) Aliàs, Subdiaconi, ut habet Vſuardus et Beda: nos, Diaconi, ſcripſimus, codicem, manu exaratum, ſecuti; ut ſubdiaconi, legitur in alijs antiquioribus libris; et ita in noſtro martyrologio reponimus.

s. Sigiſmundi regis, et mart.) De hoc Gr. Turonicus lib. 5. cap. 5. et 6. hiſt. Fr. s. Antoninus in chr. par. 2. tit. 10. cap. 17. Beda, et alij.

s. Amatoris epiſ.) In initio uitæ s. Germani: ac Vſuardus item.

s. Orientii.) Aliàs, s. Orientis, Vſuardus.

s. Theodulphi presb.) Ex tabulis eccleſiæ Rhemenſis.

s. Vltani confeſſoris.) De quo a Beda ſcriptum eſt in lib. 3. cap. 19. hiſt. Ang.

s. Saluatoris.) Repone ſic, Cantuariæ in eccleſia s. Saluatoris: Beatorum plurimorum martyrum.) De quorum martyrio hiſtoriam ſcripſit Anaſtaſius S.R.E. Bibliothecarius.

Beatorum martt. Acij, et Acioli.) Ex additionibus eruditi uiri Molani.

s. Vualburgiæ.) Aliàs, Vualburgæ: quæ ſoror fuit s. Bonifacij epiſcopi. Vtriuſque uitam litteris conſignauit Vuilibaldus ep. 1. Eiſtatenſis.

s. Gratæ.) Ex tabulis eccleſiæ Bergomenſis, et annalibus.

Sexto nonas Maij.

Alexandriæ, s. Athanaſij.) Hic locus eſt ſcribendi de eccleſia Alexandrina, ſed breuiter quidem. Fuit illa initio ab s. Marco euangeliſta, Chriſtianæ religionis imbuta myſtèrijs, et catholicis olim, inquit s. Leo Pontifex, clara doctoribus; aliquando gloriata eſt, ſe Romanæ eccleſiæ fidei, apoſtolico ore laudatæ participem eſſe, ut s. Hieronymus ad Theophilum ſcribit. Peruetus illa fuit, et ab apoſtolicis uſque temporibus, ducta conſuetudo, ut apud pontificem Romanum eccleſiæ orientalis epiſcopi per ſynodicas litteras fidem profiterentur: eiuſq. cauſas cum eodem conferrent. Extant eius generis epiſtolæ, ut illa a Sophronio Hiero-

ſolymitano, ad Honorium 1. pont. ſcripta; altera Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Leonem III. pont. alia Petri Patriarchæ, etiam Conſtantinopolitani, ad Leonem IX. pont. Proterij item Patriarchæ Alexandrini illa; quã is ad Leonem I. ſanctiſsimum pontificem exarauit. Quæ ſane apoſtolica conſuetudo, diu retenta, robur ac uires habuit ad tuendam in omni chriſtiana rep. fidei catholicæ doctrinã. Porrò ſanctiſſimus, et antiquiſſimus ille, Alexãdriæ epiſcopus Dionyſius, de anabaptiſmi cauſa a Xyſto Romano pont. cõſiliũ, et ſententiam per litteras expetit, ueritus, ne, ſine ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ iudicio, ipſe laberetur. Stephanũ præterea, qui Xyſtum præceſſerat, ea ipſa de cauſa conſuluit per litteras, pluribus ſcriptas, Origenes itẽ, doctor Alexandrinus: ad Zepherinũ etiã pont. Romanum litteras, miſit in eandem fere ſententiam exaratas, s. Athanaſius; et uniuerſi Aegypti epiſcopi, datis ad Marcum pont. litteris, cum ſanctam ſedem Romanam, omnis catholicæ religionis, doctrinæq. parentem agnoſcunt, ac profitentur, tum eidem ſe perpetuo obedientes fore ſpondent. Earum autem litterarũ intermiſſa conſuetudine, in omni Oriente interitus inde fere extitit tum prouinciarum, tum in primis orthodoxæ doctrinæ. Vtq. olim, ne ceteras Aſiæ urbis commemoremus, Alexandria Aegypti ſcholam, optimo more inſtitutam, excitauit, unde, tamquam ex equo troiano, prodierunt innumerabiles uiri, et ſanctitate, et doctrina celebres, quales numerantur in primis s. Athanaſius Magnus, Dionyſius, Origenis auditor, Pierius, Dydimus, s. Hieronymi doctor, Pantenus κατηχητῶν magiſter, et alij; ſic pleroſque alios peperit, chriſtianæ reip. perditos helluones, nefarioſq. hæreticos, quorum anteſignanus extitit, damnatæ memoriæ Arius. neque eſt, cur reliquos commemoremus. Patriarcha Alexandrinus unus e quattuor illis eſt, quos Nicæna synodus œcumenica prior inſtituerat. Eius diœceſis fines circumſcripti ſunt canone VI. qui in codice arabico VIII eſt, eiuſdem synodi Nicænæ; et canone II. concilij Conſtantin. I. et ab Epiphanio contra hær. ſecta 68. Habuit olim auxiliarium Thebaidis epiſcopum, ut de Meletio ſcribit Epiphanius lib. 2. et Metropolitanos præterea decem, ſibi ſubiectos, ut ex epiſtola Impp. Theodoſij, et Valentiniani ad Dioſcorũ cognoſci licet. Ne uero quis canonem illum Nicænum aliorſum accipiat, quàm ſanctorum patrum ſententia fuit; illius interpretatione utatur, quam rectam affert Fr. Turrianus in lib. dogm. char. Sedes Alexandrina ſecunda numeratur in ep. s. Anacleti papæ, in ſanctione Gelaſij, in eodem canone Nicæno, apud s. Leonem, et s. Ambroſium. Cuius rei rationem explicatam habes apud Couuaruuium lib. 4. cap. 14. uar. reſ.

s. Athanaſij.) Cuius acerrimas pro fide catholica propugnationes, exilia contumelias, pericula, ceteraq. id generis, quæ perperſſus eſt præ ſtudio pietatis, litteris cõmẽdarunt tũ Græci, tũ Latini. At oĩa Lippomanius in unũ collegit, et Caſſiodorus ex auctoribus tripartitæ hiſtoriæ. Eius laudationẽ Nanzianzenus ſcripſit; eandemq. una concione Metaphraſtes cõplexus eſt: libros porrò duos pro eodẽ Lucifer Caralitanus ad Conſtantium Imper. miſit. De s. Athanaſio præterea œcumenicæ synodi, Epheſina, Conſtantinopolitana V. et VI. concilium Martini I. pont. Gelaſius item, et Leo pont. Illius uita, morumq. ratio, epiſcopatus norma fuit: eiuſdemq. dogmata pro fidei orthodoxæ lege putantur, inquit de eo Nazianzenus. Eccleſiæ Dei fundamentum a Damaſceno is appellatur lib. de Def. Photius de eo præclare loquitur. Tu uide F. Xyſtũ par. 1. Bib. ſan. Græci hoc ipſo die celebrant illius translationem.

ss. martyrum, Saturnini, Neopolij, Germani, et Cœleſtini.) Priorum duorum Vſuardus meminit, ac Beda itẽ; poſteriores duos nos adiunximus ex codice M.S.

ss. martt. Eſperi, Zoæ congiugis, ac liberorum.) De quibus ſcriptum eſt in tabulis græcis.

In Corſica.) Quæ inſula Liguſtici maris, e conſpectu Genuæ urbis ſita, longe patet centum quinquaginta millia paſſuum, late quinquaginta millia. Fidei Chriſtianæ initia accepit a s. Paulo apoſtolo: qui ab urbe Roma eò profectus, ad Hiſpaniam inde appulit. Iuliæ uirginis martyrium, in ea inſula præclarum extitit. Tanitana, et Salonenſis, eccleſiæ in Corſica a s. Gregorio nominantur. Leo item, et Martinus in Corſica epiſcopi, lib. 2. reg. ep. 76. 77. Quo libro extat eiuſdem epiſtola, ad clerum, nobileſq. illius inſulæ ſcripta. Gregorij autem VII. epiſtolæ 2. 4. et 6. lib. 2. teſtantur, ac plane oſtendunt, ad s. eccleſiæ Romanæ ius eam inſulam pertinere.

ss. Florentij, et Vindemialis.) Ex tabulis antiquis eccleſiæ Taruiſienſis: in qua ſacræ amborum reliquiæ reconditæ, religioſe aſſeruantur.

s. Vualberti abbatis.) Ex additionibus doctiſſimi Molani.

s. Florentij presb. et conf.) Ex iiſdem.

s. Antonini.) Cuius uitam, res geſtas, a Vincentio Geminianenſi litteris mandatas, nouemq. lectionum de eodem officium conſcriptum, ac diſpoſitum, Clemens VII. pont. apoſtolicis litteris, ad eum nominatim exaratis, comprobauit.

Quinto nonas Maij.

Inuentio ſacroſanctæ crucis.) Cuius hiſtoriæ meminerunt, Theodoritus lib. 1. cap. 18. Socrates lib. 1. cap. 17. Sozomenus lib. 2. cap. 1. Nicephorus lib. 8. cap 29. Ruffinus lib. 10. cap. 7. et 8. hiſt. eccl. Caſſiodorus lib. 2. cap. 18. s. Ambroſius in laudatione Theodoſij, s. Paulinus in ep. 11. ad Seuerum, s. Euſebius pont. in ep. Gregorius Turon. Eutropius lib. 11. hiſt. R. Suidas, Martinus Polonus, Vſuardus Ado, et Glycas par. 4. An. apud quem legas licet uerba epiſtolæ, ad Conſtantium Imper. a Cyrillo Hieroſolymitano ſcriptæ hoc ipſo de genere. Eſt igitur Euſebius Cæſarienſis, culpæ, negligentiæue nomine ſuſpectus, ut pote parum diligenter hiſtorici ueri officio perfunctus, qui Helenæ res, pie actas, ac dona, ad templorum ornatum collata, cum in libris uitæ Conſtantini filij commemoraſſet, ſilentio præterijt rem teſtatiſſimam, perpetuoq. eccleſiæ conſenſu corroboratam, ac ſempiterna plane memoria dignam. De officio inuentionis ſacroſanctæ Crucis extant lectiones in libro lectionario, quem ſancti Hieronymi nomine Comitem inſcribunt, antiphonæ in codice antiphonario s. Gregorij, et orationes in libro ſacramentorum; in libro præterea micrologi, cap. 55. et in ordine Rom. pag. 82. Quod uero ſcripta de inuentione ſanctæ crucis, Gelaſius in agiographis non cenſet, non propterea tamen ea reijcit, immo uero pie legi admonet. Tu uero uide Couaruuiam, id recte explicantem lib. 4. cap. 16. uar. reſol. De quo die feſto ubique ex Rom. auct. Radul. prop. XVII. de can. obs. Porrò de Inuentione s. crucis leguntur ſermones, Petri Damiani, Honorij presbyteri, Radulphi Ardentij. De laudibus eius, conciones patrum, præſertim Chryſoſtomi, et hymni permulti.

Romæ, uia Numentana.) Quæ a Viminali inchoans, apud Eretum uicum in Salariam incidit: cæmiterium habet ſanctæ Agnetis: de quo aliàs diximus.

s. Alexandri pont. Euentij presb. Theodori, et Iuuenalis diaconorũ.) Adiunximus Iuuenalem, codice manu ſcripto uſi: ſed Vſuardus, Beda, ceteriq. illum non habent: non propterea tamen eſt, cur inficias quis eat, eum in martyrum numero non cenſeri, quos ſocios quamplurimos beatiſſimus Alexander habuit, eoſq. partim V. calendas Septemb. partim III. et pridie cal. Aprilis, partim cal. et IIII. id. Aprilis, in omni martyrologio adſcriptos: præſertim cum ad hanc opinionẽ nos confirmet, quòd in libro antiphonario s. Gregorij hic ſane dies ita inſcribatur, ſancto-

Sanctorũ, Iuuenalis, Alexandri, et Quintij. Atqui de s. Alexandro pont. ſocijsq. in priſcis S. R. E. tabulis, unde martyrologij ſcriptores acceperunt, ſcriptum eſt. Porroq. Surius de ijſdem oĩa luculentius explicauit tom. 3. ſanctorũ. De Theodoro ſunt, qui ſentiũt, presbyterũ illum fuiſſe: alij uero, Theodolum, alij Theodulum, illum dicũt, ut nos etiã in noſtro martyrologio reſtituimus, cum ita legamus in perueteri libro ſacramentorum. Eſt præterea de ijs ipſis martyribus officium antiphonarum, et orationum traditum, ac diſpoſitum ab s. Gregorio pontifice, ut ex eius antiphonario apparet. Sancti autem Alexandri pont. res geſtas, et martyrium narrant, Nicephorus lib. 3. cap. 25. Irenæus lib. 3. cap. 3. Euſebius lib. 4. cap. 1. hiſt. eccl. et in Chr. Methodius, Optatus, s. Damaſus, Iuo in Chr. Haimo lib. 4. cap. 8. rer. mem. Volaterranus lib. comm 22. Bartholomæus Lucenſis, Gothifredus Viterbienſis, Albertus Crantius lib. 2. cap. 1. hiſt. eccl. Boſſius in Ann. Med. Otto Friſigenſis lib. 3. cap. 22. Vrſpergenſis, et ceteri permulti: qui uno omnium conſenſu teſtatam faciunt illius conſtitutionem de aqua benedicta, et populo aſpergendo: prout cum ipſum ritum acerrime Turrianus contra hoſtes doctrinæ catholicæ defendit lib. 3. cap. 6. de epp. pont.

Traiano Imperat.) Anno ſcilicet a Chr. nat. L I X. L. Antiſtio, L. F. uetere, et L. Aemilio Aeliano coſſ.

ss. martt. Rhodopiani Diaconi, et Diodori.) Vt e monimentis Græcis accepimus.

ss. martt. Antoninæ uirg. et Alexandri militis.) De utroque Metaphraſtes concionem ſcripſit: quam Surius tomo I I I. adiunxit.

s. Iuuenalis.) Quem alij Interamnatium epiſcopum ſcribunt: eius s. Gregorius meminit hom. 37. Euangeliorum, Vſuardus, Beda, et alij item.

Quarto nonas Maij.

s. Monicæ.) Cuius uitam s. Auguſtinus filius libris confeſſionum expoſuit: eandemq. ex libro præſertim nono earundem Lipomanus perbelle contexuit: Matthæus item Veggius, Martino V. pont. uerſibus expoſuit.

s. Siluani ep.) De quo pluribus Euſebius ſcribit in lib. 8. cap. 17. 22. 25. et lib. 9. cap. 5. Ruffinus lib 8. cap. 14. lib. 9. cap. 6. Is martyrio coronatus traditur in perſecutione Diocletiniana. An. a Chr. nat. C C C I I I. Titiano II. et Nepotiano coſſ.

ss. Vnde quatragiata martt.) Ex M. S.

s. Ioannis mart.) Huius martyrium enucleate perſcribit Euſebius lib. 8. cap. 22. hiſt. eccl.

In Phenneſo.) In Phanenſi metallo, Vſuardus; in Metallophanenſi, Beda ſcribit, nos codices græcos ſecuti, In Phenneſo, ſcripſimus.

ss. Quatraginta martt.) Quorum martyrium litteris tradidit Petrus Alexandrinus ep. apud Theodoritum lib. 4. cap. 20.

s. Pelagiæ uirginis.) Tres Pelagiæ numerantur, una Tarſenſis, de qua hodie fit, ut e græcis libris, e quibus martyrium expreſſimus, perſpicuum fit: altera pœnitens V I I I. idus Octob. tertia Antiochena, quinto Idus Iunij, de qua Mediolani fit octauo id. Octob. Quo die Græci item celebrant trium harum martyrium, ut eo die exponemus. De Tarſenſi fuſe ſcribit Metaphraſtes apud Lipomanum, et Surium tom. 1.

s. Antoniæ uirg. et mart.) Aliâs Antoninæ, Vſuardus, Beda: Hæc martyr, et uirgo Antonia fortaſſe illa ipſa eſt, de qua pridie huius diei notauimus ex Metaphaſte, et tabulis græcis. Tu uide Surium.

In

In Norico.) Ripenſi ſcilicet; quæ regio ſic uocatur, quia ſubductis montibus ripa Danubij undique uinctis, et aruis fœcundatur. Porrò Norici, fidei chriſtianæ ſacris primum a Seuerino ep. Rau. inſtituti dicuntur, anno a Chr. nat. CCCCXX. Cæleſtino I pont.

Apud Lauriacum.) Laureacenſis eccleſia a Symmacho pont. Metropolitana inſtituta, anno a Chr. nat. CCCCLX. ut ex pontificio diplomate apparet, Archiepiſcopum I. Theodorum habuit, uſu palij ab eodem donatum.

s. Floriani.) Ex antiquis martyrologijs martyrium eius ſplendide commemorauit Surius in tom. 3.

s. Cyriaci ep. Annæ matris, et Ammonij martt.) Ex tabulis Baſilicæ cathedralis Anconitanæ, quæ s. Cyriaci nomine nuncupatur. Eius martyrium Nicander Hiſpanus uerſibus expoſuit. Beda hoc die meminit.

Beati mart. Curcodomi diaconi.) Vſuardus, et conſtantius in uita s. Germani. Alios porro nos adſcripſimus, ex Adone, et cod. M. S.

s. Paulini mart.) Ex tabulis eccleſiæ colonienſis.

s. Venerij ep.) De quo pluribus proditum eſt monimentis eccleſiæ Mediolanenſis: et in epiſtola græca chryſoſtomi, quam, e libro græco epiſtolarum exſcriptam, anno Iobelei MDLXXV. mihi tradidit, uir ſpectata probitate, et exquiſita doctrina, omniq. uirtutum laude clarus, cardinalis Sirletus, de me in primis optime meritus.

s. Gothardi.) Epiſcopi Hildesheimenſis: cuius meminit Volaterranus lib. 16. comm. Albertus crantius in Metropoli. De eodem præterea pluribus ſcriptum eſt in tabulis, codiceq. ſanctorum perantiquo eccleſiæ Mediolanenſis. Illius uitam olim ſcripſit F. Bartholomæus Tridentinus, ordinis Dominicani.

Tertio nonas Maij.

Beatorum martt. Irenæi, Peregrini, et Hirenæ uirginis.) Ado, Equilinus, Beda, et M. S. Eos martyrij coronam tuliſſe proditum eſt anno a chr. nat. CCC.

s. Euthymij diaconi.) Qui martyrio coronatus dicitur, Anno a chr. nat. CCCV. Conſtantio V. et Maximiano V. Coſſ. Ex M. S. et Vſuardo.

s. Iouiani lec. et mart.) Alias, Iouini, Aliaſq. et Iouiniani item: nos, Iouiani, more græco ſcripſimus, ut Papiani: qua de re ſupra, alio loco ſcripſimus. De Iouiano ſane narratum eſt in libro martyrij s. Peregrini: cuius dies natalis agitur XVII. cal. Iunij.

s. Hirenæ uirginis.) Ex Horologio Græco: quo libro pluribus narratur, et uita, et martyrium.

Conuerſio s. Auguſtini ep.) Qui de ſe hoc ſcribit lib. 5. confeſſ. cap. 13. et ſeq. lib 9. cap. 6. et lib. I. Sol. Poſſidius cap. I. et s. Datius Mediolanenſis lib. I. ann. Idemq pluribus exponitur in Breuiario canonicorum regularium Lateranenſiũ. Extat præterea ea ipſa de re in operibus s. Ambroſij ſermo, eodem nomine inſcriptus. Anno a Chr. nat. CCCLXXXIX. illa facta ſcribitur a Sigeberto: quo anno ss. martyrum, Protaſij, et Geruaſij corpora a s. Ambroſio inuenta ſunt.

s. Geruntij ep. et conf.) Ex Beroldo, Boſſio, et tabulis Eccl. Med.

s. Hilarij ep. et conf.) Gennadius de uir. ill. Eucherius Lugdunenſis: qui ad illum de laude ſolitudinis librum ſcripſit, Beda pluribus item. Is floruit Leone I Pont. Max.

s. Audœni ep. et conf.) Demochares, Beluacenſis, Equilinus, tabulæ ss. epp Rhotomagenſium, et M. S.

s. Nicetij ep.) Vſuardus, Ado in Chr. an. 379. Eum alij Nicetam appellant.

s. Angeli presb) Cuius uita, ab Enoch Hieroſolymitano ſcripta, fertur. Ex additionibus eruditiſſimi Molani.

s. Maurontij.) Ex ijſdem.

Pridie nonas Maij.

Romæ, ad portam latinam.) Quæ et Valeria, et Ferentina ab oppido Hernicorum nuncupata in uiam latinam aditum facit: quæ uia per Ferentum, Fruſinum, et Fabrateriam ad Caſinum uſque ducta; in Appiam incidit. L. Annius Fabianus, Curator uiæ latinæ in Epitaphio quodam legitur. Extat hodie ſacellum ad portam latinam, s. Ioannis Euangeliſtæ nomine dicatum, quò olim magna fidelium multitudo feſto hoc die religionis cauſa uenit; ut infra mox narratur.

s. Ioannis Euangeliſtæ.) Domitiano Imp. Tertullianus de præſcrip. et s. Hieronymus lib. 3. contra Iouin. s. Gr. in lib. ſacramentorum. Vſuardus: qui feſto hoc die, magnum ætate ſua concurſum fidelium religionis cauſa ad urbem Romam factum eſſe ſcribit: ac Beda præterea pluribus.

Cyrenæ.) Cyrenenſes initio euangelij, fidem Ieſu Chriſti perceperunt a Lucio, Apoſtolorum diſcipulo: quem s. Marcus illis epiſcopum præfecit, alijs etiam rebus apud eos, et Pentapolitanos rite, atque ordine conſtitutis: ut ſcribit Niceph. lib. 2. cap. 15. et 43.

s. Lucij.) Cuius meminit s. Lucas act. 19. s. Hieronymus in lib. Mart. Sigelbertus, Odo Cluniacenſis, Gul. Eiſengrinius, Beda, et alij.

s. Euodij ep. et mart.) De quo ſcribit s. Lucas in act. ap. cap. 13. s. Ignatius, ep. 9. ad Antiochenos; Euſ. in chr. et lib. 3. cap. 22. hiſt. eccl. Nicephorus lib. 2. cap. 35. et lib. 3. cap. 2. Metaphraſtes in uita s. Petri, Vſuardus, et ceteri. Epiſtola, ab eo conſcripta, de baptiſmo s. Petri, et aliorum Apoſtolorum, τὸ φῶς, inſcribitur. Tu uide Niceph.

Beatorum martt. Heliodori, Venuſti, et LXXV.) Vſuardus, et M. S.

ss. Felicis, et Valerij martt.) M. S.

s. Eadberti.) Alias, Eadbrecti, alias, Ediberti: de quo Beda ſcribit, lib. 4. cap. 29. et 30. hiſt. Angl.

Nonis Maij.

Tranſlatio s. Stephani protomartyris.) Anno a Chriſto nato circiter DLXII. Pelagio I. pont.

s. Benedicti pont.) Beda, quem ſecuti ſumus, Nonis Maij adſcribit illius diem natalem, at ceteri Idibus.

Tarracinæ.) De qua et ſi alias diximus, notare tamen libuit, iam uſque a temporibus perſecutionis Domitinianæ, in ea urbe impreſſa fuiſſe ueſtigia fidei chriſtianæ, ut ex martyrio Fl. Domitillæ apparet.

s. Flauiæ Domitillæ mart.) De qua S. R. E. notarij ſcribunt in actis, et s. Clementis pont. et ss. Nerei, et Achillei; Euſebius in chr. et lib. 3. cap. 19. Nicephorus lib. 3. cap. 10. Eutropius lib. 9. Ado Vien. in chr. æt. 6. Ado Treuerenſis, Beda, Vſuardus in Martyrologio huius diei; Volaterranus lib. 15. s. Antoninus par. 1. tit. 7. cap. 1. chr.

s. Cachij mart.) κακίου, græce, ergo latine rectius, Cacij: cuius martyrium e tabulis

e tabulis græcis conuertimus. Tu uide Metaphraſtem.

s. Martyris Maximi.) Vt in Horologio græco de eo ſcriptum eſt, ſic latine reddidimus.

Beati Codrati mart.) καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, Et Sociorum eius: quos tamen græcus codex non nominatim exprimit. Illius martyrium græce pluribus explicatur; nos, ut breuiſſime potuimus, latinum fecimus.

Beatorum mart. Flauij, Auguſti, et Auguſtini.) Vſuardus, et M. S. cod.

s. Petri ep. et conſ.) Ex tabulis ſanctorum epiſcoporum eccleſiæ Ticinenſis. De eo præterea ſcribit Paulus Diaconus lib. 6. cap. ult. et in lib. de uit. epp. Pap. Iacobus item Gualilius in lib. de ſanct. Pap.

s. Alberti conſ.) Ex tabulis ſanctorum eccl. Bergomenſis.

s. Ioannis ep. et conſ.) Ex tabulis ſanctorum Britanniæ. Eius uitam litteris commendarunt, Folcardus, Dorobernenſis Monachus, et Alphredus, Beuerlacenſis ſacerdos. Beda præterea de eodem ſcribit lib. 5. cap. 2. 3. 4. 5. et 6. hiſt. Angl.

s. Placiti ep. et conſ.) Ex additionibus D. Molani.

s. Domitiani ep. Leodienſis.) Ex calendario, et Indiculo Belgij.

Tranſlatio beati Vincentij.) Repone, Petri, eſt enim mendum, impreſſorum negligentia contractum. Ea porrò tranſlatio incredibili populi concurſu, eccleſiaſticiq. apparatus ſplendore magno, celebrata eſt anno a Chriſto nato M C C C X L. die ſolemni feſto Pentecoſtes: quo die comitia habebantur fratrum ordinis Dominicani, Mediolani in Baſilica s. Euſtorgij, ad quam beati martyris reliquiæ transferebantur.

In Græcia hoc ipſo die celebritas agitur ſigni crucis: quod Hieroſolymæ in cælo apparuit, hora circiter tertia diei. De quo ſigno ſcribit Cyrillus, illius urbis epiſcopus apud Metaphraſtem, et Sozomenus lib. 4. cap. 4. et Græci in Horologio, ac in Menologio item.

Octauo idus Maij.

Apparitio s. Michaelis Archangeli.) De qua Ado, et Alcuinus in homiliario Doctorum; tertio cal. Octobris: quo die pluribus exponemus.

s. Victoris mart.) Cuius martyrium Maximianus notarius, qui interfuit, litteris conſignauit nos uero Mediolani excepimus e tabulis antiquis baſilicæ s. Ambroſij; alijſq. eccleſiæ Ambroſianæ priſcis monimentis, ex Mombrinoq. in primis Mediolanenſi. Tu autem uide Surium in tom. 3. De eo Vſuardus breui, at multis Beda ſcribit hoc ipſo die, et Gregorius Tur. lib. de gloria martyrum, cap. 45. Eius tranſlationi, quam religioſiſſimus Cardinalis tit. s. Praxedis; idemq. ſanctiſſimus Archiepiſcopus Mediolani, anno M D L X X V I I. celebrauit, nos interfuimus.

Beatorum mart. Stephani, Victoris.) Vſuardus; nos uero, Belladium, quem Elladium plerique dicunt, ſocium adiunximus, libri, manu ſcripti, auctoritatem conſectati.

s. Dionyſij ep. et conſ.) Beda, et Demochares lib. 2. de ſacrificio Miſſæ ex tabulis eccleſiæ Viennenſis, in Gallia. Ado item Vien. in Ann.

s. Petri ep.) Tarantaſiæ: Surius in tom. 3.

s. Vuironis ep.) Cuius uitam, Lucij, Pont. Max. iuſſu, a Gaufrido abbate litteris conſignatam, Surius excripſit in tomo I I I.

Tranſlatio, ss. Andreæ Apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ, et Timothei.) s. Hieronymus, anno a chr. nat. C C C L X I I. Vſuardus poſtridie huius diei.

s. Cataldi ep.) Equilinus, et M. S. cod.

Septimo idus Maij.

s. Hermetis mart.) Aliàs Hermæ: cuius s. Paulus Apoſtolus in ep. ad Rom. meminit cap 16. Eſt Hermes alius, de quo ſcribimus v. cal. Sept.

s. Gregorij Nazianzeni.) Vita, à Gregorio presbytero ſcripta, in illius operibus impreſſa, legitur. De eo Ruffinus in Apologetico; Elias Cretenſis, qui ad eius conciones explicandas commentarios edidit; Niceta Serronius, Simeon Metaphraſtes, et Philoſtorgius, præclare ſcribunt. Fuit is, et externis diſciplinis eruditus, et ſacrarũ litterarum uſu longe omniũ litterate periti ſſimus. Plurimum ualuit in commentarijs ſcribendis Apollinarius: et in concionibus ualde admodum illuſtris Baſilius extitit: at utrumque tamen Nazianzenus, omnium iudicio ſuperauit. Porrò teſtimonia ei dant multo illuſtriora, et Baſilius, qui Vas electionis, puteũ profundũ, Os Chriſti illum appellat, et s. Hieronymus lib. de uir. ill. et Ruffinus, et Pſellus, qui luculenter de eo epigramma ſcripſit. Vitam prætérea ſuam ipſe uerſibus mandauit, quos, nuper impreſſos initio ſuorum operũ, legimus. De eo ad catholicæ doctrinæ uſum præclara teſtimonia afferunt, Summi Pontifices, Leo Magnus in ep. 95. Gregorius item Magnus in proemio lib. 3. paſt. Gelaſius in lib. de duabus in Chriſto naturis; Ioannes II. in ep. ad tres Iuſtiniani Imp. quæſtiones; et ſynodi præterea œcumenicæ, Epheſina, Conſtantinopolitana VI. et VI. Nicæna poſterior, quæ ſeptima uocatur; rurſuſq. etiam s. Eccleſiæ doctores s. Auguſtinus ep. III. ad Fort. lib. I. contra Iul. lib. etiam 2. cap. 19. s. Hieronymus, multis ſane locis; s. Thomas ſæpiſſime: qui teſtatur, nihil in Nazianzeni ſcriptis extare, quod quiſquam reuocare poſſit in dubium. Atqui illius diem natalem Græci agunt VIII. cal. Februarij.

Beatorum martt. Quirilli, Zenonis, et Timothei.) Ex M. S. cod. et Beda, apud quem hæc nomina corrupte leguntur.

S. Beati conf.) Beda.

ss. CCC. et X. martt.) Beda, CCCC. martyrum.

Translatio s. Nicolai ep.) Cuius tranſlationis hiſtoriam ſcripſit Nicephorus Barienſis. Nos uerò de ſancto Nicolao ſcribemus ad octauum id. Decemb. quo die illius celebritas agitur.

Sexto idus Maij.

Beatiſſimorum martt. Gordiani, et Epimachi.) s. Gregorius in lib. Sacramentorum, et antiphonario. Eorum martyrium breui Vſuardus exponit, copioſe uero Beda: tu præterea lege Suriũ. tom. 3. Martyrio ij coronati dicuntur. an. a Chr. nat. CCCLX.

s. Calepodij presb.) Beda, Vſuardus, et M. S. codd.

s. Palmatij conſulis, et mart.) Iidem, qui ſupra.

s. Simplicij Senatoris.) Vt ſupra. De ijs præterea ſcriptum eſt in actis s. Calixti Papæ.

s. Felicis, et Blandæ.) Equilinus.

Beatorum, Quarti, et Quinti.) Beda. Ado, et M. S. De cœmiterio ss. Quarti, et Quinti Bibliothecarius ſcribit in uita Hadriani.

s. Chriſtinæ uirg. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Panormitanæ.

Beatorum martt. Alphij, Philadelphi, et Cyrini.) Ex annalibus Siciliæ, et additionibus D. Molani.

Tran-

Tranſlatio s. Nazarij.) De qua extat præfatio Ambroſiana; et s. Paulinus in uit. s. Amb. monimentaq. Eccl. Med.

Iob, Prophetæ.) Cuius genealogia, in exemplaribus græcis, et antiquis, et recentibus, ex LXX. interpretum editione conſcripta extat in ultima parte libri eiuſdem Iob: at in hebræis, et latinis codicibus nulla. Eſt uero Græca notationibus illuſtrata Origenis, Chryſoſtomi, Iuliani, Seueri, Euagrij, et Olympiodori. Tu uero de Iob pluribus diſſerentem uide F. Xyſtum in Bibl. 5.

Quinto Idus Maij.

Beati martyris, Anthimi presbyteri.) De quo ſermonem Petrus Damianus habuit: eius, et ſociorum acta, a S. R. E. Notarijs conſcripta putantur. Tu uide Surium in tom. 3. de ſanct.

s. Euellij mart.) De quo à Beda ſcriptum eſt, ac relatum præterea in geſta Torpetis: quæ apud Surium extant in tom. 3.

Tergeſti.) Quod Iſtriæ oppidum, Tegeſtra; et Tergeſtæ nominatur item, uulgo Trieſti, non longè ab Aquileia Metropoli.

Beatorum mart. Primi, Marci, Iaſonis, et Cæliani.) Ex M. S. cod.

s. Mammerti.) Aliàs, Mamerti: de cuius laude extant aliquot epiſtolæ Sidonij, Aruernorum epiſcopi. De litanijs porro triduanis, ab eo inſtitutis homiliam habuit Alcimus Auitus; ſcripſit uero multa Ado Viennenſis in chron. Greg. Tur. lib. 2. hiſt. Franc. c. 34. Albinus, Flaccus, et Amalarius.

s. Gandulphi mart.) Cuius diem natalem alij celebrant quarto idus Octob. alij tertio idus Maij, Traiectenſes autem ſeptimo idus eiuſdem menſis. Vita eius exſcripta eſt a Surio in tom. 3.

s. Maioli.) Vitam Odilo presbyter litteris mandauit; eandemq. retulit Surius in uolumen III.

Quarto idus Maij.

In cœmiterio Prætextati.) Sancti ſcilicet Prætextati presbyteri, uia Appia. De quo cœmiterio, et de ſanctis martyribus, quorum corpora in eo ſepulta ſunt, ſupra ſcripſimus.

Beatiſſimorum Nerei, et Archillei.) Aliàs, Achillei, ut ex antiquis ſubſcriptionibus Cardinalium, qui ei titulo præfuerunt, diplomati pontificio adſcriptis, perſpeximus. At Vſuardus, Beda, et plerique omnes, littera, r, Archilei nomen ſcribunt: Surius uerò ſine, r, ut nos etiam ſcribendum cenſemus, ſubſcriptionum ueterum monimentis, et omni eccleſiaſticæ antiquitatis Romanæ uſu adducti. Porrò ss. Nerei, et Achillei titulus, qui Faſciolæ item nuncupabatur, unus eſt ex illis ſcilicet XXVIII. certis: quibus presbyteri Cardinales præficiebantur. In ſubſcriptionibus undecimus numeratur. Cœmiterium uero ss. martyrum Nerei, et Achillei, a Ioanne Papa reſtitutum, uia Ardeatina fuit, ſecundo ab urbe lapide, ut aliàs narrauimus. Eorum geſta, græce olim conſcripta, latine deinceps reddita, in iiſq. epiſtolam Eutychetis, Victorini, et Maronis incluſam, de eorum martyrio legas licet apud Surium in tom. 3. In antiphonario, et libro ſacramentorum ſcriptum ſimul eſt hodie, ss. Nerei, Achillei, et Pancratij.

s. Pancratij mart.) In Lectionario, qui s. Hieronymi Comes inſcribitur, s. Pancratij tantum; in antiphonario, ut diximus ss. Nerei, et Achillei, ac præterea

s. Pancratij: Cuius res animo conſtanti pro Chriſto geſtas litteris mandarunt notarii S. R. E. Tu uide Surium, et Gregorium Turonenſem cap. 38. de gl. mar. In Baſilica s. Pancratij aliquando Homelias habuit s. Gregorius, ut ex ijs perſpici licet. Titulus s. Pancratij, non eſt ex illis antiquis, ſed nuper a Leone Decimo pont. additus: at eccleſia Romæ perantiqua eſt.

S. Philippi.) Ex annalibus Siciliæ, et additionibus Molani.

s. Theodori ep.) Vt e tabulis græcis accepimus, ita reddidimus.

s. Epiphanij ep.) Salaminæ primum, deinde Conſtantiæ epiſcopi, ut Suidæ placet. At s. Hieronymus Salaminam, eandem urbem, quæ Conſtantia poſtea uocata ſit, diuerſo nomine appellatam putat. De eo Martinus Pont. Concilium 6. et 7. s. Hieronymus ep. 27. et ſcriptores hiſt. Trip. multis locis, et Metaphraſtes, quem tu lege apud Surium in tom. 4. Fuit is quinque linguarum uſu litterate peritus, πεντάγλωττος propterea ab s. Hieronymo uocitatus eſt. Quod admirabili huic, ſanctiſſimoq. uiro, culpæ datur, male ſcilicet de ſacrarum imaginum cultu ſenſiſſe, id commentitium, falſum; neque ab eius lucubratione profectum, ſed ab iconomacho ex marginaria notatione in contextum relatum eſſe, Damaſcenus lib. 1. contra imaginum oppugnatores oſtendit, ſanctumq. uirum defendit certiſſimis argumentis, ut itidem docte, ac pie Molanus facit lib. de cultu Im. cap. 4.

s. Modoaldi.) Surius in tom. 3.

Tertio idus Maij.

Dedicatio s. Mariæ ad martyres.) Alias, Natale s. Mariæ, ut in antiquo libro ſacramentorum ſcriptum eſt. De quo feſto die officium in antiphonario, et libro ſacramentario s. Gregorij legitur, ſed Gregorianum nō putatur, cum a Bonifacio IIII. pont. primum inſtitutum ſit. Tu uero uide Rat. diu. off. et Sicardum, et Ioannem Belethum cap. 127.

Beati mart. Mutij presb.) Alias Mocij, ſed paſſim, Mutij, habent codices, manu ſcripti, Vſuardus item, Ado, et plerique alij.

s. Seruatij ep.) Ex Gr. Tur. lib. 2. cap. 4. 5. et 6. hiſt. Fr. et lib. de gl. con. cap. 72. ex ſul. ſeu. lib. 2. ſac. hiſt. ex Athanaſio in Ap. ad Conſtantium: Vſuardo, ac Beda, qui pluribus ſcribit; ex Surio item qui a Gr. Tur. accepit: et ex Indiculo denique Belgij. Eſt item eius uita a recenti ſcriptore mandata litteris: quæ habet aliquid, quod in apocryphis cenſetur iudicio doctiſſimi uiri, Ioannis Heſſelij.

s. Alexandri martyris.) Ex Horologio græco, et Metaphraſte.

Inuentio corporis beatæ Catharinæ.) Ex M. S. cod. et Maffæo Cam. in lib. x. chr. M. Ann. a chr. nat. CCCCXIIII.

s. Hilarij Monachi.) Cuius uitam Paulus monachus, illius diſcipulus conſcripſit. Tu uero uide Rub. lib. 3. hiſt. Rau.

s. Natalis ep.) Ex lib. M. S. de ſanctis Eccl. Med.

s. Oneſimi ep.) Ex additionibus D. Molani.

Pridie idus Maij.

ss. Proti, et Hiacynthi.) Ex Breuiario eccl. Nouocomenſis.

s. Marcelliani ep.) Qui ſucceſſit Peregrino Ep. 1. Democharis ex tabulis eccl. Antiſiodorenſis.

s. Bonifacij mart.) De cuius rebus, fortiter, præclareq. geſtis Metaphaſtes, et

Græci

Græci ſcribunt pluribus: et latini item, Ado, Beda, Vſuardus.

Beatorum martt. Victoris, Quarti, et Iſidori.) M. S.

ss. Martt. Victoris, et Coronæ.) Vſuardus, ſed fuſius Beda, cum quo Metaphraſtes conſentit: tu uide Surium in tom. 3.

s. Pontij ep. et mart.) Hic ſane uerò non ille ipſe eſt: qui diaconus beatiſſimi Cypriani martyris uitam ſcripſit, ſed plane alius quamuis non deſint, qui eundem eſſe contendant. Illius res geſtas Mombrinus exponit libro 2. de ſanctis.

In Chio inſula.) Quæ inter Samum, et Lesbum, è conſpectu Erythriarum poſita, centum millium paſſuum ambitu concluditur. Porrò s. Paulus, profectione quinquies ſuſcepta, peragratis Macedoniæ urbibus, nauigio Mitylenem uectus, inde Chium appulit.

s. Iſidori mart.) E græcis monimentis hauſimus, quibus res eius geſtæ diuinitus, ad poſteritatē proditæ, in Horologio die illius natali anniuerſario in eccleſia leguntur. De eo Vſuardus ſcribit poſtridie huius diei: et Gr. Tur. cap. 102. de gl. martt. et Surius tom. 3.

s. Maximi mart.) E græco item Horologio.

s. Barbari mart.) Cuius ſacræ reliquiæ Venetijs in baſilica s. Laurentij reconditæ, pio cultu aſſeruantur. Ex M. S. cod.

Tranſlatio s. Victoris.) Ex libro perantiquo, manu ſcripto, calendarijſq. eccleſiæ Med. tum etiam ex præfatione Ambroſiana libri Miſſalis.

s. Pachomij abbatis.) Cuius regulas monachales, e ſyriaco, græcoq. ſermone in latinum a s. Hieronymo conuerſas, Romæ Achillis Statij, Luſitani ſtudio in lucem editas, legimus. De s. Pachomio Græci hoc die, et Metaphraſtes in primis, ſcribunt. Eius uitam, græce exaratam, Dionyſius Romanus, latine reddidit: quæ uita extat in uit. pat. alph. 3.

s. Bonifacij ep.) Ex Tab. Eccl. Fer. et cod. M. S.

Idibus Maij.

ss. confeſſ. Cæcilij, Indalentij, Euphraſij, et reliquorum.) De quibus epiſcopis ſeptem, Vſuardus, ſed Beda fuſius ſcribit: longeq. uberrime hiſpanienſium annalium codices, nuper editi.

Lampſaci.) Quæ Myſiæ urbs, ad Helleſpontum ſita, præter cetera nobilis eſt ſynodo, contra Eudoxium, et Accatium, arianæ factionis principes, habita: uulgo appellatur lampſico.

ss. martt. Petri, et Andreæ, Pauli, et Dionyſiæ.) Ex M. S. cod. et Vſuardo.

ss. martt. Caſſij, Victorini, Maximi, et Sociorum.) Gr. Tur. lib. 1. hiſt. Fr. cap. 33.

s. Dympnæ uirg. et mart.) Cuius uitam, a Petro Canonico Cameracenſi, conſcriptam, Surius retulit in uolumen 111. de ſan.

Tranſlatio s. Danielis mart.) Quæ ſolemniter celebrata eſt. An. a chr. nat. MCCXCV. hoc ipſo die, qui dies Dominicus 111. Maij fuit. Tu uide Bernardinum Scardonium lib. 2. claſ. 6 hiſt. pat.

Decimoſeptimo cal. Iunij.

s. Peregrini ep. et mar.) Beda, Caniſius hoc die in Martyrologio, Albertus Crantius lib. 2. cap. hiſ. Eccl. Annales, et tabulæ eccleſiæ Antiſiodorenſis, Demochares lib. 2. de ſacrificio Miſſæ, Martinus Polonus in chr. s. Antoninus in chr. et alij

et alij plurimi, de eo ſcribunt. Anno chr. nat. c x x x. s. Peregrinus martyrio coronatur, Gallicano, et Titiano coſſ.

ss. item martt. Marſonis presb. Concordij diaconi, et Sociorum.) Quorum hiſtoriam breui narrat s. Antoninus in chr. par. 1. tit. 7. cap. 5.

In Iſauria.) Quæ regio Aſiæ minoris, proxima ciliciæ, ad Iſaurũ montẽ ſita eſt.

ss. Aquilini, Victorini.) Alias, Victoriani, Vſuardus: nos ſocios adiunximus Heraclium, et Paulinum: quos e codice M. S. ſumpſimus.

s. Emanij mart.) Ex Breuiario eccleſiæ Carnutenſis.

s. Vbaldi ep.) Ex tabulis eccleſiæ Eugubinæ. Eius uitam Stephanus Cremonenſis litteris mandauit; et Auguſtinus item Ticinenſis, Canonicus Reg.

s. Timothei, et uirginum v i i.) Beda.

ss. Simplicij presb. Diocletiani, et Sociorum.) Beda item, et cod. M. S. et Surius in geſtis B. Anthimi die x i. Maij.

s. Fidoli epiſcopi.) Alias, presbyteri, Beda: ſed, epiſcopi, ſcripſimus, Martyrologij Romani auctoritate ducti.

s. Brandani Abbatis.) Vincentius lib. 22. cap. 81. ſp. ſed eius hiſtoria habet multa, quæ in apocryphis cenſentur.

s. Domnioli ep.) Surius in tom. 3.

s. Maximæ uirginis.) Vſuardus, et M. S.

s. Ambiani.) De quo alias diximus.

Decimo ſexto calendas Iunij.

s. Torpetis mart.) Ado Treu. Vſuardus, et Beda, ac Iſigrinius præterea: qui enucleate illius martyrium perſcribit in cen. 1. par. 1. diſt. 1. de martyribus Italiæ. Anno a chr. nat. l x i i i i. hic coronatus eſt, Nerone Imp. Ab initio igitur Piſarum ciuitas nobilitata eſt ſanguine beatorum Chriſti martyrum.

Beatorum martt. Heradij, et Sociorum.) Alias, Heraclij, ut Vſuardus habet, nos emendauimus, Heradij, ſcriptionem ſecuti antiquorum exemplarium.

ss. Adrionis, Victoris, et Baſillæ.) Beda.

s. Celerinæ.) Ex annalibus Hiſpaniarum.

Tranſlatio s. Syri ep.) Ex Martyrologio Cremonenſi, et alijs codicibus M. S.

s. Brunonis ep.) De quo pluribus Demochares ſcribit lib. 2. de ſacrificio Miſſæ. Ex tabulis epiſcoporum eccleſiæ Herbipolenſis.

Tranſlatio s. Bernardini.) Ex breuiario ſodalium franciſcanorum ordinis minoris.

Decimo quinto calendas Iunij.

s. Andronici ep.) Alias, Andronici: qui cum beato Paulo Apoſtolo cognatione iunctus, et in l x x i i. diſcipulis nobilis putatur. Rom. 16. Volaterranus lib. cõm. 19. et Græci hoc etiam die: Fuit An. a chr. nat. l i x.

s. Venantij ep. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ camerinenſis. Eius martyrium uerſibus ſcripſit Macarius Mutius, municeps camerſ.

Beatorum martyrum, Agapij, Timolai, et Sociorum.) Quorum martyrium e tabulis græcis conuertimus.

s. Dioſcori Lectoris.) Vſuardus, Beda, et M. S.

Spoleti.) Alias, In urbe Spellatenſi, quæ urbs non longe abeſt a Spoleto.

s. Fe-

s. Felicis ep.) Vſuardus, et codices M. S. omnes.

Beatorum martt. Potamionis, Hortaſi, et Sociorum.) Beda.

s. Henrici regis, et martyris.) Alias, Erici: de quo ſcribit Olaus Magnus lib. 19. hiſt. Goth.

Decimo quarto calendas Iunij.

s. Potentianæ uirginis.) Aliàs, Pudentianæ: quæ nobiliſſima ſtirpe nata, patre Pudente, matre Sabinella, Praxedem ſororem habuit. Beda, Ado Treu. Vſuardus, Caniſius, hoc ipſo die, liber antiphonarius s. Gregorij, et liber item ſacramentorum. Huius uirginis officium celebrant tribus lectionibus Teutonici de Pruſſia, inquit Radulphus Tungrenſis prop. 17. lib. de can. obſ.

ss. martt. Calocerij, et Parthemij.) Vſuardus, Ado Treu. Caniſius, et Beda itē.

Pruſæ.) Quæ Bithyniæ urbs, nobilis eſt: cuius epiſcopus Heſychius concilio Nicæno priori interfuit, et ſubſcripſit, ut ex actis conſtat.

s. Patricij, et Sociorum.) Vt in Horologio, et Menologio ſcriptū eſt pluribus.

s. Ioannis mart.) E græcis tabulis accepimus.

s. Deſiderij ep. et mar.) Ex libro peruetuſto, de ſanctis eccleſiæ Med. et Martyrologio baſilicæ ss. Naboris, et Felicis, Mediolani, atque ex tabulis eccleſiæ Carnutenſis.

s. Petri Cæleſtini.) Ex litteris canonizationis, quas de eo Clemens v. pontifex edidit: et ex ſermone P. Damiani, quem Surius in tomo 3. ſcripſit.

s. Iuonis presb.) Surius in tom. 3. retulit litteras Clementis v I. pont. de illius canonizatione.

s. Cyrilli.) Ex monimentis eccl. Treuerenſis.

s. Dunſtani ep.) Cuius uitam, ab Osberto, monacho Cantuarienſi ſcriptam, uideas licet apud Surium in tom. 3.

Decimo tertio calendas Iunij.

s. Baſillæ uirginis, et mart.) De qua relatum eſt in acta s. Eugeniæ uirginis: cuius dies natalis agitur v I I I. cal. Ian. De ea ſcribunt, Vſuardus, Ado Treu. Beda, Equilinus, et alij.

Beatorum martt. Donatiani, et Rogatiani.) Ex Breuiario eccleſiæ Carnutēſis.

s. Thallalæi martyris.) Vt litteris græcis proditum eſt.

s. Baudelij mart.) Vſuardus, Beda, et Gr. Tur. lib. de gl. martt. cap. 78.

s. Anaſtaſij ep.) De quo annalibus Brixiæ, cui urbi epiſcopus præfuit an. a chr. nat. c c c c x c. traditum eſt, ac tabulis item epp.

s. Auſtregeſilli ep.) Sigelbertus, et Beluacenſis lib. 23. cap. 26. ſp. Vſuardus, Surius, qui uitam, ab illius æquali litteris mandatam, exſcripſit in tom. 3. et tabulæ præterea eccl. Carn.

s. Theodori ep.) Iacobus Guallius, et tabulæ eccleſiæ Ticinenſis, et cod. M. S. Martyrologium præterea Rom.

s. Maximini mart.) Ex tabulis eccl. Treuerenſis. Hic anno a Chriſto nato c c c I c. ſynodum celebrauit: in qua s. Seruatius etiam interfuit.

s. Bernardini conf.) Nicolaus Quinctus, pont. in litteris canonizationis, et Pius I I. in litteris, ad Turcarum tyrannum ſcriptis, et s. Antoninus in chr. par. 3. tit. 22. cap. 12.

Duodecimo calendas Iunij.

Beatorum martyrum, Timothei, Pollij, et Eutychij.) Pollij, aliàs, Polytij, et aliàs item, Hippolyti: ſed in M. S. codicibus paſſim, Polij, legitur ſimplici. L. De his martyribus, Vſuardus, Ado Tr. Beda, et alij ſcribunt.

s. Secundini mart.) Ex Vſuardo, et M. S.

ss. martt. Polyeucti, Victorij, et Donati.) Beda, Vſuardus, et nos alio loco.

s. Iuliæ mart.) Ex Beda.

s. Valentis ep. et trium puerorum martt.) Beda item, et M. S.

ss. Geneſij, et Theopontij.) Aliàs, Theopompi, ex M. S.

s. Hoſpitij.) Pau. Dia. lib. 3. cap. 1. de reb. geſ. lon. Gr. Tur. lib. 6. hiſ. Fr. cap. 6. 7. de gl. conf. cap. 97.

s. Iriſbergæ.) Alias, Idabergæ. Ex Calendario, et Indiculo Belgij, tabuliſq. eccleſiæ Arienſis.

Tranſlatio ss. martt. Firmi, et Ruſtici.) Ex urbe Verona, Bergomum: ubi eorum corpora ſacra diu occultata, diuinitus inuenta hoc die ſunt, anno a chr. nat. MCLVI. Girardo Bergomi epiſcopo, ut illius urbis annalibus proditum eſt.

Tranſlatio s. Pauli mart.) Quæ Venetijs celebrata eſt an. a chr. nat. MCCXXII.

Tranſlatio s. Zenonis.) De qua alias diximus.

Vndecimo calendas Iunij.

Beatiſſimorum martyrum, Fauſtini, Timothei, et Venuſti.) Ex Martyrologio R. Venuſti, addidimus ex Beda.

ss. Caſti, et Aemilij.) s. Cyprianus ſer. 5. de lapſis. De his martyribus olim, die hoc natali s. Auguſtinus ſermonem habuit, ut ex Poſſidio animaduerti licet. Vſuardus item eorumdem meminit.

s. Mancij mart.) Ex Breuiario Cordubenſi.

s. Baſiliſci mart.) De quo græcis monimentis traditum eſt.

s. Martiani ep.) Ex tabulis eccleſiæ Rauennatis: ex annalibuſq. quos Rubeus luculenter ſcripſit.

s. Helenæ uirginis.) Vſuardus. De qua præterea ſcriptum eſt in libro rer. geſ. s. Amatoris.

Tranſlatio s. Helenæ uiduæ.) Ex Maſſæo Cameracenſi.

s. Lupicini ep.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Veronenſis.

Decimo calendas Iunij.

s. Victorini ep.) Ex M. S. cod. et annalibus Artimami monachi.

s. Proiectitij Diaconi.) Ex calendario, ceteriſq. priſcis monimentis eccleſiæ Bergomenſis.

Beatorum martt. Quintij, Lucij, et Iuliani.) Ex M. S. et Victore.

s. Deſiderij ep.) Beda, Vſuardus, Sigelbertus, et tabulæ eccleſiæ Lingonienſis.

ss. Epitacij ep. et Baſilei.) Aliàs, Epicteti: ex mart. R.

s. Deſiderij ep.) Beda, Ado in chr. an. [illegible] tabulæq. eccleſiæ Vien. Sigelbertus item.

s. Ammonij epiſc.) Aliàs Annonis, ut indicat monimentum uetus, Vero næ in baſilica cathedrali ſitum, conſtitutio ſynodalis, et Annales Verónenſes.

Nono calendas Iunij.

s. Anolini mart.) Ex M. S. cod.

s. Vincentij mart.) Aliàs, Innocentij, ſed mendum eſt, quod ex omnium codicum ſcriptione conſtat. De eo Beda, Vſuardus, et ceteri.

s. Afræ martyris.) Cuius hiſtoriam, a Fauſtino, et Philaſtrio, epiſcopis Brixiæ, conſcriptam eſſe, proditum eſt.

s. Seruuli mart.) Ex tabulis eccleſiæ Tergeſtinæ, et cod. M. S.

Beatorũ martt. Donatiani, et Rogatiani) Beda, Vſuardus, Boninus, Beluacenſis, Gr. Tur. lib. de Gl. mart. cap. 50. Tu uide Surium in tom 3.

s. Robuſtiani mart.) Ex Annalibus Mediolanenſibus.

Beatorum martt. Zoelli, Seruilij, et ſociorum.) Aliàs, Zoili, ſed Zoelli, paſſim in manuſcriptis codicibus exaratum comperimus. De ijs Vſuardus, Beda, et antiqui annales.

Translatio s. Dominici conf.) De qua ſcripſit Iordanus, olim magiſter ordinis Dominicani.

Octauo calen. Iunij.

s. Vrbani pont. et mart.) De quo ſcriptum eſt in libro pontt. cap. 18. in geſtis item s. Cæciliæ, et a Metaphraſte item, tum a nobis in elogijs pontificijs. Illa autem ſancti Vrbani pictura, cum uitibus et uuis expreſſa, quæ in pleriſque locis cernitur, non pontificis huius eſt, ſed epiſcopi Lingonienſis, Vrbani: cuius multa miracula in uineis reſtituendis leguntur. Tu uide Molanum in lib. de pict. ca. 64. Natale s. Vrbani papæ adſcribitur in libro Sacramentorum, et Antiphonario, s. Gregorij: quæ ſane res argumento eſt, illius diem feſtum multis abhinc ſæculis anniuerſario precum officio cultum eſſe.

s. Bonifacij pont.) 1111. Beda. De eo in elogijs noſtris.

In urbe Doroſtoro.) Aliàs, Duroſtoro: aliàs item, Doroſdoro. Doroſtorũ legio xxi. Claudia, in Myſia ſita, legitur in Itinerario.

ss. Martt. Paſicratis, Valentionis, et ſociorum.) Vſuardus, et Cod. M. S.

s. Dionyſij ep.) s. Ambroſius in ep. 82. ad Vercel. ep. 32. ſerm. 60. præfatio Liturgica, Ambroſiana, tabulæ eccleſiæ Med. Nicephorus, et alij.

s. Baſilius.) plerique tamen ſunt, qui non Baſilij, ſed Aurelij cura s. Dionyſij corpus Mediolanum translatum eſſe arbitrentur. Sed Vſuardus, Beda, et martyrologij Cremonenſis monimenta, id a s. Baſilio curatum eſſe, oſtendunt.

s. Zenobij epiſc.) Cuius uitam, pluribus explicatam a Ioanne Archipresbytero, Surius habet in tom. 3.

s. Leonis conf) Vſuardus, et M S.

Translatio s. Stephani mart.) Non protomartyris: huius porrò translatio Venetijs celebrata eſt ann. a Chriſto nat. M. C X. ut Belinus Patauinus in Martyrologium retulit.

Translatio s. Franciſci.) s. Bonauentura in uita eiuſdem, cap. 15.

Septimo calen. Iunij.

s. Eleutherij.) An. a Chr. nat. c l x x v i. L. Triario Materno, et M. Atilio Metilio Bradua coſſ. De quo pont. Iren. aduerſus hær. lib. 3. cap. 3. Euſeb. lib. 5. cap. 1. et 22. hiſt. eccl. et in Chron. Nicephorus lib. 3. cap. 25. lib 4. cap. 19. hiſt. ſac. et in chron. Damaſus in lib. pont. cap. 14. Beda lib. 1. hiſt. Angl cap 4. et in mart. Aimo lib. 5. cap. chr. rer. mem. Gottifredus Viterbienſis, chron. par. 15. Iuo in chron. ætat. 6. Anaſtaſius Bibliothecarius in chr. Bartholomæus Lucenſis, Optatus Mileuitanus, Martinus Polonus, et ceteri pontificalium rerum ſcriptores, litteris multa prodiderunt: nos uerò in elogijs noſtris. Eleutherus in codicibus tum græcis, tum latinis nominatur, non Eleutherius. De quo pontifice et martyre fit, ex ſanctione Gregorij v i i. pont. quã aliquando in mediũ attulimus.

Simitrij.) Al. Simetrij: qui presbyter, Pio 1. pontifice, in eccleſia tit. s. Paſtoris diuina celebrabat myſteria. De eo Beda, Vſuardus, et Caniſius, in martyrol. v i i. cal. Iunij. Petrus Equil. lib. 5. cap. 58.

s. Quadrati Ap. diſcipuli.) Cuius diem natalem Græci agunt x i i. calendas Octob. De quo Beda, Vſuardus hoc die ſcribunt: Euſebius hiſt. Eccl. lib 3. cap. 37. lib. 5. cap. 17. Nicephorus lib. 4. cap. 8. hiſt. ſac. Ado Vien. in chron. et s. Hieronymus cap. 29 de uir. Illuſt.

s. Priſci, et ſociorum martt.) Vſuardus, et Cod. M. S.

s. Quadrati mart.) De quo aliquando ſermonem die illius natali s. Auguſtinus habuit, cuius ſermonis Poſſidius meminit; at plures teſtatos facit Vſuardus.

Beatorum mart. Feliciſſimi, Heraclij, et Paulini.) Vſuardus, Beda, et M. S. Porrò Tudertum, Vmbriæ oppidum, uulgo Todi, olim Ducatus Spoletani ditioni ſubiectum, fidei chriſtianæ cultu ab initio floruiſſe, ex eo apparet, quòd s. Terentianum epiſcopum habuerit fermè primis illis euangelicæ prædicationis temporibus, Xyſto ſcilicet 1. pont. max. et Imp. Adriano Auguſto.

s. Zachariæ.) Beda, et Ado Vien. An. c i. a Chriſto nat. Demochares ex tabulis eccleſiæ Viennenſis.

s. Auguſtini ep.) Anglorum: Vſuardus, et Beda rurſus in lib. hiſt. Angl. multis capitibus eius hiſtoriam perſequitur: auctor libri comm. in lib. Regum, quos uulgo Eucherio Lugdunenſi adſcribunt: et denique s. Gregorius lib. 9. Regeſti ep. cap. 58. 59. et lib. 12. reſpondet multis illius interrogationibus.

Sexto calen. Iunij.

s. Ioannis pont.) Pau. Diaconus lib. 7. de geſ. Long. cap. 2. s. Gregorius lib. dial. lib. 3. cap. 2. lib. 4 cap. 30 Anaſtaſius Bibl. et ceteri rerum pontificalium ſcriptores; et Rub. in hiſ. Rau. Vſuardus: at Beda poſtridie.

Beatorum martt. Aquilini, Eliæ, Quincti, et Reſtituti.) Ex M. S.

s. Iulij mart.) Vſuardus, at fuſius Beda.

s. Elladij mart.) E græco codice excepimus:

s. Entropij ep.) Vſuardus, Beda, et M. S. cod.

s. Ranulphi mart.) Vſuardus, et M. S. in quo legitur, s. Ragenulphi:

s. Limberti conf.) Equilinus, et tab. eccl. Anconitanæ.

Quinto calen. Iunij.

s. Carauni mart.) M. S. et s. Antoninus in chr. par. 1. tit. 6. cap. 25. Vſuardus etiam hoc ipſo die.

ss. Emilii, Felicis, et Sociorum.) Beda, et Alemanus Monachus, Vſuardus item.

s. Senatoris.) Ex tabulis antiquis, Eccl. Med. De quo extant uerſus, ab Ennodio ep. Pap. conſcripti.

s. Eutychij ep. et mart.) Ex M. S.

s. Germani ep.) De quo a Surio pluribus relatum eſt in tomum III.

Quarto calendas Iunij.

s. Reſtituti mart.) Vſuardus, Beda, Ado, et M. S.

ss. Septem fratrum.) Quorum martyriũ alio loco copioſius exponitur a Beda.

s. Cononis mart.) Cuius hiſtoria exſcripta eſt in codice perantiquo Eccleſiæ Bergomenſis.

ss. Siſinij, Martyrij, et Alexandri mart.) De quibus epiſtola conſcripta eſt a s. Vigilio ep. Trid. Tu uide Surium. In eccleſiæ Mediolanenſis libris multa de iiſdem narrantur.

s. Maximini ep.) A quo s. Athanaſius hoſpitio perbenigne exceptus eſt, ut ſcribit s. Hier. in chr.

s. Maximi ep.) Ex tab. ſanctorum eccl. Veronenſis.

Tertio cal. Iunij.

s. Felicis I. Pont.) De quo in libris Pont. ſcriptum eſt diligentiſſime; et in elogijs præterea noſtris.

ss. Gabini, et Criſpoli.) Vſuardus, et M. S.

ss. martt. Syci, et Palatini.) s. Hieronymus, et Mart. R. et M. S.

s. Huberti ep. et conf.) Vſuardus.

Pridie calendas Iunij.

s. Petronillæ uirginis.) Aliàs, Petronellæ, ut marmoreo ſepulcro, quod Paulo I. pont. inuentum eſt, inſcriptio indicat, quæ eiuſmodi eſt: AVREAE PETRONELLAE FILIAE DVLCISSIMAE: atque hi duo præterea uerſus.

Tum pridie Petronella Petri de germine ſancto.

Fulgida uirgo micat, Chriſti trabeata decore. Sed, Petronillæ, paſſim ſcribitur in libris impreſſis, manuq. recte exaratis. Illius meminit s. Auguſtinus, lib. contra Adimantũ, cap. 19. Beda, Vſuardus, s. Antoninus in chron. par. I. tit. 6. cap. 4. Volaterranus lib. 16. cõm. Platina in uita Pauli. I. Vitã, a Marcello presbytero, s. Petri diſcipulo, una epiſtola explicatam, Surius eſcripſit in uolumine III. de ſanctis. Vbique de ea fit auctoritate Romana, inquit Radulphus. s. Petronillæ cœmiterium, Romæ a Gregorio III. pont. ornatum, narrat Bibliothecarius.

s. Hermæi mart.) De quo græce ſcriptum eſt; nos paucis narrauimus.

Beatorum martyrum, Cantij, Cantiani, et Cantianillæ.) Aquileienſes, et Bruxellenſes hoc die illorum martyrium celebrant; eccleſia uerò Mediolanenſis XVIII. cal. Iulij. De ijs ſermo Maximi epiſ. extat, quem plerique s. Ambroſio aſcribunt.

s. Turribus.) Quæ ſardiniæ urbs, a Ptolomæo, Turris Biſſonis, à Plinio Turris Lybiſonis appellatur. Eſt hodie Metropolis Sardiniæ: cuius Archiepiſcopus præeſt epiſcopis ſuffrag. VII.

s. Creſcentiani.) Vſuardus, Beda, et M. S.

IVNIVS.

Calendis Iunij.

s. Iuuentij mart.) Aliàs, Vincentij, Al. Viuentij, nos, Iuuentij, ſcripſimus, ut in martyrologijs pleriſque antiquis, manu ſcriptis, legimus.

Beatorum martyrum, Iuſtini, Charitonis, et aliorum.) Vt a martyrologiò græco accepimus. Eorum martyrium, à Metaphraſte concione explicatum, Surius retulit in tomum III. adſcripſitq. prid. idus Iunij.

s. Pamphili presb. et mart.) Huius uitam tribus libris, qui hoc tempore non extant, Euſebius Cæſarienſis expoſuit. De eodem multis locis s. Hieronymus ſcribit, præſertim in Ap. I. contra Ruf. lib. de uir. Ill. cap. 85. idem Euſeb. lib. 8. cap. 17. et 21. hiſt. eccl. Metaphraſtes, ut apud Surium eſt in uol. 3. Beda, Vſuardus, et ceteri.

s. Theſpeſij mart.) E Carthophylacio græco huius martyrium acceptum, latine breuiter expreſſimus.

s. Firmi mart.) E græco item conuertimus huius martyrium.

ss. martyrum, Valentis, Pauli, Seleuci, Porphyrij, Theoduli, Iuliani, et aliorũ quinque.) Quòs omnes, ſancti Pamphil martyris ſocios fuiſſe, memoriæ proditum eſt à Metaphraſte, et a Græcis: qui hoc die illorum celebritatem eccleſiaſticis precum officijs horarijs agunt.

ss. Filini, et Gratiniani.) E calendarijs, Breuiarijs, et tabulis, manu exaratis, perantiquis eccleſiæ Mediolanenſis.

Beatorum martyrum, Reueriani epiſcopi, Pauli presbyteri, et aliorum decẽ.) De quibus Vſuardus, et M. S.

s. Proculi.) Ex M. S. cod. et s. Antonino in chron. par. 3. tit. 24. cap. 4.

s. Zoſimi.) Beda.

s. Medulphi.) Quem Molanus addidit martyrologio Vſuardi.

In monaſterio Lirinenſi.) Quod tum antiquitate, tum monachorum, ſanctitatis laude clariſſimorum, qui inde prodierunt, multitudine, tum indulgentiarũ, quas ei ſummi pontifices, Calixtus in primis, et Honorius conceſſerunt, magnitudine nobiliſſimum, aliquando uiginti millia monachorum aluit. Illius fundamenta primum iecit Honoratus, eiuſdem monaſterij abbas, deinde Arelati epiſcopus: cuius ſpectata eſt in omni uita ſanctitas.

s. Capraſij abbatis.) Quo magiſtro et duce in ſanctæ uitæ inſtitutis uſus eſt idem Honoratus. De eo Vſuardus, Beda, et is in primis, qui uitam s. Honorati contexuit.

s. Iouini abbatis.) Ex notationibus D. Molani.

s. Lan-

s. Landulphi epiſcopi.) Ex cod. M. S et tabulis eccleſiæ Aſtenſis.

s. Simeonis Monachi.) Tu uide Trithemium in chronicis Hirſaugiæ. Eius uitam Euueruinus monachus ſcripſit, quæ eſt apud Surium in tom. 3. de ſanctis.

Translatio s. Eulogij mart.) Cuius translationis diem feſtum in Hiſpania agit eccleſia Ouetenſis: ad quã ab urbe Corduba, Ermenegildo, illius eccleſiæ Archiepiſco, et Alphonſo I I I. rege, procurantibus, beati martyris corpus translatũ eſt, ut Samuel, ſcriptor quidam Hiſpanus, teſtatum præcipue reliquit.

Translatio ss. epp. Principij, et Lupi &c.) Vt narrat D. Molanus in additionibus ſuis.

Quarto nonas Iunij.

Marcellini presbyteri, et Petri Exorciſtæ.) De quibus aliquid Beda, et Vſuardus item ad poſteritatem litterarum monimentis tradiderunt. At res eorum pie, fortiterq. geſtas, ab Adone et alijs uberius explicatas, Surius elegantiori ſermone complexus eſt, tom. 3. de uit. ſanctorum. i s. Damaſus præterea uerſibus expoſuit, quæ is puer a carnifice de illorum martyrio acceperat. De utroque item martyre in Antiphonario s. Gregorij pontificis.

Photini.) Alij Pothenum, alij Pothinum, quidam Photianum appellant: nos, multorum uſum, auctoritatemq. ſecuti, Photinum diximus. De quo Euſebius initio libri V. Hiſt. Eccl. Niceph. lib. 4. cap. 13. Hiſt. ſacræ; Eccleſia Gallicana ad Eccl. Aſiæ, et Phrygiæ; Gregorius Turonenſis, lib. 1. cap. 29. hiſt. Ado Viennenſis, chron. ætate 6. Haimo lib. 5. cap. 4. chr. rer. mem. Beda in Martyrologio, pridie nonas Septembris. Martinus Polonus in chronicis. Petrus a Natalibus, lib. 8. cap. 37. et 83. et lib. 5. cap. 76. Vincentius Belluacenſis, lib. 10. cap. 99. Volaterranus, lib. 18. Comm. Vueſnerus in Faſic. temp. Nauclerus tom. 2. Guido in Catalogo Pont. Platina item, et Demochares præterea lib. de Miſſæ ſacrificio.

Zachariæ presbyteri.) Quem Vſuardus nominat, alius præterea nemo.

Sancti diaconi.) In manu ſcripto Martyrologij uolumine ſcriptum eſt, Sanctini diaconi: ſed illum Sanctum ceteri omnes appellant, et Euſebius in primis, qui præclarum illius martyrium euucleate perſcribit ex Lugdunenſis, Viennenſiſq. eccleſiæ litteris.

Epagathi.) Qui Vetius Epagathus uocitatus eſt, ut rei eccleſiaſticæ annales, græce conſcripti, indicant; licet latini, Pagatum appellent.

Maturi.) Alij Marturi; ſed non emendate. De eo apud Euſebium etiam, Gallicanæ eccleſiæ litteris proditum eſt.

Quatraginta Sociorum.) Qui partim mares, partim fœminæ totidem numerantur. Atque hæ quidem ſunt, præter ceteras, quæ in Martyrologio narrantur, Tullia, Hippoclamia, Pompeia, Antonia, Bibliades: quæ primò lapſa, poſt facinoris pœnitens, martyrium præclarum ſubijt; ut Græci narrant, Euſebius lib. 5. cap. 1. et Nicephorus lib. 4. cap. 17.

Attalus, et ceteri.) Nempe Alexander, Ponticus, et ij, de quibus eo ipſo loco ab eiſdem ſcriptum eſt.

Sanctæ Blandinæ.) De qua nos, antiqui martyrologij auctoritatem, ſecuti, ſcripſimus paucis ad. x i i i j. calendas Februarij. Pluribus autem eius nobilẽ martyrium expoſuerunt tum iidem Græci, Euſebius, et Nicephorus, tum in latinis Beda; qui præterea nouem et decem alios cum ea martyriũ obijſſe teſtatur. Blandinam omnes dicunt, excepto Nicephoro, qui Blandillam uocat. De qua extat etiam Euſebij Emeſſeni, uel, uti alijs placere uideo, Rabani, ſeu alterius latini

auctoris,

auctoris, homilia undecima.

Sancti Eraſmi.) cuius martyrium Ado, Beda, Vſuardus, hoc ipſo die explicate narrarunt; ac s. Antoninus præterea parte 1. hiſt. eccl. tit. 8. cap. 1. §. 6. Vincentius Belluacenſis, in ſpeculo hiſt. lib. 12. cap. 27. 28. et ſeq. Petrus a Nat. lib. 5. cap. 77. et Boninus Mambritius in uolum. 1. de uit. ſanctorum. Is non Antiochiæ, ut in martyrologij codice, manu ſcripto, proditum eſt, ſed Formijs in Campania martyrium ſubijt. Eſt ſane uero alter, Eraſmus: qui Antiochiæ coronatus, anniuerſaria commemoratione celebratur ſeptimo calendas Decembris.

s. Zachariæ.) Huius religioſe facta, et uitam, ſanctiſſime actã, Heraclides litteris conſignauit. Tu uero uide, Vitas patrũ; et Petrũ epiſcopũ lib. 5. cap. 81. et lib. 8. cap. 106. Hoc ipſo die in Græcia, dies natalis celebratur Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani: qui, Leoni Imperatori, ſacrarum imaginum oppugnatori, uehementer reſtitit: quam ob cauſam in exilium pulſus, eo mortuo, Michaeli, qui ſucceſſit, litteras, pietatis, et doctrinæ plenas exarauit, de illis reſtituendis.

Sendomiriæ in Polonia, dies natalis martyrum Chriſti feſto cultu, populiq. celebritate agitur: qui, facta Tartarorum irruptione, contrucidati ſunt. Idq. fit, Alexandri Quarti, pontificis maximi cõceſſu: ut narrat Cromerus lib. 9. hiſt. pol.

Tertio nonas Iunij.

s. Eugenij pontificis.) Ex martyrologio ueteri, et manu ſcripto. Deinde cum martyrologij huius opus agreſſi ſumus, illud nobis in primis propoſuimus, ut pontifices Romanos diligenter aſcriberemus, uno omnium ſermone ſanctitatis laude celebratos: qualem Eugenium hunc eſſe, ex pontificiorum annalium monimentis accepimus.

Sanciuit.) Quæ ſanctiones extant, cum apud Iuonem, et Burchardũ, tum apud Gratianum, cap. De quibuſdam. Diſt. 37. cap. ſacerdos, diſt 81. cap. ſi quiſpiam, ibidem. cap. Neceſſaria 12. q. 1. cap. nulli. 12. q. 1. cap. Quamquam. 14. q. 2. cap. placuit. 16. q. 1. cap. ſicut qui 20. q. 1. cap. Mulieres. 27. q. 1. cap. ſi uir. 27. q. 1.

Concilium habuit.) In quo decreta multa confecit, ut animaduertimus ex ijs, quæ ſupra proxime notauimus.

Pergentini, et Laurentini.) Quorum martyrium, ab Vſuardo, et Beda, breuiter expoſitum; Surius, ut ex antiquis monimentis, manuq. ſcriptis, accepit, et latius, et enucleatius perſcribit tom 3. de uit. ſanctorum, et Petrus ep. lib. 5. cap. 82.

Laurentini.) Quem Laurentium Beda appellat, alij omnes Laurentinum dicunt. quamobrem non uideo, cur quidam, pro Laurentino, Valentinum reponant; cum præſertim manu ſcripti codices peruulgatæ lectioni ſuffragentur. Non inficias tamen eo, in aliquo codice legi, Valentinum.

In Africa ss. Quirini, Abdiani.) De quibus in codice Martyrologij, M. S.

Nicomediæ, ss. Lucilliani, Paulæ uirginis.) De ijs proditum eſt eccleſiaſticis Græcorum monimentis.

Sancti Iſaaci.) Cuius martyrium Vſuardus meminit; uitam autem, et martyriũ, item multis commemorat s. Eulogius Cordubenſis libro; qui inſcriptus eſt, Momoriale Sanctorum: neque ſemel tantum initio libri primi, ſed iterum libro ſecundo. Martyrium autem is ſubijt, Anno Domini DCCCLI. Feria quarta, natus annos ſeptem et uiginti. Diuinitus uero, ſignificatio facta eſt cæleſtis huius uirtutis, ut idem narrat.

In Tabanenſi cœnobio, quod Hieremias patruelis extruxerat, celebreq. teſtimonio eiuſdem Eulogij.

Trecentorum, et triginta martyrum.) Vt narratum eſt in uita beati Eraſmi.

s. Liphardi.) Vſuardus, Beda, ſed poſtridie huius diei. Petrus epiſcopus, Surius, tomo 3. et Martyrologij codex, manu ſcriptus. Obijt in Domino, anno circiter D L I V.

s. Crotildis Reginæ.) Vita, ſanctiſſime acta, libro explicatur, qui Pariſijs editus eſt de claris mulieribus. De qua item Gregorius Tur. lib. 2. 3. et 4. hiſt. Francorum.

Pridie Nonas Iunij.

ss. Aretij, et Daciani.) Arecij, per, c, non, t ſcripſimus, auctoritate nos adducti, Martyrologij antiqui, ac recte manu ſcripti. Horum martyrum nomina ſolum legimus: martyrii autem tempus, et ipſos cruciatus, et tormenta, quæ ſubierunt, explorata nondum habemus.

Camarij, et aliorum.) Adiecimus ex Martyrologio manu ſcripto, et ex Beda. Alij legunt, Camaſij.

Clatei epiſcopi.) De quo in monimentis eccleſiæ Brixienſis ſcriptum extat: multa præterea narrat in annalibus ſuis Ioannes Maria Mediolanenſis.

Sciſiæ.) Alij, Siſtiæ, emendant; ſed, Sciſiæ, retinuimus, ut omnes codices habent; et Prudentius in primis, qui de huius martyrio hymnum panxit.

Quo tempore Galerius.) Alij, Diocletiano Imperatore, illum martyrium obijſſe narrant; nos, Prudentium ſecuti, Galerio duce, id factum eſſe, ſcripſimus; anno ſcilicet Domini C C C X. De Quirino martyre, præclare Prudentius, ut diximus, hymno V I I. de Coronis, Beda, Vſuardus, et ceteri. At eius corpus nonnulli ſunt, qui Romam ad Catacumbas; alij ad ædem ſancti Vincentij Mediolanum tranſlatum eſſe teſtantur; ut nos quoque perſpeximus ex litteris pontificijs, et litanijs Ambroſianis. Extat præterea de eodem Sciſiano martyre monimenta perantiquæ hiſtoriæ.

s. Alexandri epiſcopi.) Vt in Calendario eccleſiæ Veronenſis.

s. Vdalrici.) Habet Martyrologium Romanum: ſed eius celebritas anniuerſario cultu non hoc die agitur, ſed quarto nonas Iulij, ut eo loco narrabimus.

Conſtantinopoli dies natalis celebratur ſancti Metrophanis patriarchæ: cuius cauſa contra Licinium Conſtantinus Magnus bellũ ſuſcepit, ut Nicephorus ſcribit.

Nonis Iunij.

Tranſlatio ſancti Bonifatij.) Cuius ſocij quingentis ſolidis corpus illius redemerunt; et unguentis delibutum, linteoq. inuolutum, Romam Tarſis, ubi martyrium obijt, transferri curarunt; ubi uia latina ſepultum eſt, anno Domini circiter C C C V. Cuius et martyrium, et tranſlationem, a Simeone Logotheta expoſitam, Surius retulit in tomum tertium: Ado præterea litteris conſignauit. De Tranſlationum celebritate, ſupra ſatis diſſeruimus.

ss. Martiani, Nicandri.) Vſuardus, Ado, Beda, et Græci, qui horum diem natalem agunt ſexto Idus menſis huius, ac præterea Petrus ep. lib. 5. cap. 92. Quorum martyrium cadit ſub annum Domini circiter C C C V.

Nicandri.) Sic in ueteri manu ſcripto, et in Bedæ, Vſuardiq. Martyrologio. Alij tamen, Nicanoris, legunt; ſed, Nicandri, nomen retinemus, ut eſt etiam in græco menſium uolumine.

s. Dorothei.) De quo græcis eccleſiaſticis monimentis proditum eſt.

s. Bonifacij epiſcopi.) Cuius uitam, omni uirtutum genere excultam, Vuilibaldus epiſcopus primò ceratis tabulis conſignauit: deinde eamdem, Lullo, et Mengegando, Bonifacij diſcipulis probatam, in paginas pergamenas retulit. Quæ uita, ab illo conſcripta, aliquando a Trithemio abbate commemoratur: at hodie non extat. Illa enim, quæ legitur in libro, quod ſpeculum antiquæ deuotionis appellant, quæq. eadem apud Surium reperitur, incerti auctoris eſt, Fuldenſium monachorum iuſſu contexta. Eiuſdem martyrium uerſibus Ruthardus, Rabani diſcipulus complexus eſt. Leguntur præterea de eo, et ad eum exaratæ, epiſtolæ Gregorij ſecundi, et Zachariæ, pontificum.

Contra hæreticos librum ſcripſit.) Qui in monaſterio Fuldenſi aſſeruatur; ut ex certo auctore cognouimus, qui illum uidit, et legit.

Alijſq. ſeruis Dei.) E quibus nominatim undecim recenſentur; Eobanus epiſcopus; presbyteri tres, Vuitrungius, Vualterus, Adalerus; tres item diaconi, Stircbaldus, Hamuntius, et Boſo; monachi præterea quattuor, Vuaccarus, Gunderherus, Vuilliherus, et Adolphus.

s. Saneij martyris.) De quo beatus Eulogius libro 2. de martyribus cap. 3. et in uita eiuſdem Eulogij alius ſcribit. Is natus eſt in Albali oppido, quod Alabenſe quidam dicunt: martyrium ſubijt, die Iunij quinto: quæ feria ſexta fuit, anno Domini CCCLI.

Octauo idus Iunij.

ss. Artemij, Candidæ, et Paulinæ.) De quibus relatum eſt in acta martyrum Petri, et Marcellini. Tu uide Surium, tom. 3. Horum item Vſuardus breuiter, at Beda copioſius, et Ado item meminit; Petrus etiam epiſcopus lib. 5. cap. 94. Romæ uia Aurelia a Fidelibus eorum corpora ſepulta ſunt.

s. Philippi Diaconi.) s. Lucas Euangeliſta in actis Apoſt. cap. 8. et 21. s. Hieronymus in ep. ad Euſtochium, ep. 27. tom. 1. Euſebius lib. 2. hiſt. eccl. cap. 1. et lib. 3. cap. 25. Rufinus cap. 31. Ado in Martyrologio hoc ipſo die; Nicephorus lib. 2. cap 44 hiſt. eccl. Dorotheus in ſynopſi, Caius perantiquus ſcriptor in ep. ad Proclum; Polycrates, Epheſiorum epiſcopus, in ep. ad Victorem Pontificem, Papias Hieropolitanus lib. 1. Explanationum; Epiphanius contra Antidicomarianitas; Georgius Cedrenus, in epitome hiſt. Beda, et Vſuardus. Duos autem Philippos fuiſſe, unum e duodecim Apoſtolis, alterum e diaconis ſeptem, ex omni eccleſiaſtica antiquitate conſtat; tum id maxime obſeruat Nicephorus lib. 2. cap 44. Hoc autem dictum uolui, quia Euſebius lib. 3. cap. 30. et 31. quodam modo ſentire uidetur, unum duntaxat extitiſſe: ſed contra, ut dixi, perſpicuum eſt cum ex alijs, tum ex Apoſtolorum actis, et Polycratis epiſtola. Cæſareæ, an Hierapoli is obierit, diſſentiunt ſcriptores: ſi quidem Latini Cæſareæ, Græci Hierapoli illum obdormiſſe narrant. Nos Latinis aſſentimur, quorum probata eſt auctoritas. Huius ſancti, et filiarum uirginum cubicula inuiſit Paula, Cæſaream peregrinata, ut eſt apud s. Hieronymum in ep. ad Euſtochium. Nec uero hoc prætermittere libuit, quòd eumdem euangeliſtam appellat s. Lucas, quoniam in euangelij prædicatione et interpretatione operam, ac ſtudium poneret.

ss. martyrum Viginti.) Quos beatus Auguſtinus meminit. lib. 22. cap. 8. de Ciuitate Dei. Vſuardus item, et manu ſcriptus martyrologij codex, Petrus Epiſcopus: at uero Beda nihil:

Niueduni.) Alij, Nouioduni; quòd Bellouacorum oppidum in Gallia eſt; uulgo,

uulgo, Noyon. In manuſcripto codice legitur, Neueduni.

ss. Amantij, et Alexandri.) Vſuardus. His aliqui martyrẽ ſociũ adiungũt Luciũ Italũ. De ijs relatum eſt in acta ss. martyrũ, Marcelli, et Petri: unde Beda accepit.

Meuiæ.) Fortaſſe Mædiæ, quæ urbs eſt Thraciæ.

s. Vincentij ep.) Ex calendario Bergomenſi M. S. et Martyrologio itẽ ſcripto.

s. Euſtorgij ep.) In Calendario, et peruetuſtis monimentis eccleſiæ Mediolanenſis: in cuius eccleſiæ diœceſi illius nomine ſacræ ædes quinque extructæ ſunt, ut e codice antiquo cognouimus.

s. Aldrici ep.) Ex tabula epiſcoporum eccleſiæ Senonenſis.

s. Gudunali ep.) Cuius uitam, quingentis ante annis, tribusq libris explicatam, Surius ſplendide, breuiterq. ſcripſit in tom. 3. de ſanct.

s. Nomberti ep.) Vitam, ſanctiſſime actam, ab eius æquali litteris recte mandatam, idem retulit in uolumen III.

Inuentio s. Cæleſtini mart.) Ex Martyrologio Rom. antiquo.

s. Ioannis ep.) Ex tabula ſanctorum eccleſiæ Veronenſis. Illius uitam breuiter contexuit, Auguſtinus Valerius, epiſcopus Veronæ.

Septimo idus Iunij.

s. Pauli ep.) Res, ſancte geſtas, Metaphraſtes concione expoſuit. De eo Vſuardus, Beda, et Ado ſcribunt, Athanaſius item in Ap. Socrates lib. 2. cap. 4. et ſeq. Theodoritus lib. 2. Sozomenus lib. 3. et 7. Caſſiodorus lib. 4. hiſt. Trip. cap. 8. 9. 12. 13. 18. 21. et 22.

s. Theodoti mart.) Aliàs, Theodoſij, ſed, Theodoti, in Menologio ſcriptum eſt. De eo græce pluribus.

Fidem libere profeſſus.) Aut, Chriſtianum ſe eſſe reſpondit: hoc enim omnibus chriſtianis olim moris fuit, ut a iudice, uel in ſummis periculis, de patria, origine interrogati, unum illud reſponderent, ſe chriſtianos eſſe. Id quod ex omni Martyrologio, uel latine, uel græce ſcripto, animaduerti licet.

Beatorum martt. Andreæ, Donati, et Peregrini.) Beda, et M. S.

s. Claudij ep. et conf.) Ex Beda item, et M. S. Breuiarioq. eccleſiæ Geb.

s. Roberti abbatis.) Surius in tom. 3.

Sexto idus Iunij.

ss. Martyrum, Petri presb. Aſtigitani, Vualabonſi et ſociorum.) De quibus Vſuardus ſcribit pridie huius diei: at Eulogius, qui diligentius eorum martyriũ, litteris mandauit, hoc ipſo die, ut eſt in eius lib. 2. cap. 4. de ſanctis. s. Hieremiæ autem mart. ab eodem mentio fit lib. et 1. et 3. cap. 11.

s. Medardi ep.) Cuius uitam conſcripſit Fortunatus presbyter: meminit item Sigelbertus in chro. Gr. Tur. lib. 4. cap. 19. hiſt. Fr. lib. de Gl. conf. cap 95. Vſuardus, et ceteri in mart. Tu uide Surium.

s. Ghildardi ep.) Surius in tom. 3. De eo extant uerſus s. Audoeni, et antiphona Gr. Tur. Gr. Scibunt, Vſuardus, Sigelbertus, et alij.

s. Heraclij ep. et conf.) Vſuardus, et M. S. in quo codice ſcribitur, s. Heradij, ſed, Heraclij, frequentius.

s. Glodulphi ep. et conf.) Repone, Clodulphi, Ex tub. Eccl. Met.

s. Saluſtiani conf.) Vſuardus, et M. S.

Quinto idus Iunij.

ss. martyrum, Primi, et Feliciani.) De quibus in libro ſacramentorum, et antiphonario s. Gregorij: Fit ubique ex Rom. auct. ut Radulphus ſcribit. Extant eorum res geſtæ apud Surium in tom 3. ſed Heſellio multa, quæ de iiſdem leguntur, cum minus conſentiant ueræ traditioni, non probantur. Eorum ſacra corpora, Sergij II. Pont. Max. conceſſu ab urbe Roma Legiunum, quod oppidum eſt diœceſis Mediolanenſis, tranſlata ſunt, Angilberto Archiepiſcopo, ann. a Chr. nat. DCCCVI. Cuius tranſlationis monimentum in hæc uerba conſcriptum, legimus. Hic ſancti Primi martyris corpus, uenerandum, in Chriſto, humatum quieſcit. Quod Deo dignus Papa Sergius Iunior Eremberto inluſtri uiro conceſſit ab urbe Roma cum hymnis, ac laudibus ſpiritualibusq. canticis dum eſſet tranſlatum, quem inter ſanctos eius Spiritus teneat primatum in multis uirtutibus et ſignis eſt declaratum. Reconditum eſt corpus beati Primi martyris cum reliquijs Sancti Feliciani Anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCVI. cal. Auguſti Indict. VIII. Ordinante Domino Angilberto Archiepiſcopo, Anno XXIII. Paſſio ſanctorum V. Id. Iun.

s. Vincentij Leuitæ, et mart.) Agennenſis: de quo Beda, Vſuardus, rurſuſq. Gr. Tur. in lib. de gl. mart. cap. 105. et in lib. 7. cap. 35. hiſt. Franc.

Beatorum martt. Diomedis, et Sociorum.) Diomedis tantum Vſuardus meminit: nos uero ſocios nominatim adiunximus, ex codice M. S.

s. Pelagiæ uirg. et mart.) Quam s. Io. Chryſoſtomus duabus concionibus celebrauit; et s. item Ambroſius ep. 7. ac præterea in lib. de uirg. nos quoque ſupra ſcripſimus. Eſt etiam cur legas F. Xyſtum, de eius martyrio differentem in bib. ſancta, et Lypomanum, ac Surium item.

s. Lupi conf.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Bergomenſis, ex antiquis item annalibus eiuſdem urbis, atque in primis ex libro, qui inſcribitur, Vinea Berg.

s. Columbi conf.) Aliàs, Columbæ, ut eſt in Vſuardi codice, et in Martyrologijs, manu ſcriptis. De eo ſcriptum præterea eſt a Beda in lib. 3. cap. 4. et in lib. 5. cap. 10. hiſt. Angl. Fuit olim fuſe conſcripta, illius uita, ab Adomanno Abbate.

s. Maximiani ep.) Ex tabulis eccl. Syracuſanæ, et s. Gregorio: qui de eo ipſo ſcribit lib 3. Dial. cap. 36. hom. eu. 34. ep. 4. lib. 2. ep. 19. lib. 4.

Quarto idus Iunij.

ss. martyrum, Getulij, Cerealis, Amantij, et Primitiæi.) Aliàs, Primitii, ac aliàs, Primitiui, cui ſcriptioni nos aſſentimus, cum alios item martyres, eo nomine appellatos eſſe comperiamus. De s. Getulio paucis Ado, et Vſuardus, at pluribus Beda, deinde Boninus, tum Surius denique luculentius ſcribit in tom. 3. de ſanct. Volater. lib. 13. comm. Coronati ſunt an. a Chr. nat. CXXXIIV.

Via Aurelia.) In qua cæmiteria quattuor extiterunt, unum Lucinæ, alterum s. Iulii Papæ, tertium s. Felicis Papæ; quartum s. Callepodii presbyteri.

ss. Baſilidis, Tropi, Mandali, et Sociorũ xx.) Alii ſcribunt, Tripodis, et Mandalis, ut Vſuardus, et Beda; nos, Tropi, et Mandali, ſcripſimus ex codice manu exarato.

s. Maximini ep.) Quem alii Maximum dicunt. De eo ſcriptum eſt a s. Antonino in chr. par. 1. tit. 6. cap. 19. a Volaterrano, lib. 17. comm. ab Equilino, a Var-

nerio

nerio Carthuſiano, et a pleriſque aliis. Præfuit is eccleſiæ Aquenſi an. a chr. nat. XLVI. Tiberio Claudio Imp. Epiſcopatu annos fere XL. perfunctus, ex hoc ſæculo migrauit. Fl. Domitiano Aug. an. a chr. nat LXXXVI. Ex quo perſpicuum fit, Ciuitatem Aquenſem in ipſo exorſu prædicationis euangelicæ fidem ſuſcepiſſe.

s. Zachariæ.) Beda, Vſuardus; nos, martyris, addidimus ex M. S.

s. Cenſurii ep.) Demochares, Vſuardus, Beda, et M. S.

s. Maurini abbatis, et mart.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Colonienſis. Illius uitæ ſcriptor eſt Stephanus quidam.

s. Landerici ep.) Demochares ex tabulis epiſcoporum eccl. Pariſiorum. Fuit is anno a chr. nat. DCLXVI.

Tertio idus Iunij.

s. Barnabæ Ap.) De quo ſcriptum eſt in act. Ap. cap. 11. 12. et ſeq. Porrò fuit is ep. Mediolani; cuius rei teſtimonium afferunt, Metaphraſtes, Clemens lib. 1. Recogn. Dorotheus in ſynopſi, Annales urbium, Mediolani, Brixiæ, et Bergomi, atque hi potiſſimum ſcriptores, Arthimanus monachus, Donatus Boſſius, Bernardinus Coirius, Helias Brixienſis, Iacobus Guallius Ticinenſis, et Nicolaus monachus, ac præterea uetuſta monimenta, litteris marmoreis Mediolani inciſa in baſilica ss. martt. Felicis, et Naboris: tum etiam ueſtigia ſacri fontis baptiſmalis, quo ille primum ciues Mediolanenſes baptizauit, conſtanſq. item huius rei traditio, a primis uſque ducta temporibus, perpetuoq. firmata conſenſu. Iam uero de illo extat laudatio apud Metaphraſtem, ab Alexandro monacho ſcripta, Præfatio Ambroſiana, elogium s. Hieronymi de uir. ill. Iſid. de pat. utr. teſt. Extitit præterea olim uita, quæ a Ioanne Marco Conſobrino græce ſcripta, latine a Beda reddita putatur. Is, in Italiam profectus, peragrata omni fere Inſubria, euangelium multis locis diſſeminauit. Epiſtolam unam, e qua Clemens Alexandrinus multas partes affert, et Origenes item, ad eccleſiã ædificandam ſcripſit: epiſtolam præterea illam, quæ s. Pauli eſt, ad Hebræos inſcriptam, ab eo exaratam eſſe, Tertullianus arbitratur. s. Matthæi euangelium ex hebræo in Græcum conuertit: quod, manu ſua ſcriptum, in ſepulcro, quo tempore eius ſacræ reliquiæ inuentæ ſunt, in pectore repertum, Zeno Auguſtus in palatio pie diligenterq. aſſeruauit. Ob quam inuentionem factum eſt, ut Cyprii deinceps, id quod Theodorus Lector ſcribit, Metropolim immunem, liberamq. a ditione iureq. patriarchæ Antiocheni prorſus habuerint. Porrò Euangelium, s. Barnabæ nomine inſcriptum, in apocryphis cenſetur ex ſanctione Gelaſii Pont. Græci illius diem feſtum concelebrant etiam hoc ipſo die, quo s. Bartholomæi item memoriam colunt.

Aquileiæ.) Quæ urbs Carnorum, ad Natiſonem fluuium Romanorum colonia, XII. M. a mari diſtans, tum olim opibus, et gratia populi Romani, et ædificiorum magnificentia, et ciuium ſplendore floruiſſet; nihil ferè hodie, niſi nomen, et patriarchale decus retinuit. Iam uerò enim uſque a naſcentis Chriſtianæ religionis initio, fidei myſteriis a s. Marco, beati Petri, Apoſtolorum principis, et ab Hermagora s. Marci diſcipulo, et s. Eleutherio, qui proxime ſucceſſit, inſtituta, patriarchalis dignitatis gradum aſſecuta, in ſynodis olim a ſanctiſſimi pontificis Romani dexteris aſſidere ſolebat, ut ex litteris ad Patriarcham Antiochenum, ab Aquileienſi conſcriptis cognouimus; licet contra reſcripſerit idem Antiochenus. Habuit eccleſia Aquileienſis cum pleroſque ſanctitatis laude claros antiſtites, tum homines et uitæ innocentia, et doctrina celebres, tum præterea plurimos, inſigni martyrio pro Chriſti gloria coronatos: de quibus ſuo loco in Martyrologium retulimus.

tulimus. Fuit Syrus, Papiæ ep. 1. ciuis Aquileienſis: Chromatius item, ad quem aliquando s. Hieronymus ſcripſit: Ruffinus quoque græce, et latine eruditus, qui, præter cetera ingenii ſui monimenta, Ioſephum latine reddidit: cuius exemplar, longobardicis characteribus exaratum, Mediolani in baſilica s. Ambroſii aſſeruatur. Aquileienſe præterea concilium extat: cui ſanctiſſimi epiſcopi interfuerunt. et in primis s. Ambroſius qui eiuſdem concilii relationes ad Imp. ſcripſit, eaſq. Florentiæ in bibliotheca Medicea extare, ex illius uoluminum indice perſpeximus. Porrò diu in ſanctæ Eccleſiæ Romanæ auctoritate permanſerunt patriarchæ Aquileienſes: cum ab ea Helias Patriarcha deſciuit: qui a Pelagio pontifice, epiſtola graui, per Gregorium diaconum, uirum diſertiſſimum ſcripta, monitus, non modo errorem abiecit, ut ab eo fieri oportuit, ſed eodem tres alios ſuffraganeos epiſcopos imbuit. At Seuerus, in illius demortui locum ſuffectus, repudiata eius ſententia, cum catholicis epiſcopis conſenſit.

ss. martt. Fortunati, et Felicis.) Ado Tr. Beda, Vſuardus, et M. S.

s. Onufrij monachi.) Cuius uitam, ſanctiſſimè actam, Pannutius Abbas ſcripſit. Tu uide uitas Patrum, et Marulum, de eo multis locis narrantem.

s. Remberti conf.) Crantius lib. 2. cap. 10. et 11. Metrop. et Surius ſanè pluribus eius uitam exponit in tom. 3. de ſanct.

Pridie idus Iunij.

ss. martt. Baſilidis, Cyrini, Naboris.) Vſuardus ita habet: nos, Nazarium ſocium adiunximus, Bedam, et alios, manu exaratos, codices ſecuti: auctoritateq. adducti librorum et antiphonarij, et Sacramentarij s. Gregorij: in quibus libris ita ſcriptum eſt, Natale ſanctorum Baſilidis, Cyrini, Naboris, et Nazarij. De his ubique ſiue ex Br. Rom. inquit Radulphus.

s. Antoninæ uirg.) Cuius martyrij hiſtoriam, pluribus græce conſcriptam, in latinum conuertimus, ad noſtri Martyrologii uſum.

s. Odulphi presb.) Huius uitam Surius fuſe explicat in tom. 3. de ſanct.

Tranſlatio s. Antonii Abbatis.) Quæ celebrata primùm eſt An. a chr. nat. DCLXX.

Idibus Iunij.

Via ardeatina.) Quæ ex Auentino Ardeam uſque ducit. Fuerunt in ea cæmiterium ss. Nerei, et Achillei; alterum ss. Marci et Marcelliani, a Ioanne VIII. Pont. inſtauratum.

s. Feliculæ.) Cuius martyrium, a ſancto Marcello, beati Petri diſcipulo, ad Nereum, et Achilleum martyres ſcriptum, Vſuardus, Beda, et Ado paucis enarrarunt: at de uerbo, ad uerbum primò Boninus, deinde Surius retulit in uolumen 3. de ſanctis. Eius uita, nihil apocryphi habet.

s. Aquilinæ mart.) De qua quicquid in Martyrologio exſcripſimus, e græcis tabulis expreſſimus: legitur præterea apud Metaphraſtem.

s. Fandilæ mart.) Ado, Vſuardus, Equilinus, et omnium optimè de eo ſcripſit s. Eulogius lib. 3. de ſanct. cap. 7.

Beatorum martt. Luciani, et Fortunati.) Beda, et M. S.

s. Peregrini ep. et mart.) M. S. et Equilinus. Is floruit Gregorio 1. pont.

s. Agricij ep. et conf.) Ex tabulis Eccleſiæ Senonenſis, Demochares.

s. An-

s. Antonij conf.) Aliàs, Antonini: cuius uitam retulit Surius in tom. 3. Tu uide præterea s. Antoninum in chro. par. 3. tit. 24.

Decimo octauo calen. Iulij.

s. Baſilij ep. et conf.) Cæſarienſis, uiri, et doctrinæ, et ſanctitatis laude clariſſimi: cuius in omni interpretatione ſententias ac pene uerba s. Ambroſius ſecutus eſt, et aliquando s. Auguſtinus item. s. Baſilij laudum plena ſunt omnia. s. Gregorius Nazianzenus, et Nyſſenus de eo præclaras laudationes conſcripſerunt. Amphilochius, Iconij epiſcopus, eiuſdem uitã perbelle contexuit: et Heuodius præterea diſcipulus, qui in epiſcopatum ei ſucceſſit. De eo præterea narrant præclare, Photius, Socrates lib. 4. cap. 26. 27. Nicephorus lib. 11. cap. 18. et 19. Suidas, ad s. Hieronymus in lib. de eccl. ſcript. aliiſq. multis locis, Theodoritus, lib. 4. hiſt. eccl. cap. 17. Nazianzenus, ſæpe, Elias Cretenſis, Gelaſius, Leo I. Martinus I. ſummi pontifices, et œcumenicæ ſynodi, 5. 6. 7. et Martini I. Græci præterea plurimi, ac Damaſcenus in primis lib. 4. de orthod. fide, et in lib. de ſac. Im. et Oecumenius, et Euthymius item, qui ſcribendo ſumpſit ab eo plurima. A Patribus hæc ei elogia tribuuntur; Præclarum orbis lumen Baſilius. Theod. cap. 17. lib 4 hiſt. eccl. Os eccleſiæ, auream doctrinam fundens. Nyſ. in uit. s. Ephrem: diuinus et magnus in diuinis Baſilius, Damaſ. lib. 4. Orth. fid. Columna ignis, ad cælum uſque pertingens Lingua ignea: uere magnus Baſilius, uere columna ignis, uere Spiritus ſanctus eius ore loquitur. Amph. Oculus orbis, magnifica uox, cuius uis in omnes orbis terrarum fines dimanauit. Nemo ſacra uolumina uerius, nemo uberius nec uero eloquentius, explicauit, quàm Baſilius: de quo alias nos pluribus ſcribimus. Græci illius die natalem agunt calendis Ianuarij.

s. Martiani ep.) Metaphraſtes in uit. ss. App. Pet. et Pau. et Nicephorus lib. 2. cap. 35. hiſt. eccl.

ss. martt. Ruffini, et Valerij.) M. S. Vſuardus, Beda, Ado, Aequilinus.

ss. martt. Anaſtaſij presb. Felicis monachi, et Dignæ uirg.) Qui martyrio Coronantur Era DCCCXCI. An. ſcilicet a chr. nat DCCCLIII. De ijs ſcriptum eſt a s. Eulogio lib 3. mem. ſanct. cap. 8. Agitur in nonnullis Hiſpaniæ eccleſijs hic dies eorum feſtus.

s. Actherij ep.) Beda in Mar. et Ado Vien. an. a chr. nat. DCIIII.

s. Quintiani ep.) Vſuardus, et M. S. ac Sigebertus præterea in chr.

Tranſlatio s. Aniani ep.) Et aliorũ Aurelianenſiũ epp. Monitoris, ac Floſculi.

Heliſæi Proph.) Cuius laudatio, ab epiſcopo Seleuciæ Baſilio olim ſcripta, extat apud Metaphraſtem.

Decimo ſeptimo cal. Iulij.

ss. martt. Viti, Modeſti, et Creſcentiæ.) Vt in tabulis ſacroſanctæ eccleſiæ Romanæ ſcriptum eſt: aliàs, Viti, tantũ, ut in alijs pleriſque eccleſijs fit, præſertim, in eccl. Mediolanenſi. De ijs ſcribunt, Vſuardus, Beda, at pluribus Surius: qui ex peruetuſtis M. S. codicibus certamen eorum luculenter exſcripſit.

s. Eſychij mart.) Vſuardus, Beda, qui, Eficij, ſcribit: ſed ubique, Eſychij: aliàs, Etychij, ſed hoc corrupte.

s. Benildis matronæ.) Aliàs, Viduæ, at, matronæ, legitur apud Eulogium: qui de illa ſcribit in lib. mem. 3. de ſanctis.

s. Dulæ

S. Dulæ martyris.) De quo tabulis græcis proditum eſt, et a Metaphraſte item: a quo ſumpſimus.

s. Abrahæ conf.) cuius epitaphium ſcribit Sidonius lib. 2. ep. meminit præterea eiuſdem Gr. Tur. lib 2.hiſt.Fr.cap 21.et lib de pat.Gal.cap.3.

s. Landelini abbatis.) Cuius uita, a Philippo abbate litteris tradita, breuiter a Surio exponitur in uol.3.de ſanct.

s. Bernardi.) Ex M. S. et tabulis eccleſiæ Nouarienſis.

Decimo ſexto cal. Iulij.

Beatorum martt. Ferreoli presb. et Ferrationis diaconi.) M. S. Vſuardus, Ado, Beda, Equilinus.

ss. Cyrici, et Iulittæ matris.) Aliàs, Quirici, more Romano, ut legitur apud Gelaſium, Burchardum, et Iuonem. Iulittæ, duplici tt, ſcripſimus, alij, Iulitæ, ſimplici t. ut eſt in ſanctione eiuſdem Gelaſij. Eorum martyrum hiſtoria in apocryphis cenſetur, quia ab hæreticis perhibetur conſcripta, ut illa ipſa Gelaſij conſtitutione cautum eſt. Porrò Lipomanus latinam apocrypham cēſet, Græcam uerò, quam Metaphraſtes exſcripſit, Gelaſiano canone non comprehendi: id quod ſanè probabile eſt. De his martyribus Romæ fit Idibus Iulij; in Hiſpania Toleti, hoc ipſo die, ſcilicet XVI. cal. Eſt præterea de Iulita martyre concio quinta. s. Baſilij, ſed illa eſt alia ab hac, de qua ſcribimus.

ss. Quatringentorum et quattuor martt.) Ex Beda, et M. S. Cod.

ss. Martt. Auræi, et Iuſtinæ.) Aliàs, Aurei: de quo Cochleus in lib. de ep. Moguntiæ; et Breuiarium Moguntinum item.

s. Aureliani ep. et conf.) Ex tabulis eccl. Lugd. et Vſuardo.

Nannete.) Vulgò Nantes en Bretaigne: Vrbs eſt Galliæ Celticæ, unde conciliū Nannetenſe, cuius canones extant, nomen accepit.

s. Similiani ep.) M. S. Vſuardus.

Translatio ss. Virginum, Cunegundis, Mechtundis, et Chriſtianæ.) Quæ uirgines, in ſanctorum numero rite, antea adſcriptæ auctoritate pontificia, demum an. a Chr. nat. MDI. translatæ ſunt.

Translatio s. Leuuinnæ uirg. et mart.) Ex P.

Decimo quinto cal. Iulij.

ss. martt. Ducentorum, et ſexaginta duorum.) De quibus, Beda, Ado, Vſuardus et M. S.

Beatorum martt. Manuelis, Sabelis, et Iſmaelis.) De his concionē ſcribit Metaphraſtes: nos uerò e græcis tabulis hauſimus, quod breuiter de iiſdem in martyrologium noſtrum expoſitum eſt.

s. Vulmari conf.) Surius in tom. 3. de ſanct.

s. Auiti presb.) Vſuardus, et M. S. Beda habet, s. Viti, et alij, s. Adiuti: ſed Auiti, frequentius legimus. De eo præterea Gr. Tur. lib. de Gl. conf. cap. 99. et Surius in tom.3.

s. Domnoli.) Ex tabulis eccl. Vien. Ado Vien. in chr. an. a Chr. nat. DCIV.

s. Gandolphi ep.) Ex tab. eccl Bituricenſis.

s. Himerij ep.) Ex Martyrologio Cremonenſi: in quo pluribus narratur eius uita. De eo Cremonæ fit poſtridie huius diei.

Decimo

Decimo quarto cal. Iulij.

Beatiſſimorum martt. Marci, et Marcelliani.) De quibus a S. R. E. notarijs relatum eſt in acta beatiſſimi Sebaſtiani mart. De ijs s.Gregorius in Antiphonario, et lib. ſacr. Vſuardus, Beda, Ado in Mart. et ceteri. Vbique ex Rom. auct.

s.Leontij, et ſociorum.) Quorum martyrium, in tabulis plumbeis olim inciſum, pluribus Metaphraſtes græce expoſuit. Tu uide præterea Surium, in tom.3.

ss. martt. Cyriaci, et Paulæ.) Aliàs, Syriaci: ſed, Cyriace, paſſim legitur in omnibus fere codicibus, manu recte exaratis.

Decimo tertio cal. Iunij.

ss.martt.Geruaſij, et Protaſij.) Quorum martyrium græci quoque concelebrãt pridie idus Oct. ut ex Horologio, Menologio, et Euchologio animaduertimus. De his ſcribunt, s. Ambroſius ep. 85. ad Marcel. ſororẽ, ſer.91. s. Auguſtinus 108. de diuer. et lib.22. de ciu. Dei cap.8. lib.9. cõf. cap.7. s.Paulinus in ep. quam etiã Gr. Tur. in teſtimonium affert; et in uita s. Ambr. Gr. Tur. cap.4. lib. de Gl. mar. Extat præterea epiſtola, s. Ambroſij inſcripta: quæ etſi grauiſſimis uiris probatur, habet tamen aliquid, quod alienum uidetur ab illius nomine: Metaphraſtes præterea, et græci fuſe, copioſeq. de ijſdem ſcriptionem contexuerunt. s. denique Gregorius in libro Sacramentorum, et Antiphonario. Hoc die pace Italiæ conciliata, Sanctiſſimus Pontifex Gregorius, illius componendæ auctor, inſtituit Miſſarum initium a pacis commemoratione duci ea præſcripta antiphona, Loquetur Dominus pacem in populo ſuo &c.

s. Vrſicini.) De quo ab Vſuardo ſcriptũ eſt, et a Beda item, ſed breui: a Rubio autem pluribus in hiſt. Rau. lib.1. Sunt qui putent eum v. cal. Maij capite abſciſſũ; hoc die, e tẽplo s Vitalis, ad s. Ioannis Baptiſtæ multis poſt annis translatum eſſe.

s. Zoſimi mart.) Aliàs: Sozimi martyris: de quo tabulis græcis proditum eſt, et a Metaphraſte item. Tu uide Surium.

s. Romualdi.) Cuius uitam Rubius enucleate perſcribit lib.5. Hiſt. Rau. ſermone autem ante a P. Damiano explicatam, Surius exſcripſit in tom.3.

s. Alenæ uirg. et mart.) Cuius dies feſtus ex ueteri inſtituto agitur Dominico die, natalem s. Ioannis Baptiſtæ proxime antecedenti. Ex Indiculo, et Calendario Belgij.

s. Bonifacij mart.) Ex M. S. cod. et P. Damiano.

Duodecimo cal. Iulij.

s. Siluerij pont.) Cuius uita adſcripta eſt Breuiario Romano. De eo ſcriptores pontificalium annalium multi, ac præterea alij præclare narrant; et Liberatus breuiarij cap 22. noſq. in uitis pont. et notationibus, Platinæ adiunctis.

s. Nouati presb.) De quo in actis ſanctarum ſororum, Praxedis, et Potentianæ ſcriptum eſt, et a Beda præterea, Adone, et Vſuardo, ceteriſq id generis.

ss. Martyrum Pauli, Cyriaci.) Ado: nos præterea, his ſocios adiunximus, Felicem, et Felicianam, ex M. S.

Apud Sagienſes.) Vel potius, Saijenſes: de quorum urbe, et tractu Robertus Cæna-

Cænalis,ep. Arb. in Periocha 4. de re Gallica.

s. Latuuini.) Ex tabulis eccl. Rothomagenſis.

s. Florentiæ uirg.) Ex Molano.

Vndecimo cal. Iulij.

s. Demetriæ uirginis.) De qua relatum eſt in geſta s. Pigmenij. Eius uita ab s. Ioanne presb. conſcripta traditur.

s. Albani mart.) De quo multa memoriæ prodita ſunt in tabulis eccleſiæ Mediolanenſis. Duo Albani martyres cenſentur, unus Moguntinus, alter Britannus: de quo poſtridie huius dicti. Albani Moguntini uitam ſcripſit uerſibus Rupertus monachus: meminitq. præterea Trithemius in Chro. Hirſaugiæ.

s. Iuliani mart.) Huius martyrium, e monimentis græcis expreſſimus: de quo præterea Chryſoſtomus concionem habuit.

s. Aphrodysij mart.) Cuius res, pro Chriſti gloria actas, græce ſcriptas, latine reddidimus.

Iconij.) Quod eſt oppidum Lycaoniæ: ubi ss. Apoſtoli Paulus, et Barnabas diu Chriſtum Dominum prædicarunt. Iconienſium epiſcopus, fuit Amphilochius, s. Hieronymi æqualis. Martyres Iconienſes, Conon, et filius, alijq. in Martyrologij græci tabulis numerantur.

s. Terentij ep. et mart.) E tabulis græcis.

s. Vrciſceni ep. et conf.) M. S. et Paulus Diaconus de ep. Papiæ. Is fuit ann. a Chriſt. nat. CLXXXIV.

s. Martini ep. et conf.) Ex tabulis eccl. Tung.

s. Blaſii ep. et conf.) Ex tabulis ſanctorum eccl. Ver. et conſtitutione Synodali. Vſuardus huic diei adſcribit natalem Euſebij Cæſarienſis: itidemq. facit Maurolycus: ſed nos certè id auſi non ſumus; cum et is, et eius opera notata ſint, ex Gelaſij in primis ſanctione, ſanctorumq. uirorum iudicio Epiphanij, et s. Hieronymi in ep. ad Pam. et Ocean. et ad Cteſophontem, et Patrum denique ſynodi ſeptimæ in act. v. Sed hoc pluribus oſtendit Melchior Canus lib. XI. loc. Comm.

Decimo cal. Iulij.

S. Paulini ep. et conf.) De quo s. Auguſtinus ep. 34. 35. lib. 10. de ciu. Dei cap. 10. s. Amb. ep. 36. s. Hieron. ep. 13. s. Proſper cap. 9. de uit. cont. s. Gregorius papa lib. 3. dial. cap. 1. Gr. Tur. cap. 107. de glo. conf. Paulus Diaconus lib. 5. Siſtus in bibl. s. Trithemius, et alij; noſq. denique in lib. Diu. lec. Eius uitam, ab Vranio presb. litteris primo conſignatam, Surius habet in tom. 3.

ss. Iulianæ, et Demetriæ uirg. Ex M. S. et Arthimono monacho.

ss. Acatii, et 10. millium mart.) Vt græce ſcriptum extat in Horologio.

s. Albani mart.) Hic ut ab alio internoſcatur, Albinuſa Colonienſibus uocitatur. De eo Beda in mart. et lib. 1 hiſt. Ang. cap. 6. et 7. Tu uide Surium tom. 3.

s. Niceæ ep.) Gennadius de uir illu. Trithemius, et Equilinus.

s. Conſortiæ uirg.) Ex tabulis monaſterii Cluniacenſis.

s. Ortrudis virginis.) Alias Rotrudis. De qua a Molano ſcriptum eſt in Ind. Belgij.

Nono cal. Iulij.

Vigilia s. Ioannis Baptiſtæ.) s. Hieronymus in Lectionario, s. Gregorius in libro Sac. et Antiphonario. Ex quibus porrò libris animaduerti licet, die illius natali, tres Miſſas celebrari ſolemne eſſe: cuius rei cauſam, rationemq. afferunt, Iſidorus, et Amalarius lib.3. cap. 38. et lib.4. c.40. Alcuinus, pag.69. et Carolus Magnus in Frag.

s. Ioannis presb.) De quo paucis ab Vſuardo, ſed a Beda pluribus ſcribitur: longeq. antea in geſtis Pigmenij ſcriptum eſt.

s. Felicis presb.) De eo in Vſuardi Martyrologio, cæteriſq. manu ſcriptis codicibus proditum eſt, et in actis etiam s. Muſtiolæ: quæ martyrio coronatur An. a Chr. nat. CCLXXVI. tertio Non. Iulij, ut legitur apud Surium tom. III. Qua autem in urbe martyrium illa ſubierit, uariè ſcriptum eſt, ab Vſuardo in Sutrina, ab alijs, in Vtrina urbe, ſed mendoſe, cum in Cluſina ciuitate, quæ Hetruriæ eſt, id omnes manu ſcriptis codices, teſtatum faciant; ſicq. in Vſuardo reponendum cenſemus.

s. Edildridæ uirginis.) Aliàs, Ediltrudis: de qua ſcribit Beda lib. 4. cap. 19. hiſt. Angl.

Octauo cal. Iulij.

Natiuitas s. Ioannis Baptiſtæ.) Cuius ſacri diei officium pie, et docte explicat Amalarius cap.59. in lib. de ord Ant. itidem Durantius lib.7.cap.14. diu.off. Belethus cap.136.et 137. ac Sicardus præterea, Radulphus Tungrenſis cap.23. Ordo Romanus, et alij, quos ſupra diximus. De natali eius die, s. Luc.cap.1.ac patres, qui in eum Euangeliſtam commentarios ſcripſerunt, s. Ambroſius, Beda, Rabanus, Adilredus monachus, Titus Hoſtienſis, Iſidorus Theſſalonicenſis, qui, manu ſcripti, extant. De eodem ſermones leguntur, s. Auguſtini, s. Ambroſij, s. Maximi, s. Bernardi, s. Ioannis Chryſoſtomi, Cyrilli Hieroſolymitani Catech.3. s. Gaudentij, Petri Damiani ſer. 1. s.P. Chryſologi ſermm. 2 Gr. Emiſſeni ſer. 1. Honorij Auguſtodunenſis ſer. 1. Igniaci Ab. Radulphi Ardentij, et aliorum, qui multi numerantur. Illius uita græce, et latine conſcripta eſt, a Græcis, Theodoro Studita, Io. Chryſoſtomo, Simeone Metaphraſte, Epiphanio, Antipatro Boſtrorum epiſcopo; a Latinis, Iſidoro, Maximo, Gaudentio, et ceteris, quos mox ſupra nominauimus, quoſq. legas licet apud Lipomanum, et Surium, in tom.3. Eſt Euangelicis litteris de eodem ſcriptum a s. Mattheo cap.3. et 11. a s. Marco cap.1. a s. Luca.1. 2. et 3. a s. Ioanne cap.1. Dies eius natalis, ut Euſebio placet, extitit. Imp. Cæſ. Aug. An. XLII. Herodis regis An. XXXII. menſe ante Chriſti Domini diem natalem ſexto. Hoc die conſueuerant, ut ex libro rituali perantiquo perſpeximus, ſummi pontifices Miſſæ ſacrum ſolemniter facere, et concionem habere. Græci hoc ipſo etiam die, huius natiuitatis celebritatem agunt, ſicut tabulæ græcæ indicant, et conſtitutio itidem græca de ferijs. Tu uero præterea de ſanctiſſimo Ioanne Baptiſta lege, quæ multo plura, ac præclare quidem, ut ſolet, Caniſius lib. 1. complexus eſt de uer. Dei cor.

s. Simplicij ep.) Vſuardus, Tabulæ Auguſtodunenſes, Gr. Tur. lib. de gl. conf. cap. 74. 76. 77. Eum Phiticium nonnulli uocant: de quo ſcripſit etiam Nicolaus monachus.

V Septimo

Septimo cal. Iulij.

s. Soſipatris ep.) Is comes beati Pauli Apoſtoli fuit, e Græcia in Macedoniam redeuntis. Fit de eo mentio in act. cap. 20. et ad Rom. cap. 16. Origenes illum Ieonij, Dorotheus Theſſalonicæ epiſcopum putauit. Extat ad eum epiſtola s. Dionyſij Areopagitæ.

s. Febroniæ uirg. et mart) Cuius celebritatem hoc die Græci agunt, ut eccleſia etiam Mediolanenſis: at Metaphraſtes eiuſdem uitã, a Thomaide, uirgine ſanctimoniali conſcriptam, exponit XVII. cal. Iulij. Nos multa, tabulis, monimentiſq. uetuſtis eccleſiæ Ambroſianæ de illius martyrio tradita, eiuſdem eccleſiæ Breuiario adſcripſimus.

s. Galliani mart.) Aliàs, Gallicani, ut codices, et ſcripti, et impreſſi habent: noſq. ita in Martyrologio corrigendum arbitramur. De eo Vſuardus, Beda, et M. S. hoc ipſo die ſcribunt. Illius porrò uitam olim Terentianus quidam litteris mandauit: eandemq. Boninius retulit in uolumen II. de ſanctis. Tu præterea uide apud Surium geſta martyrij ss. Ioannis, et Pauli, quorum dies natalis poſtridie huius diei agitur.

s. Maximi ep. et conf.) De quo et Gennadius, et Trithemius, in lib. de ſcrip. eccl. et F. Xyſtus in Bibl. ſancta ſcribunt; et nos præterea pluribus in uolumine de diuinis lect.

s. Antidij ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Biſuntinæ.

s. Proſperi ep.) De quo concilium Aquiſgranenſe, et Gelaſius pont. in ſanctione de libris, quæ apud Iuonem, Burchardum, et Gratianum extat. diſt. xv. Eiuſdem meminerunt, et s. Antoninus, et Beda, et Gennadius, et Trithemius: uitam porrò ſcripſit I. Ant. Flaminius, a quo Surius in uolumen 3. tranſtulit.

Sexto cal. Iulij.

ss martt. Ioannis, et Pauli.) Ex Breuiario Romano, Vſuardo, Beda, ex libro præterea Sacramentorum, et antiphonario s. Gregorij. Eorum uitam Terentianus quidam ſcripſit: eandem porrò legas licet apud Surium tom. 3.

s. Maxentij presb. et conf.) Vſuardus, Sigelbertus in chr. s. Anton. in chr. item par. 2. tit. 10. Floruit s. Maxentius, Symmacho Pontifice.

s. Pelagij mart.) Cuius martyrium in omni Hiſpaniarum eccleſia celebre admodum, Rhoſuita ſaxonica, uirgo clariſſima uerſibus expoſuit. Vita autem ab eo, qui martyrio interfuit, gothicis litteris ſcripta, in Hiſpania multis locis, præſertim Toleti aſſeruata, in s. Eulogij uolumen de ſanctis relata eſt, adiunctis notationibus, ab Ambroſio Moralio, ciue Cordubenſe.

s. Perſeuerandæ.) Vſuardus.

Quinto cal. Iulij.

s. Creſcentis ep. et mart.) Qui fuit unus e comitibus s. Pauli Apoſtoli. De eo in ep. 2. Tim. cap. 4. et Euſebius lib. 3. cap. 4. hiſt. eccl. Nicephorus, Athanaſius, et Theophylactus etiam in ead. ep. 2. cap. 4. Odo præterea Cluniacenſis ex Martyrologio s. Hieronymi, Vſuardus, et Beda, qui illius meminit 4. cal. Ianuarij, Simo Meta-

Metaphraſtes in uita s. Petri, et Ado Vien. an. LX. Sunt, qui Creſcentium appellant, primumq. Moguntiæ epiſcopum putāt, ut Chlictouæus, et ſcriptor annalium Moguntinenſium, alijq. præterea.

s. Zoili mart.) Cuius ſæpe s. Eulogius meminit, et lib. 2: de ſanctis, et in ep. ad Pompelonenſem epiſcopum, et Aluarus Cordubenſis in uita eiuſdem s. Eul. et Ambroſius denique Moralius in ſcholijs, quæ præclara conſcripſit in opus s. Eul. et in libro de origine, et ſitu urbis Cordubæ: tum præterea Breuiariū Cordubenſe.

s. Anecti martyris.) De quo græce pluribus traditum eſt, at breui nos latine reddidimus.

s. Ladislai regis.) M. S. et R. Equilinus, et Ant. Bonfidius lib. 4, dec. 2. rer. vng.

s. Adelini conf.) Ex tab. Ecc. Cameracenſis.

Quarto cal. Iulij.

Vigilia ss. Apoſtolorum Petri, et Pauli.) In lectionario s. Hieronymi, et in Antiphonario, item s. Gregorij legitur, Vigilia s. Petri, et in libro Sacramētorum M. S. itidem. At uero in Martyrogijs omnibus, antiquis, manu exaratis, et impreſſis, ſcriptum eſt, ut nos ſcripſimus, Vigilia ss. Apoſtolorum Petri, et Pauli: ſicq. habet Amalarius lib. Antiph. cap. 60. qui eo loco explicat huius uigiliæ officium, ſed porrò dilucidius Tungrenſis lib. obſeru. eccl. cap. 21. quo capite commemorat piam illam officij uigiliæ conſuetudinem, quam adhuc certis feſtis diebus ſanctorum adhuc retineri cernimus.

s. Leonis pont. et conf.) Qui Iunior uocatus eſt: de eo nos uberius ſcripſimus in libro de uitis pontificum. Beda, Vſuardus, et tabulæ eccleſiæ Romanæ hunc eius diem natalem commemorant.

s. Irenæi ep. et mart.) s. Hieronymus de uir. ill. cap. 45. et in ep. ad Or. Mag. Euſebius lib. 5. cap. 4. 7. 8. Nicephorus, Haimo Alberſtatēſis, Oecumenius in comm. 3. cap. ep. 2. B. Petri, Tertullianus lib. contra Valent. Gregorius Tur. lib. 5. hiſt. cap. 24. Vſuardus in Mart. Surius tom. 2. 23. Apr. At uero de eius patria, inſtitutione, ſtudijs, doctrina, uitæ ſanctitate pluribus nuper diſſeruit F. Franciſcus Ardentius in præfatione, quam illius operibus adſcripſit. Fuit porrò Irenæus Aſianus, non Gallus, ut Oecumenius olim opinatus eſt: græceq. nō latine ſcripſit; quod ſane non ſolum ex illius ſcriptis, uerum etiam ex ss. Hieronymi, Baſilij, atque ex Epiphanij, Theodoriti, Meliſſæ, Euſebij, Anaſtaſijq. teſtimonijs animaduerti licet. Quæ autem græce, eleganter ſane quidem ſcripſit: ipſe itidem, ſcriptorum ſuorum interpres, latine reddidit, diſpari tamen, rudiq. oratione: aut certe presbytero ad interpretationem latinam uſus eſt.

Beatorum martt. Plutarchi, Sereni, Heraclidis, et reliquorum.) Vſuardus, Beda, et cod. M.S. Euſeb.

s. Pappij mart.) Ex Horologio græco.

s. Argymiri mart.) De quo s. Eulogius ſcribit lib. 3 de ſanctis, cap. 16.

Translatio ss. martt. Ioannis, et Cyri.) Ex tab. græcis.

s. Benigni mart.) Ex tab. eccl. Traiectenſis.

Tertio cal. Iulij.

Romæ.) De cuius ampliſſimis rebus proditum eſt, non latinorum ſolum, ſed græcorum etiam, omniumq. populorum, ac gentium, uel barbararum, annalibus,

At illa Romæ, urbis æternæ, laus una omnium præſtantiſſima eſt, a ſanctiſſimo Leone I. Pont. explicata ſermonibus: quos de ſanctis Apoſtolis Petro, et Paulo habuit. Quam infinito autem beatiſſimorum martyrum numero ea urbs nobilitata ſit, cum ueteres hiſtoriæ, Cryptæq. oſtendunt, tum s. Bernardus teſtatur illis uerbis: Purpuratur Roma multitudine martyrum: quare ſacras reliquias inde peti, olim moris fuiſſe, a s. Gregorio accepimus lib. 3. et 30.

ss. Apoſtolorum Petri, et Pauli.) De quorum martyrio, Linus, Caius presb. Romanus, Egeſippus lib. 3. cap. 2. excid. Hier. s. Damaſus Papa cap. 41. Pont. s. Clemens I. Papa. s. Ambroſius ſerm. 67. et 68. s. Gaudentius ep. Brixienſis. s. Greg. lib. 3. ep. 13. s. Hieronymus lib. I. de uir. illuſt, Iſidorus de pat. noui teſt. s. Leo Papa. s. Auguſtinus ſer. 24. 25. 26. 28. 29. s. Maximus Taurinenſis hom. Innocentius III. ſer. I. Petrus Damianus ſer. I. Radulphus Ardentius hom. 2. Paulus Oroſius lib. 7. cap. 39. Arnobius contra gent. lib. 2. Hugo Hetherianus lib. 3. cap. 17. Tertullianus in lib. de preſcrip. hær. Irenæus lib. 3. contra hær. cap. 1. et 3. Ioannes 3. pont. in ep. decr. Euſebius lib. 2. cap. 2. 3. et 4. Nicephorus lib. 3. cap. 2. Epiphanius, s. Ioannes Chryſoſthomus in Encomio, Simeo Metaphraſtes, Michael Glycas, Philaſtrius Brixienſis, Dorotheus, Optatus Mileuitanus, Philo, Dionyſius Corinthius, Eutropius, et alij permulti, tum in primis Lipomanus, et Surius, qui de ijſdem multa collegerunt.

Nerone Imp.) An. a Chr. nat. LXIX. Porrò Claudio Nero ſucceſſit: quo imperante, primùm de Chriſtianis Romæ publica quæſtio inſtituta uidetur. De iſta truculenta contra Chriſtianos immanitate ſcribunt, non ſolum noſtri, ut pote s. Auguſtinus lib. 18. de ciu. Dei, Tertullianus in Apologetico, Euſebius, qui a Tertulliano ſumpſit, quæcumque hoc de genere litteris mandauit, Nicephorus, Paulus Oroſius, ac Seuerus Sulpitius; ſed alij etiam, a religione Chriſtiana alieni, ut Suetonius, Cor. Tacitus, ceteriq. id generis. Næ ille fuit homo plane ferus: nulla tamen in re, crudelior illius ſæuitia, quàm in noſtrorum oppugnatione, atque adeo cæde ſe ſe incredibiliter effudit. Nam et ſanctiſſimæ Chriſti religionis, quam ille peſſime oderat, et incendij, qui noſtros falſo accuſauit, cauſa permotus, non Romæ ſolum, ſed in prouincijs etiam, ut Oroſius ſcribit, Chriſtianos, excruciari iuſſit. Sicq. Romæ, lectiſſimi Apoſtolorum Principes, Petrus, et Paulus, eodem die ad necem trahuntur: in Achaia s. Andreas in crucem ſuffigitur: in Palæſtina s. Iacobus, Hieroſolymæ epiſcopus, præceps e pinnaculo templi deijcitur: in Cypro s. Barnabas, Chriſti martyr efficitur: in Gallia Frontonicus Petragonicus epiſcopus, et Paulus Narbonenſis, coronantur martyrio: s. Bartholomæus, pellis exuuijs detractis, animam Deo reddit: s. Thomas, laminis candentibus exuſtus, et in fornacem coniectus ardentem, lanceis confoditur: s. Matthias in crucem agitur: in Aethyopia s. Matthæus truncatur: in Perſide Iudas Thadæus, et Simo Cananæus, pro Chriſto martyrium ſubeunt. Tanta ſane quidem ſæuiſſimæ iſtius belluæ rabies aliquando contra noſtros inflammata eſt, ut ferrarum pellibus eos intectos, fœdiſſimo ludibrio exponi laniandos, aut cruci affigendos; aut, ſi dies tormentis defeciſſet, in uſum nocturni luminis exuri iuberet. His diris, et teterrimis ſpectaculis Romæ dedicauit hortos ſuos: cumq. tantis, tempeſtatum procellis, agitaretur in urbe eccleſia: ubique etiam terrarum innumerabilia Chriſtianorum millia cæduntur. Quid? quod etiam Seuerus Sulpitius ſcriptum reliquit, in Neroniana perſecutione, promulgatis legibus uetitam fuiſſe Chriſtianam religionem: palamq. edictis propoſitis, Chriſtiano eſſe non licuiſſe? Sed in tam tetro belluæ furore, ſemen fidei cæleſte, quod tam impenſe curabatur, ut conuelleretur, ubique gentium, adiutrice Dei gratia, uberrimam protulit ſegetem, miſere extincto eo, qui internecionem tam crudeliter moliebatur.

Eodem die.) Eodemq. anno:ut ſanctiſſimi uiri,iidemq. doctiſſimi opinãtur, Auguſtinus,Gregorius,Ambroſius,ac Leo Magnus;licet alij cõtra ſentiant,ut Gr. Turonenſis,qui anno ſequenti, eodem tamen die, s. Paulum ſecuri percuſſum, ſcribit.

s. Marcelli mart.) Vſuardus, et M. S. C.

s. Benedictæ uirg.) Idem, et liber ſcriptus.

s. Caſſij ep.) M. S. C. s. Gr. lib. 3. cap. 6. et lib. 4. cap. 58. dial.

Pridie cal. Iun.

Commemoratio s. Pauli Apoſtoli.) In libro ſacramentorum,et antiphonario, et lectionario, inſcribitur, Natale s. Pauli Apoſtoli, ut pridie huius diei, Natale s. Petri Apoſtoli. Porrò feſtum s. Pauli hunc diem, Micrologi auctor appellat: cap. 42. et a ſancto Gregorio inſtitutum eſſe ſcribit, prout rem totam Sicdardus, et Durantius lib. 7. cap. 15. de diu. off. et Belethus cap. 138. uberius etiam exponunt. De s. Paulo Ap. cum ceteri, quos ſupra commemorauimus, ſcribunt, tum etiam Innocentius III. pont. max. qui lib. I. ep. litteris, ad epiſcopum Vormatienſem datis, cum merita illius apoſtoli narrat, tum diem feſtum Conuerſionis eiuſdem, ex antiqua eccleſiæ inſtitutione, recoli iubet, ut anniuerſarius martyrij illius dies colitur. Hoc dixiſſe libuit, quoniam VIII. calendas Februarij, quo die Conuerſionis celebritas agitur, omiſimus.

s. Lucinæ mart.) Vt in acta ss. martt. Proceſſi, et Martiniani relatum eſt. De ea præterea ſcribunt, Ado Treuerenſis, Beda, et Vſuardus. Eſt Romæ Crypta, ab illa extructa ad ſepelienda ss. martyrum corpora.

ss. martt. Corſici presb. et Leonis diaconi.) Aliàs, Biſici, ſed paſſim in libris ſcriptis legitur, Corſici: quem etiam Corſitum nonnulli uocant. s. Leonis diaconi, repone, ſubdiaconi, ut in omni martyrologio legimus.

ss. Duodecim Apoſtolorum.) Ex tabulis græcis: in quibus ſcribitur, Collectio Duodecim Apoſtolorum: ſed in latinis, Diuiſio Duodecim Apoſtolorum: de qua Belethus ſcribit cap. 139. in lib. de expl. diu. off. Atque diuiſio quidem eiuſmodi fuit, ut ab Eucherio traditur his uerbis: Apoſtoli ſe ſe in orbis partes intulerunt, quantum narrat hiſtoria: Bartholomæus in Indos; Thomas tetendit in Parthos; Matthæus Aethyopes, Andreas Schytas, prædicatione molliuit: Ioannes Aſiam diuino ſermone correxit; Petrus Cappadociam, atque Galatiam, Bithyniam pariter, et pontum, prouinciaſq. confines, dum Iudæis prædicat, circuit: poſtremo Romam illuſtraturus acceſſit. Paulus ab Hieruſalem uſque Illyricum cum euangelio repleuiſſet, tam innumeras, ac diſpares nationes præceptis, tamquam armis, uictor edomuit. Porrò item de hac diuiſione Origenes in Geneſim, Rufinus initio expoſitionis ſymboli, Chryſoſtomus, Aymo, et alij ſcribunt. Beda uerò narrat, hunc diem feſtum celebrari idibus Iulij.

s. Martialis ep.) s. Antoninus, in chron par. 1. tit. 6. cap. 25. Beda, Vſuardus, Demochares, Mart. in chr. Ab eo primùm Tholoſates, Burdegalenſes, Cadurcenſes, Aquitani, et omnes denique populi, a Rhodano ad Oceanum uſque pertigentes, chriſtiana religione inſtructi ſunt; ut Aurelianus teſtatur, uitæ illius ſcriptor. Is fuit unus e ſeptuaginta duobus diſcipulis: tamen a pleriſque Apoſtolus appellatur more græcorum; qui illos eo nomine uocitant.

ss. Alpiniani, et Auſtrochiniani confeſſ.) Vſuardus, et idem Aurelianus in uita s. Martialis.

s. Oſtiani presb. et cõf.) M. S. cod. et Vſuardus. Eum Equilinus epiſcopũ nominat.

s. Adiliæ uirg.) Ex additionibus M.

IVLIVS.

Calendis Iulij.

Octaua s. Ioannis Baptiſtæ.) Ex perpetua traditione eccleſiæ Romanæ, et Martyrologio Bedæ. Quæ octaua in minoribus cenſetur, ut Rad. Tun. ſcribit prop. 19. nec uero adſcripta eſt in lib. ſac. et antiphonario s. Gr. Papæ. Vbique tamen ex Romana auctoritate.

Aaronis ſacerdotis.) De quo in Exodo, Leuitico, Numeris, cap. 20. 23. eccl. 45. ep. ad Heb. 9. ſcriptum eſt. Poſtremo eius uitam Perionius monachus perbelle contexuit.

s. Marini ep.) Aliàs, Martini: de quo Beda, et Caniſius in Martyrologio huius diei ſcribunt; Ado præterea Vien. in chr. æt. 6. Demochares lib. 2. de ſacrificio Miſſæ; et Annales item Vien. Fuit is Imp. Cæſ. Nerua Traiano: an: a chr. nat. cxcc11.

In Legione Auguſta.) Quæ legio ſecunda Auguſta a Ptolomæo appellatur, urbs Britanniæ.

ss. Iulij, et Aaronis.) Et Sociorum item aliorum: de quibus in rebus geſtis. s. Albani martyris ſcriptum eſt.

s. Pambonis monachi.) De quo in Vitis Patrum, Socrates item græcus, et Caſſiodorus in hiſt. Trip. ſcribunt: nos uero, ex cod. Mart. M. S.

s. Domitiani abb.) Beda, et cod. M. S. at Vſuardus copioſius.

s. Theobaldi confeſ.) M. S. Equilinus præterea, et Beluacenſis.

s. Theodorici conf.) Cuius uita pluribus expoſita eſt in tomo 4. Surij. De eodem quoque Sigelbertus.

s. Galli ep. et conf.) Gr. Tur. lib. 4. hiſt. Fr. cap. 5. et de uita Patrum cap. 6. Surius præterea in tomo 4.

s. Rumoldi ep. et mart.) Ex Calendario, et Indiculo Belgij. Cuius dies feſtus ſolemniter fit in diœceſi, et in prouincia Mechlinienſi ex ſanctione ſynodi 1. Mechl.

s. Carilephi presb.) Vita, grauiter ſcripta, apud Surium extat, in tom. 4.

s. Eparchij Abb. et conf.) Vſuardus, et Gr. Tur. lib. 6. hiſt. Fr. cap. 8. Illius uitam, ab æquali ferè litteris mandatam, legimus apud Surium in To. 1 v.

Sexto nonas Iulij.

Viſitatio beatiſſimæ Mariæ uirginis.) Cuius uiſitationis celebritas, ex Euangelio Luc. 1. ab Vrbano vi. Pont. inſtituta, longe ante, a Syriacis hominibus, chriſtianæ religionis cultoribus, horario precum officio, feſtoq. die obſeruatur menſe Decembri, ut ex tabula euangelicarum lectionum, quæ in Dominicos, feſtoſq. anniuerſarios dies incidunt, animaduertimus. De quo feſto Maſſæus præterea in chr.

ss. mart. Proceſſi, et Martiniani.) In lib. Sacr. et Antiph. s. Gregorij. Eorum uitam litteris mandarunt S. R. E. notarij: tu illam legas licet apud Surium, et Mombrinum. Beda præterea, Vſuardus, et Ado Treuerenſis hoc ipſo die meminerunt, et s. Gregorius item in Euangeliorum homilia 32.

ss. Longini, Megiſti, et Aceſti martt.) Quos tres Vſuardus non nominatim appellat, ſed generatim ita ſcribit; Sanctorum trium militum: quorum plane nomina ſigillatim adſcripſimus, codicem, manu exaratum, ſecuti.

s.

s. Donati mart.) Ex cod. M.S.

s. Monegundæ.) s. Gr. Tur. lib. de uit. pat. cap. 19. et lib. de glor. conf. cap. 24. Vſuardus item in mart. huius diei, et cod. M.S.

Vuintoniæ.) Quæ Angliæ urbs ann. a chr. nat. DCCCCXXVI. primum habuit epiſcopum, Firthestanum, doctrina, et ſanctitate clarum; et alios deinceps, quos ordine narrat Polydorus in hiſt. Angl.

s. Suuithuni ep.) Cuius uitam, a Lamfrido monacho Vintonienſi, et Gotzelino Morinenſi olim litteris mandatam, ἐν ἐπιτομῇ ſcripſit Surius, in tom. 4.

Bambergæ.) In Germania urbs: cuius epiſcopalis eccleſia ab Henrico II. Imp. exædificata, a Benedicto VIII. Pont. Max. conſecrata, multis etiam priuilegijs, et beneficijs ab his pontificibus, Ioanne XIX. Clemente II. Damaſo II. et Leone IX. donata eſt.

s. Othonis ep.) De quo pluribus ſcribit Albertus Crantius.

Carthagine extitit hoc ipſo die martyrium ſeptem fratrum: de quibus præclara narratio contexitur a Victore in extremo libro de Perſ. Vand.

Quinto nonas Iulij.

Tranſlatio s. Thomæ Apoſtoli.) Quæ pluribus locis celebratur: eiuſdem Vſuardus meminit, et Beda item.

s. Hiacynthi mart.) Ex græcis tabulis.

Cluſij.) Quod mediterraneum, Hetruriæ oppidum, uulgo Chiuſi, cum epiſcopos habuit, quos aliquando s. Gregorius commemorat, tum alios, ſanctitatis, ac martyrij præterea laude claros.

ss. Irenæi, et Muſtiolæ martt.) Quorum geſta martyrij a Surio relata ſunt in tomum IV.

Beatorum martt. Tryphonis, Seuerini, Iuliani, et Euphemiæ uirg.) Aliorum item: quos duodecim Socios Vſuardus adſcribit.

Bituricis.) Aliàs, Biturigis: quorum ciuitas per Apoſtolorum diſcipulos Chriſtianæ fidei adhæſit, Clemente Pont. Max. Domitiano Imp. Ann. a Chr. nat. LXXXIIX. De his aliàs ſcripſimus.

s. Lauriani mart.) Cuius martyrium alij poſtridie huius diei celebrant.

ss. Eulogij, et Demetrij martt.) Ex annalibus Eccl. Conſtantinop. et cod. M.S.

s. Heliodori.) Incertum eſt, an hic, ille ipſe eſt, s. Hieronymi amicus, quem is hortatur per litteras, ad uitam in ſolitudine agendam.

Quarto nonas Iulij.

Oſeæ, et Aggæi prophh.) De quibus Epiphanius ſcribit in lib. de proph. et Iſidorus item in lib. de pat. utr. teſt. s. Hieronymus præterea in prefatione lib. utriuſque. ac Ioſephus etiam de antiq. heb. Apud Vſuardum mentio Oſeæ tantum fit, nos, Aggæi, adiunximus ex codice M.S. et ex Beda. Atqui ſanè Græci non eodem die, celebritatem eorum agunt, ſed Aggæi ad XVII. cal. Ian. Oſeæ ad XVI. cal. Nouembris.

s. Iocundiniani mart.) Aliàs, Iucundiani: cuius Vſuardus meminit, et Beda item, codiceſq. præterea manu ſcripti. Quo tempore autem martyrium is obierit, ſunt qui putant, Hunnerico, Vandalorum rege: at nihil nos certi affirmare poſſumus.

Tranſlatio s. Martini epiſcopi, et conf.) De quo pluribus ſcribemus die natali

ſuo,

ſuo, qui eſt tertio idus Nouemb. Verum illud notare hoc loco libuit, iam ferè ab initio, quo primum ſcilicet tempore, is ex hoc ſæculo abijt; illius nomine ſacras ædes in Gallia extructas eſſe, ut animaduertimus ex actis ueteris concilij, in illis celebrati, et ex uerſibus Sidonij Apollinaris. Porrò de illius tranſlatione multi ſcribunt, utpote Sigelbertus in chron. Odo Cluniacenſis, Guibertus Gemblacenſis, Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 14. et alij. Quæ tranſlatio ſolemniter acta dicitur ann. a Chr. nat. CCCCLXXII.

Sirmij.) De qua urbe aliàs quamquam diximus, quoniam tamen Smyrnenſium martyrum mentio crebro fit, ad illius Metropolis hiſtoriam addimus, quòd in Pannonia inferiori diœceſes illius epiſcopales hæ olim fuerunt, Murſiana, cuius epiſcopus Valens in hiſtoria tripartita dicitur, Singidonienſis, cuius epiſcopus Vrſatius, Cibalenſis, cuius epiſcopus Donatus Decio Imp. Carpenſis, cuius epiſcopus Secundus, eo ipſo tempore; Curtenſis, cuius epiſcopus Creſcens traditur: in Pannonia ſuperiori, Sabarienſis, Sacarbantinus, cui epiſcopus præfuit Quirinus, Philippo Imp. Vindobonenſis, cuius epiſcopatum, Iuſtiniano Imp. Mamertinus geſſit: in Pannonia Sauia Aemonenſius, cuius epiſcopus Maximus in ſynodo Aquilcienſi nominatur. Neuidunenſis Phiſcianus, cuius epiſcopus Marcus in Sardicenſi ſynodo fuiſſe ſcribitur. Iam uero Sirmienſis ea Metropolis, ab Stephano I. Hungariæ rege, regijs ſumptibus inſtaurata anno a Chr. nat. circiter M. hodie proſtrata iacet.

Beatorum martt. Innocentij, Sebaſtiæ, et Sociorum XXX.) Vſuardus, Ado, et Beda, qui, Sabbatiæ, non, Sebaſtiæ, ſcribit; ut nos etiam in codice, manu ſcripto, legimus: ſed, Sebaſtiæ, retinuimus, Vſuardum ſecuti.

s. Vldarici ep.) Quem Vlricum nonnulli, alij Vdalricum nominant. Eius uitam, a Bernone Augienſi olim litteris mandatam, Surius retulit in uolumen IV. de ſan. De eodem ſcribit Sigelbertus, in chr. et Surius item in comm. rer. in orbe geſt. quo loco fabulam, a Magdaburgenſibus affictam epiſtolæ ſanctiſſimi huius Paſtoris, erudite coarguit.

Tertio nonas Iulij.

s. Zoæ mart.) De qua a S. R. E. notarijs ſcriptum eſt in geſtis s. Sebaſtiani mart. tu uide Surium in tom. I. Eiuſdem meminit Vſuardus, et Beda item, qui pluribus rem totam exponit.

s. Domitij mart.) Vſuardus, Beda, et M. S. cod.

ss. martt. Agathonis, et Triphinæ.) Beda, et M. S.

ss. Marini, Theodoti, et Sodephæ martt.) Idem, ut ſupra.

s. Anſelmi ep.) Ex tabulis eccleſiæ Cantuarienſis. Illius uitam Edmundus monachus conſcripſit: meminit præterea Trithemius in lib. de eccl. ſcrip. et s. Antoninus in Chron par. 2. tit. 16. cap. 11. ac Beluacenſis item.

s. Vgonis abbatis.) s. Antoninus in chron par. 3. tit. 19. cap. 1. Trithemius item.

Pridie nonas Iulij.

Octaua ss. Apoſtolorum Petri, et Pauli.) Aliàs, Octauæ, ut in libro perantiquo ſcriptum eſt. Huius octauæ officium s. Gregorius in lib. Antiph. et Sacr. tradit: ac meminit præterea auctor Micrologi. cap. 44. Amalarius lib. 4. cap. 34. Beda item in mart. Porrò hæc octaua numeratur in maioribus, ut Tungrenſis ſcribit. prop. 19.

Eſaiæ prophetæ.) Cuius diem natalem agunt Græci, VII. Idus Maij. quo die

de eo multa in Horologio: Epiphanius in lib. de proph. et Iſidorus in lib. de pat. utr. teſt. nos uero hæc de illo narramus.

Iſaias, propheta, ciuis Hieroſolymitanus, in tribu Iuda, ex patre Amoz, nobili uiro natus, prophetiarum librum ſcripſit, quas diuino ſpiritu afflatus, quatuor ſub regibus, Ozia, Ioathan, Achaz, et Ezechia, pronunciauit tum contra Iudæam, et Hieroſolymam urbem, tum contra etiam gentes, Babylonias, Philiſtæas, Damaſcenas, Aegyptias, Idumæas, et Tyrias. In eo autem libro, quicquid uel ad rerum naturalium rationem, uel ad morum diſciplinam, uel ad diſſerendi uim, uel denique ad ſacrarum litterarum myſteria pertinens, poteſt aut hominum oratione exprimi, aut mente comprehendi; id omne is unus præter ceteros prophetas maxime complexus eſt ſumma hebraicæ dictionis elegantia: quod teſtimonium ei dat s. Hieronymus hebraici ſermonis litterate admodum peritus, et S. Auguſtinus item. De Chriſti autem Domini Aduentu, incarnatione, miraculis, prædicatione, uita, paſſione, morte, reſurrectione, et gloria, tot teſtimonia, eaq. ita præclara, atque adeo illuſtria protulit, ut ſanctorum Patrum, Hieronymi, et Auguſtini ſententia non de rebus futuris uaticinari, ſed de rebus iam geſtis hiſtoriam contexere, Euangeliſtæq. potius, quàm Prophetæ partes explere uideatur: nam et ſi de utroque regno, uno ſcilicet decem tribuum, et altero duarum, Iudæ, et Beniamin, multa prædixit, eaq. modo ſimul de utroque, modo de uno ſeparatim: eius tamen prophetia ad gentium uocationem, et Chriſti Domini Aduentum ſpectat. Neque uero ſolum primum Chriſti aduentum, uerum etiam ſecundum, nempe diem iudicij in ultima prophetiæ parte plane ſignificauit, ut ſcite, pieq. animaduertit S. Athanaſius in libro, qui inſcribitur ſynopſis. De eccleſia præterea longe plura prædixit, quàm reliqui omnes prophetæ: id quod docet s. Auguſtinus. Quàm plenus igitur myſterijs, quàm diuinus ſit Propheta Iſaias, cum ex multis intelligi licet, tum ex eo, quod cæleſtis ſapientiæ magiſter Chriſtus Dominus eum ſibi unum ex omnibus prophetis delegit, quem in ſynagoga publice legeret, atque exponeret. Accedit etiam, quod s. Ambroſius, cum ab Auguſtino conſuleretur, quem librum in primis ſibi legendum proponeret; Iſaiam reſpondit, quoniam præ ceteris, ſit Euangelij prænunciator apertior. Quid? quod uir doctiſſimus Thomas Haſſelbachius, in huius prophetæ myſterijs explicandis aſſidue uerſatus, unum et uiginti ipſos annos in explanando primo ſolum capitulo conſumpſit, conſcriptis ad id interpretationis genus quatuor, et uiginti libris. Hoc idem demonſtrare uidetur non Origenes ſolum, qui in hunc prophetam triginta uolumina ſcripſit, uerum etiam Cæſarienſis Euſebius, qui in ijs, quæ ad hiſtoriæ tantum explicationem attinent, commemorandis libros quindecim confecit. Omitto Didymum, Appolinarem, ceteroſq. græcos, qui in Iſaiæ Prophetia operam poſuerunt; uenio ad Latinos, quorum cum nemo, ante Hieronymi ætatem fuerit, qui, Victorino excepto, hoc opus aggredi uoluerit. ex eo facile cognoſci poteſt, quàm plenus myſterijs, ob eamq. cauſam explicatu difficilis hic Prophetiæ liber ſit, in quo uniuerſa Domini Sacramenta continentur. Quam rem totam quoniam s. Hieronymus uberius exponit; non eſt cur pluribus agatur. Alia præterea Iſaias ſcripſiſſe traditur; ut, uiſio eſt, quæ Ezechiæ regis Iudæ ſermones continet: ea autem eſſe putatur, quæ in hoc ipſo prophetiæ libro a trigeſimo ſexto uſque ad quatrageſimum caput, extat. Adſcribunt huic item Hebræi quidam prouerbiorum librum, Eccleſiaſtem, et canticum canticorum: quàm autem perſpicue, hac in re, ut in ceteris fallantur, id patrum omnium cõſenſu conſtat, et, Eccleſiæ in primis iudicio, quæ Salomonis nomine eos libros in diuinis, ſacriſq. litteris numerat. Eſt alius etiam liber, Anabaſis, Aſcenſio ſcilicet appellatus, qui ab hæreticis, quos Archonticos Epiphanius uocat, Iſaiæ nomine confictus, in apocryphis cenſetur; ut pote, qui multa contineat, falſa illa quidem et ridicula.

Huius libri s. Hieronymus aliquando meminit, ſæpe uero idem Epiphanius. Atque hæc quidem de prophetæ huius libris. Quod ad uitæ genus attinet, id ſane fuit, ut corpus multis ſæpe incommodis, laboribuſq. affixerit; tres annos pedibus etiam nudis inceſſerit, ut Origenes teſtatum reliquit. Moritur denique Iſaias Manaſſe impio rege; cuius iuſſu ſerra ferrea in duas partes diſſectus eſt. Necis cauſam duplicem et Latini, et Hebræi afferunt.

s. Tranquillini mart.) De quo in geſtis s. Sebaſtiani martyris ſcriptum eſt apud Surium tom. 1. et in Martyrologio præterea Vſuardi, Bedæ, Adonis, et aliorum.

Apud Confeſſionem.) Quæ uox frequens eſt in libro pontificali Damaſi Papæ, et in priſcis eccleſiæ monimentis: ut confeſſio s. Petri Apoſtoli: apud quam beata Zoa martyr orabat: confeſſio item s. Pauli, ut in Martyrologijs hodie legitur. Eſt porrò confeſſio, ut P. Vrbeuetanus exponit, locus ſub altari, ubi ille uel Apoſtolus, uel martyr, uel alius ſanctus conditus eſt, aut ubi colitur. Qui locus ab s. Auguſtino, aliquando martyrium, lib. 22. de ciu. Dei, et Memoria item ſæpius uocatur, ut, Memoriam glorioſiſſimi martyris Stephani frequentabant. Tu uide præterea interpretationem Onufrij.

s. Romuli ep. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ et Bergomenſis, et Brixienſis. De eo ſanè s. Antoninus par. 1. hiſt. et Volaterranus lib. 5. et 19. comm. Is porrò epiſcopus præfuit eccleſiæ Feſulanæ ann. a Chr. nat. circiter XLIX. Ab initio igitur ferè euangelij, Ieſu Chriſti fidem Feſulani amplexi ſunt.

s. Dominicæ uirg. et mart.) Ex Maurolyco: at copioſius explicauimus, prout è priſcis tabulis accepimus.

s. Goaris presb. et conf.) Beda, s. Antoninus, et M S. cod. ac demũ Surius in tom. 4.

s. Sexburgæ uiduæ.) Beda lib. 4. cap. 19. hiſt. Angl.

s. Athanaſij Monachi.) Qui præterea abbas præfuit monaſterio montis Athos, ut e græcis litteris cognouimus.

Nonis Iulij.

Beatorum martt. Nicoſtrati, Claudij, Caſtorij et Sociorum.) Fuit porrò Nicoſtratus, ut Beda ſcribit, protoſcrinius ſeu protoſcrinarius. Erant enim ſcrinia prætorij: quibus, qui præerat, princeps ſcriniorum, Tribunus ſcriniorum, Magiſter item ſcriniorum, uocabatur: cuius loco hodie eſt, Cancellarius, ſeu ſecretarius principis. De Nicoſtrato primicerio notariorum, et ſocijs martyribus narratum eſt in geſtis s. Sebaſtiani: quæ apud Surium legas licet: ac præterea apud Adonem, Vſuardum, Bedam, ceteroſq. id generis ſcriptores.

Dyrrachij.) Quæ Macedoniæ urbs, olim Epidamnus, hodie uulgo Durazzo nuncupata, CCXXM. paſſuum a Brundiſio diſtans, Metropolitano Theſſalonicenſi ſubiecta, olim religionis chriſtianæ diſciplina floruit.

ss. martt. Peregrini, Luciani, et Sociorum.) Quorum certamina, græcis litteris concelebrata, latine expoſuimus breuiter.

s. Pantæni.) Quem et pium, et doctum, laudat s. Hieronymus in lib. de eccl. ſcrip et in ep. ad Orat. Mag. Euſebius lib. 5. Hiſt. eccl. cap. 10. Origenes apud eundem lib. 6. cap. 13. Ruf. 15. Vſuardus, et ceteri, ſed Maurolycus Pantherium nominat, at non rectè, omnium iudicio.

ss. martt. Parrieni, Heraclij, Heliæ, et Sociorum.) Quorum nomina, et numerum ex tabulis græcis ſumpſimus, atque ex Beda item.

s. Apollonij ep.) Ex tabulis, et annalibus priſcis ciuitatis Brixienſis. fuit is quintus Brixiæ epiſcopus.

s. Nauiti ep.) Aliàs: s. Naniti, qui fuit epiſcopus item Tungrenſium.

s. Vilibaldi ep. et conſ.) Beda, et R.

Tranſlatio s. Thomæ ep. et mart.) Ex Calendario eccleſiæ Cantuarienſis.

s. Illidij ep.) Aliàs, Illadij: qui quartus fuit Aruernorum epiſcopus, ut perſpeximus ex catalogo apud Democharem lib. 2. de ſacriſ. Miſ.

Octauo idus Iulij.

ss. Aquilæ, et Priſcillæ.) Act. 18. Rom. 16. 1. cor. 16. 2. Tim. 4. Corinthi apud eum s. Paulus diuertit. De eo Clemens Alex lib. 7. Vſuardus, Beda in mart. et alij ſcribunt. Porrò ſunt, qui Acylam dici oportere putent.

s. Procopij mart.) Græci item hoc ipſo die, et Logotheta Simo in primis, qui concionem de eo ſcripſit: Euſebius item lib. 8. hiſt. eccl cap. 12. Nicephorus lib. 7. cap 15. Vſuardus, Ado, Beda, et MM. SS. Ex illius martyrio teſtimonium affertur in ſynodo œcumenica Nicæna poſteriori.

s. Pauli martyris.) M. S. cod.

s. Cyrilli diaconi, et mart.) Cuius martyrium exponit Caſſiodorus lib. 6. cap: 15. hiſt. trip.

s. Kyliani.) Quem Burcardus, primus Herbipolenſium epiſcopus, illius uita, et rebus ſanctiſſime, mirabiliter, diuineq. geſtis, plane, perſpicueq cognitis, a Pontifice Romano in ſanctos referri curauit. De eo Otho Phriſ. lib. 5. cap. 13. Maſſæus item, et Tabulæ ſanctorum Germaniæ.

s. Ampellij ep.) Aliàs, Ampelij, ſimplici L. ſcribitur, et rectius quidem. De eo pluribus in libro pergameno perueteri, manu exarato eccleſiæ Med.

Inuentio s. Quintini mart.) Tabulæ Aug.

Septimo idus Iulij.

s. Zenonis mart.) Romæ ſcilicet ad Guttam, iugiter manantem, ut ſcribit Vſuardus, hoc eſt, in regione tranſyberina ad ſanctæ Mariæ, fontis olei: qui fons, nato Chriſto Domino, e terra mirabiliter erupit. ut ſcribunt, Eutropius in hiſt. Rom. Oroſius lib. 6. cap. 17. et 19. Paulus Diac. Gotifredus Viterb. Ado Vien. Sabellicus, et ceteri. Porrò de s. Zenone, et Socijs memoriæ proditum eſt a S. R. E. notarijs: a quibus Vſuardus, et alij acceperunt.

Tauromeniæ.) Aliàs, Taurominij, quod uetuſtum eſt Siciliæ oppidum in agro Meſſanenſi, a Tauromenio fluuio appellatum, uulgò Cantarà.

s. Pancratij ep. et mart.) De quo Metaphraſtes in uita ss. Petri, et Pauli, Nicephorus lib. 2. hiſt. ecc. Vſuardus, et M. S.

s. Cyrilli ep.) Vſuardus, at Surius pluribus exponit illius martyrium in tomo 4.

Tyri.) Alias Thurij: quæ urbs, magnæ Græciæ nobiliſſima, ad Sinum Tarentinum ſita eſt.

ss. Anatholiæ, et Audacis.) Quorum martyrium pluribus Beda, ſed paucis Vſuardus exponit; Surius autem omnium copioſiſſime, prout e manu ſcripto uolumine accepit. Anatholiæ laudes s. Adhelelmus ep. exponit et uerſibus, et ſoluta oratione.

Martulæ.) Quam urbem Martulanam codex M. S. uocat.

s. Brixij.) Aliàs, Briuj, ut codices M. S. habent.

Gutta iugiter manans non est fons olei ad s.tæ Mariæ Transtiberim, sed ut [illegible] tradit ubi hodie est Sacellum, quod dicitur S.ta Maria Scala cæli iuxta Ecclesiam, quæ vulgo dicitur le tre fontane. In eo enim loco secundum antiquam traditionem passus est S. Zeno cum Socijs, et ibidem eorum asservantur reliquiæ [illegible] præcipui urbis Romæ Basilicis in cap. de Ecclesia ss. Vincentij et Anastasij ad tres fontes.

Sexto idus Iulij.

ſs. martyrum, Ianuarij, Felicis, et reliquorum fratrum.) De quibus ſcriptum eſt a S. R. E. notarijs; et a Surio in tom. 4. et a s. Gregorio in libro Sacramentorum, et Antiphonario. Ij Felicitatis filij fuerunt; alij ſeptem Symphoroſæ, de quibus aliàs ſcriptum eſt.

ſs. uirg. Rufinæ, et Secundæ.) Ado, Vſuardus, Beda, et Surius denique, quæ de ijs ſcripta ſunt, complexus eſt in tom. 4. Aldelmus item in lib. de Virginibus.

s. Phocæ ep. et mart.) Cuius diem natalem Græci celebrant XI. cal. Oct. ut in Horologio legimus: quo in libro pluribus narratur eius martyrium. Vſuardus autem meminit infra; nempe, pridie Idus. Extat de illo concio Aſterij, epiſcopi Amaſeæ, apud Metaphraſtem: tum aliqua narratio apud Adonem Viennenſem in Chron. an. CI.

Beatorum marttt Ianuarij, Marini, Naboris, et Felicis.) Vſuardus; at Beda præterea ſcribit, ſanctorum, Naboris, et Felicis, corpora ex Africa Mediolanum tranſlata eſſe: ſed ex eccleſiæ Mediolanenſis tabulis plane conſtat, eos in urbe Laude Pompeia, nece obita, martyrio coronatos, inde a Sabina matrona eò tranſlatos, ut infra, IV. Idus Iul. narramus. Hi porrò, nempe Nabor, et Felix, quorum hoc ipſo die mentio fit, alij ſunt ab illis duobus: quorum corpora Mediolani recondita ſunt.

ſs. martyrum, Leontij, Mauricij, Danielis, et Sociorum.) E græcis tabulis martyrium expreſſimus.

ſs. Vianoris, et Siluani martt.) Quorum martyrium e græco uolumine uertimus.

s. Amalbergæ uirginis.) De qua extat ſermo s. Radbodi ep. s. Amalbergæ autem uiduæ meminit Molanus in Indiculo Belgij.

Quinto idus Iulij.

s. Pij pont. et mart.) Qui martyrio coronatus eſt an. a Chr. nat. CLIV. Brutio, et Antonio Ruffino coſſ. De eo ſcribunt, s. Damaſus in Pont. cap. 11. Irenæus lib. 3. cap 3. Optatus Mileuitanus, s. Auguſtinus, Methodius in Chron. Euſebius hiſt. eccl. lib. 4. cap. 11. et in Chron. Nicephorus lib. 3. cap. 25. Iuo in Chron. Ado Vien. in chr. Haimo lib. 4. cap. 17. rer. mem. et alij rerum pontificalium ſcriptores, nos præterea in lib pontt.

ſs. Ianuarij, et Pelagiæ martt.) Beda, Vſuardus, Equilinus, et M. S. Cod.

s. Sidronij mart. et aliorum.) Vſuardus Sidronium ſolùm nominat: Liber autem ſcriptus habet item alios, nempe, Lucianum, Sauinum, et Cyprianum.

s. Maturiani.) Aliàs, Mariani: ſed, Martiniani, reponimus, ex lib. 1. Victoris: qui illius, et Maximæ coniugis egregia pro fide catholica certamina perſcribit.

s. Ioannis ep. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Bergomenſis, et ex diplomatis Impp. Caroli Magni, Caroli III. Ludouici, Beregarij; qui, illius ſanctiſſimi epiſcopi ſanctitate ducti, multa tribuerunt, ac donarunt eidem eccleſiæ.

s. Abundij presb. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Cordubenſis. Scribit de eo, ut ſolet, pie s. Eulogius lib. 3. cap. 12. Meminit item eiuſdem Vſuardus, VIII. idus huius menſis: ſed illius dies natalis hic ipſe eſt, quem idem Eulogius notat: ut in Hiſpania feſtum celebratur tertio Idus.

s. Dathi ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Rauennatis. De illo præterea narrat Rubius in ann. Rau.

s.

s. Sabini confeſ.) Ado, Vſuardus, et M. S. Cod.

s. Hidulphi ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Treuirenſis.

s. Ketilli confeſ.) Molanus.

Tranſlatio s. Benedicti Ab.) Quam tranſlationem multæ eccleſiæ celebrant, ut pote, Mediolanenſis, Cordubenſis, Conſtantienſis, et Curienſis, aliæq. item, ut ex earum tabulis animaduertimus. Porrò duæ illius tranſlationes extiterunt; ambæq. litterarum monimentis proditæ a Theodorico Teutonico, ordinis benedictini. Prioris tranſlationis meminerunt, Sigelbertus in Chron. Vſuardus, et Ado in Martyrologijs, Mattheus Palmerius in chr. Laziardus Cæleſtinus, Boſſius, Martinus Polonus, et alij præterea, quos ſilentio præterimus, ne rem longius faciamus, quàm oportet. Verum enimuero Leo monachus, ſcriptor annalium montis Caſſini, non deſtitit, locupletiſſimis teſtimonijs, et obſignatis ſummorum pontificum tabulis, alijſq. argumentis contra diſſerere, planeq. affirmare, illius ſanctiſſimi abbatis corpus, in monaſterio Caſſinenſi reconditum, inde tranſlatum non eſſe. Non deſunt tamen, ut Volaterranus, ceteriq. qui ſcribant, inde aliquando ad Floriacum monaſterium aſportatum, deinde aliquot poſt annis Caſſinum iterum tranſlatum eſſe. atque hæc quidem poſterior tranſlatio eſt, quam meminimus.

Quarto idus Iulij.

ss. Naboris, et Felicis martt.) Quorum baſilicæ mentionem aliquando facit s. Ambroſius ep. 85. Atqui de ijs præfatio Ambroſiana, tabulæ Mediolanenſes, Boninius, et Hilario monachus, ac Radulphus Tungrenſis præterea multis locis.

s. Hermagoræ ep. et mart.) Vſuardus, Beda, et alij. Illius, et Fortunati diaconi martyrium litteris mandauit Gregorius; is ſcilicet, qui eorum corpora ſepeliuit. Tu uero totam martyrij hiſtoriam legas licet apud Boninium. De eo ſcribunt præterea, s. Antoninus, Volaterranus comm. lib. 15. Sabellicus par. 4. lib. 3. de uet. Aquileiæ. Rubrius lib. 1. hiſt. Rau. et alij plerique. Sunt uero qui Hermacoram uocant. Martyrio coronatur. Imp. Nerone, Præſide Seuaſto.

s. Paulini ep. et mart.) Vſuardus, Caniſius, et M.S. cod. Alij Paulum nominant. Fuit autem is primus Epiſcopus Lucæ, quæ Hetruriæ ciuitas, ab euangelicæ prædicationis initio, fidei chriſtianæ præceptis imbuta, cum alios habuit epiſcopos, doctrinæ ſanctitatiſq laude claros, tum martyres etiam, nempe Hiacynthum, Quintum, Lucium, et Felicianum.

ss. Procli, et Hilarionis.) De ijs græci ſcribunt, a quibus accepimus.

s. Viuencioli.) Ex tabulis eccleſiæ Lugdunenſis, et Demochare item.

s. Ioannis Gualberti.) Ex litteris Pontificijs Cæleſtini Tertij, apud ordinem Vallis umbroſæ aſſeruatis. Illius uitam, a Blaſio Melanio, illius ordinis magiſtro, olim ſcriptam, Surius retulit in tomum IIII.

Tertio idus Iulij.

s. Anacleti pont et mar.) An. a Chr. nat. XCVI. C. Antiſtio, L. F. Vetere, et C. Iulio Valente Coſſ. Huius diem natalem Beda adſcribit ſexto cal. Maij: ceteri uero, ut nos, huic diei.

Ioelis, et Eſdræ prophetarum.) Vſuardus, et cod. M.S. Ioelis diem natalem agunt græci XIIII. cal. Nou. ut e Menologio, Horologioq animaduertimus.

s. Sylæ.) De quo ſcripſimus in notationibus, quas Dorothei ſynopſi adiunximus.

mus: relatum eſt etiam in acta App. cap. 15. 16. 17. 18.

Beatorum martt. Serapionis, Agathonis, et Serapij.) Ex Martyrologio ſcripto. Eorum martyrium pluribus exponit Artimauus monachus.

ss. Confeſſ. Euſebij ep. et Sociorum.) Vſuardus, et Victor. lib. 2. et 3. perſecut. Vand. et Gr. Tur. lib. 2. hiſt. cap. 3.

s. Turriani ep.) M. S. liber, et Vſuardus.

Pridie idus Iulij.

s. Euſtathij Bonauenturæ conf.) Ex litteris pontificijs Xyſti Quarti, quas apud Surium legas licet in tomo IV. De eo præclaram orationem habuit Octauianus Sueſſanus, quo tempore Xyſtus pont. illum ſanctorum numero adſcripſit.

s. Heraclæ ep.) Vſuardus, et M. S. Euſeb. præterea lib. 6. hiſt. ac Nicephorus.

s. Felicis ep.) Ex tabulis eccleſiæ Nouocomenſis, et libro M. S.

s. Optatiani.) Ex Dypticis epiſcoporum eccleſiæ Brixienſis, et annalibus Capreolij.

s. Iuſti.) Ex tabulis eccleſiæ Treuerenſis.

s. Baſini mart.) Ex calendario Truncinij monaſterij apud Gandauum, et ex Indiculo Belgij.

s. Marchelmi.) Qui Marcellinus etiam uocatur. De eo Molanus in Indiculo ſanctorum Belgij.

s. Liberti.) Alias, Lietberti: de quo Molanus ſcribit in Indiculo item Belgij.

Idibus Iulij.

Beatorum martt. Eutropij, Zoſimæ, et Bonoſæ.) Alias, Sozimæ, ut habet Vſuardus, et liber Cremonenſis, ſcriptus: ſed Zoſimæ, in pleriſque omnibus legitur.

ss. Philippi, Zenonis, Narſei, et infantum x.) Beda, Vſuardus, et M. S.

ss. martt. Florentij, Catalini.) Alias, Catilini: ſed in libris, recte exaratis, præſertim in Cremonenſi, ſcribitur, Catulini: in cuius die natali s. Auguſtinum ſermonem habuiſſe, Poſſidius aliquando narrat. Perperam uerò in aliquo codice legitur, Cilini.

s. Iacobi ep.) Niſibeni ſcilicet: de quo multa, diuine geſta, annalibus eccleſiaſticis prodita ſunt: quæ apud Theodoritum legimus.

s. Felicis ep. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Papienſis.

Decimo ſept. cal. Auguſti.

ss. martt. Pauli, Dionyſij, et Theoduli.) M. S cod.

s. Leonis Quarti, pont.) Cuius rerum, ſanctiſſime geſtarum, pleni ſunt libri Pontificales, eccleſiaſticiq. annales: nos uero de eo pluribus in uolumine notationum, quas Platinæ adiunximus.

s. Domnionis mart.) Ex tabulis eccleſiæ Bergomenſis.

s. Athenogenis ep. et mart.) De quo Metaphraſtes ſcribit: nos uero, quod in martyrologium retulimus, a græcis hauſimus: qui ei ſocios martyres adiungunt diſcipulos eiuſdem, decem.

s. Abundini mart.) Vt e grecis tabulis didicimus.

s. Fau-

s. Fauſti mart.) Ab eodem Græco fonte hauſimus.

s. Eugenij ep. et conf.) Emenda, Euſtachij, ut habet Vſuardus, et ceteri, martyrologij ſcriptores: alij legunt, Euſtathij: de quo ſcribunt, Caſſiodorus lib. 1. cap. 4. et lib. 2. Theodoritus lib. 1. cap. 7. et 20. hiſt. eccl. et Nicephorus item de illius ſacri corporis translatione.

s. Hilarini monachi.) De quo s. Terentianus in Martyrio ss Ioannis, et Pauli, Ado Treuerenſis, Vſuardus, ac plerique omnes item, qui ſcribendis martyrum rebus geſtis operam dederunt.

s. Siſennadi mart.) Ex tabulis eccleſiæ Cordubenſis. Porrò de eo pluribus ſcribit s. Eulogius in lib. 2. cap. 5. Mem. ſanct. Idem martyrio coronatur hoc die, qui fuit feria quincta, Ann. a Chr. nat. DCCCLI.

s. Marcellinæ uirg.) Cuius uitam nos in Breuiario Ambroſiano contexuimus ex libris s. Ambroſij fratris, qui illius ſæpe meminit, ut pote initio lib. de uirg. in orat. de obitu fratris, et in ep.

s. Valentini ep. et confeſſoris.) Quem martyrem plerique uocant. Hoc die in eccleſia græca celebritas cómemorationis agitur Patrum, qui ſingulis œcumenicis conciliis præſentes adfuerunt.

Decimo ſexto cal. Auguſti.

s. Alexij confeſ.) Ex Breuiario Romano. Illius porrò uitam, a Metaphraſte græce ſcriptam, Surius retulit in uolumen III. de ſanctis. Fit de eo ubique ex Rom. auct. ut ſcribit Radul. Tung. Quod uero in eius uita legitur, de imagine, a Chriſto Domino miſſa ad Abagarum, in apocryphis cenſetur, ut Gelaſius pont. in Concilio Romano ſanciuit.

Beatorum martyrum Scillitanorum.) De quibus ſermonem, quem Poſſidius teſtatur, s. Auguſtinus habuit. Eorum nomina ſcribunt Beda, et Vſuardus, a quibus nos illa in martyrologium retulimus. De translatione ſcriptum eſt a Pammelio, et Beda.

ss. Iuſtæ, et Rufinæ.) Ex tabulis Eccleſiæ Hiſpalenſis, et Saguntinæ, et reliquarum Hiſpaniæ. Earum martyrium, litteris a Ioanne Maldonato conſignatũ, apud Surium extat in tom. 4. die XIX. Iulij.

s. Marinæ uirginis.) De qua Græci in Horologio, et in Menologio. Sunt, qui putent hanc alio nomine Margaritam appellari: cuius dies natalis agitur XIII. cal. Auguſti.

s. Euodij epiſ.) Ex tabulis eccleſiæ Papienſis. Scribit de eo Paulus diaconus lib. 7. cap. 1. de geſt. long. et Iacobus item Guallius in lib. de epp. Pap. Hunc plerique Enodium uocant: qui de fide catholica ſcripſit ad Symmachum Pont. reliquit etiam alia ingenij, induſtriæq. ſuæ monimenta, ut pote libros uerſuum de uitis ſanctorum, ac præcipue epiſcoporum Mediolani, et libros præterea quinque epiſtolarum: quos extare cognouimus in bibliotheca Vienuenſi.

s. Theodoſij ep.) Ex tabulis eccleſiæ Antiſiodorenſis, et Demochare.

Decimo quinto cal. Auguſti.

s. Symphoroſæ, et filiorum VII.) Quorum diem natalem Ado Treuerenſis, Beda, et Vſuardus, adſcribunt, quincto cal. Iulij: nos uerò huic diei, auctoritatem Breuiarij Romani ſecuti. De ijs Beda copioſius, quàm ceteri, qui non pauci ſunt, qui

de

de illis ſcripſerunt, ut pote, Volaterranus lib. 19. comm. Sabellicus Enn. 7. lib. 4. Equilinus lib. 6. cap. 11. Hilario monachus, Mombritius par 2. de ſanct. Auctor Bergomenſis de claris mulieribus, et alij. Ii in martyrologijs nominantur Biothanati ſeptem; nempe ui necati: quod nomen fidei hoſtes chriſtianis hominibus obiectare ſolebant.

ss. martt. Petri, et Phaeli.) M. S. cod.

ss. Quindecim millium martt.) Ex tabulis eccleſiæ Cordubenſis, et cod. M. S.

ss. martt. Mauritii, et LXX. militum.) Ex M. S. et Metaphraſte, ut eſt apud Surium in tom. 4. de ſanct.

s. Guddenis uirg. et mart.) Vſuardus, Beda, et M. S.

s. Aemiliani mart.) Vſuardus, et tabulæ græcæ.

s. Materni ep. et conf.) Ex tabulis peruetuſtis Baſilicæ Ambroſianæ Mediolani. Meminit illius Beda. pluribus autem de eodem ſcriptum eſt in actis s. Fidelis mart. et s. Alexandri mart. Tu uide præterea Mombritium. Eſt præterea de illo præfatio Ambroſiana.

s. Philaſtrii ep.) Cuius aliquando meminit s. Auguſtinus. De eo multa prodita ſunt monumentis eccleſiæ Brixienſis, et in primis a s. Gaudentio, et Ramberto, Brixiæ epiſcopis. Tu præterea lege Surium.

s. Arnulphi ep.) De quo Vſuardus, XVI. cal. Sep. quo die translationis illius celebritas agitur. De eo Paulus Diaconus lib. 6. cap. 5. de geſt. Longob. et Molanus in libro, quem de epiſcopis Metenſis eccleſiæ ſcripſit.

s. Friderici ep. et mart.) Ex tabulis Traiectenſibus. Illius uitam, copioſe, luculenteq. explicatam leges apud Surium in tom. 4. de ſanct.

Decimo quarto cal. Auguſti.

s. Epaphræ ep.) s. Paulus col. 1. 4. et ad Philemonem.

ss. Iuſtæ et Rufinæ martt.) De quibus in notationibus diximus, XVI. cal. Aug.

s. Sperati mart. et ſociorum.) Quorum tamen dies natalis in eccleſia Lugdunenſi agitur ad XVI. cal. Aug.

s. Arſenij monachi.) H. in uitis Patrum, alphabeto 20. De Arſenio Metaphraſtes in unum collegit, quęcumque, litteris ad poſteritatem prodita, ſparſim diffuſa, legebantur.

s. Aureæ uirg. et mart.) Cuius uitam, et martyrium, uberius ſcripſit. s. Eulogius lib. 3. cap. ult. Mem. ſanct. Beata autem Aurea, coronatur ann. a Chr. nat. DCCCLVI. Erat autem non ſolum chriſtiana, uerum etiam ſacræ deuotionis inſignita ſtygmate, nempe uelo capitis; quod nigrum, aut rubrum, ut ex synodis Toletanis animaduerti licet, erat inſigne ſacrarum uirginum. Nigrum porrò his temporibus geſtant: triſtitiam ſignificantes de morte Chriſti Domini. Rubrum fortaſſe indicabat colorem ſanguinis etiam eius pretioſiſſimi, quo redempti ſumus.

s. Martini ep. et mart.) Qui decimus fuit ciuitatis Treuirenſis epiſcopus.

Hoc ipſo die in Græcia celebratur dies natalis Macrinæ uirginis: cuius uitam litteris mandauit Gregorius Nyſenus, frater.

Decimo tertio cal. Auguſti.

s. Margaritæ uirg. et mart.) Alias Marinæ, ut diximus, quo nomine etiam illius uita ſcribitur, in Breuiario Saguntinæ Eccleſiæ: ubi dies eius natalis agitur XV. cal. Iul.

Iul. quo die Vſuardus item de illa ſcribit. 1. Porrò Romana mater eccleſia,et Aquileienſis,et aliæ complures hoc die illius martyriũ cõcelebrant, licet aliæ alio certo die huius item menſis. Vita beatæ martyris Margaritæ ſcripta olim eſt,a quodam Theotimo: ſed hæc apocrypha cenſetur, ut ſcribit prop. 11. Radulphus Tungrenſis: qui eo loco teſtatur, ſe uidiſſe Romæ apud Lateranum,illam in apocryphis numeratam canone Gelaſij pont. in quo canone tamen hodie non extat. In græcis Metaphraſtes in ſermone de uita S. Marinæ initio eandem,ut male ſcriptã,reiicit. Ioannes præterea Heſſellius,nonnulla notat, quæ plane apocrypha ſunt. At uero illius uitam,præclare ab eodem Metaphraſte conſcriptam, legas licet apud Surium in tom. 4. Fit de ea ubique auctoritatę Breuiarij Romani.

s. Ioſephi Barſabæ.) Act. 1. De eo Dorotheus, noſq. in notationibus, illius libro per nos Romæ adiunctis.

ss. martt Iuliani,Sabini,Maximi,et aliorum.) Ex libro ſcripto.

ss. Luciani,Petri,Amabilis,et Nunnæ.) Beda,et M.S. cod.

s. Pauli Diaconi,et mart.) De quo ſcribit Eulogius multis locis in Mem. Sanctorum,ac præſertim lib. 2. cap. 6.

s. Vuilgefortis uirg.) Ex additionibus Molani.

Duodecimo cal. Auguſti.

s. Praxedis uirg.) Huius uirginis,et Potentianæ ſororis extant res geſtæ, manu ſcriptæ: quas Paſtor presbyter litteris conſignaſſe traditur. De illa relatum eſt a Beda,Vſuardo,et Adone in martyrologium,et in annales eccleſiaſticos ab Anaſtaſio Bibliothecario,a Martino Polono,et a ceteris: tum in libros pontificales a Damaſo,et a ceteris,eccleſiæ ſanctæ Romanæ ſcriptoribus. Sunt de ea in Antiphonario Gregoriano,permultæ antiphonæ.

Danielis proph.) De quo Græci in Menologio, et Horologio, ad 16. cal. Ian. Beda etiam,Vſuardus,et s. Hieronymus,prætereaq. Simeo Metaphraſtes, ac liber denique Danielis.

s. Eliæ Thesbitæ.) De quo Metaphraſtes ſermonem ſcripſit,qui eſt apud Suriũ.

s. Victoris mart. et ſociorum quattuor.) Vſuardus, s. Antoninus,et Breuiarium Cordubenſe.

s. Feliciani mart.) Ex tabulis eccleſiæ Cordubenſis.

s. Iuliæ uirg.et mart.) Vſuardus, Ado,et M. S. cod.

s. Arbogaſti ep. et conf.) Cuius,et Amandi item, ſanctorum Argentorati epiſcoporum,uita litteris primum mandata eſt ab Vthone,eiuſdem ciuitatis epiſcopo

Vndecimo cal. Auguſti.

s. Mariæ Magdalenæ.) De qua s. Lucas cap. 7. s. Matthæus, cap. 26. s. Ioannes, cap. 12. s. Gregorius in lib. Sacram. et hom. 32. euagn. s. Auguſtinus hom. 23. in illis,quæ quinquaginta numerantur; s. Bernardus habuit ſermonem; Petrus etiam Damianus alium,qui extat apud Surium; Radulphus item Ardentius in lib. ſerm. de ſanctis,Honorius Auguſtodunenſis. Silueſter Prieratus, ut eſt etiam apud Surium; Ianſenius in lib. Concordiæ euang. cap. 109. Sedulius præterea uerſus de beata Magdalena panxit. Græci item hoc ipſo die illius celebritatem ſolemniter agunt,ut ex Horologio,et Menologio perſpeximus. Quod uero in controuerſia ponitur a nonnulis, unaue, an duæ anq. tres Magdalenæ extiterint s. Ambroſius

lib.6.comm.in Luc. dici licere ſcribit,et unam fuiſſe, et plures. Sed ceteri; s. Auguſtinus,cap.9.lib.de conſ. Euang. s. Gregorius in hom. de Magdalena,Beda,Chriſtianus Druthmanus,Rabanus,et plerique alij, tum Odo Cluniacenſis in hymno, quem de illa fecit,affirmant,unam tantum fuiſſe. Quod igitur de tribus a pleriſquè contenditur, primò a Græcis, deinde a Iacobo Viennenſi, id tribus libris Ioannes, Roffenſis epiſcopus,pie docteq. refutauit.

s. Synthicæ.) s. Paulus in ep. ad Phil.cap.4. Vſuardus,et M. S. cod.

s. Platonis mart.) Synodus Nicæna 2. act. 4. et Metaphraſtes,Vſuardus, et liber ſcriptus.

s Cyrilli ep.) Ex Annalibus eccleſiaſticis,græce ſcriptis.

s. Menelei abb.) Vſuardus,et libri ſcripti. Alij legunt, Mene'ai.

Translatio s. Phocæ mart.) De quo ſcripſimus ad III. Non. Martij.

Decimo cal. Auguſti.

s. Apolinaris epiſ.) De quo in libro ſacramentorum s. Gregorij nihil extat:uerum in Antiphonario eiuſdem perantiquo officium totum: cuius etiam meminit auctor Micrologi cap.43. Porro de illius martyrio in ſacros codices S. R. E relatum eſt a notarijs: a quibus acceperunt Martyrologij ſcriptores, Ado Treuerenſis, Beda,Vſuardus,quod de eo,hoc die ſcripſerunt. Extant de eo ſermones,Petri Chryſologi unus,Petri Damiani tres,quos Lipomanus exſcripſit in uolumine viij. Illius uitam,ac res, diuine, mirificeq. geſtas,et martyrium, cum Surius ex priſcis martyrologijs, dilucide exſcripſit, tum Hieronymus Rubeus, qui in lib. 1. hiſt. Rau. de eo omnia perſecutus eſt diligentiſſime. Eſt item de illo Præfatio Ambroſiana, et hymnus item.

s. Primitiuæ uirg.) M. S. et Equilinus.

s. Raſyphi mart.) Ex Martyrologio Romano peruetere.

s. Brigittæ uiduæ) Quam uulgo Brigidam appellant. Huius uita copioſe admodum contexta eſt a Surio in tom.4. Sunt de ea item literæ pontificiæ et Bonifacij Noni,et Martini Quinti,in libris Reuelationum, Romæ editis.

s. Liborij ep.,et conſ.) Cuius uita, luculenter grauiterq. ſcripta, extat apud Surium in tom.4.

Nono cal. Auguſti.

Vigilia s. Iacobi Ap.) Beda, Concil. Lugdunenſe, et concil. Braccarenſe: ſed aliter Durantius ſcribit lib.6 cap.7.quo loco de uigilijs et ieiunijs copioſe diſſerit, et lib.7 cap.17 de Belethus item cap. 140.

s. Chriſtinæ uirg. et mart.) De qua alias ſcripſimus ad IIII Idus Maij: hoc autem die Vſuardus,et Beda item qui illius martyrium narrat ſane quidem copioſius. Meminit Chriſtinæ Tyriæ s. Auguſtinus in ps. 120. De martyrio præterea ſcribunt, s. Antoninus in chron.par.1. tit.8. cap.1. Mombrinus, et permulti, quorum alij, Diocletiano, alij, Adriano Imperatore, martyrium, pertuliſſe narrant.

ss. Victoris, Stercatij, et Antinogenis martt.) Vſuardus, et M. S.

ss. Octuaginta trium martt.) Ex Martyrologio ſcripto, et annalibus eccleſiaſticis latinis, atque Vſuardo item.

ss. uirginum,et martt. Nicetæ,et Aquilinæ.) Ex tabulis græcis,et libro ſcripto. De ijs Vincentius in ſpec. lib.13. cap.25.et Equilinus.

s. Leuui-

s. Leuuinæ mart.) De qua ſcribit Meierus in comm. de Fland.

s. Vrſicini ep.) Ex tabulis eccleſiæ Senonenſis.

Inuentio ss. marttt.) Domnonis, Domnionis, et Euſebiæ uirg.) Quæ inuentio a Franciſco, epiſcopo Bergomi, celebrata eſt ann. a Chr. nat. MCCCCI. ut ex libris antiquitatũ urbis Bergomi accepimus, et ex calendario item eccleſiæ Bergomenſis.

Octauo cal. Auguſti.

s. Iacobi Ap.) Qui, Zebedæi filius, Maior uocatus eſt, ut ſupra ſcripſimus, calendis Maij. Illius dies natalis incidit in hebdomadam ſanctam, ut pluribus oſtendit Petrus Damianus in libro, quem inſcripſit, Dominus uobiſcum, cap. XV. ſed quia ſacris eius hebdomadæ ferijs ille dies, ut par erat, coli non poterat; ad eius cultum eccleſia hunc diem ſtatuit, quo Compoſtellana eccleſia, ad quã illius Apoſtoli corpus, tranſlatum reconditur, ſolemniter dicata eſt: id quod multis Belethus ſcribit lib. de diu. off. cap. XII. et Durantius lib. 7. Euangelicis litteris de eo ſcriptum eſt Matth. 4. 20. 17. 26. Mar 1. 3. 5. Luc. 8. 9. Ioan. 21. in Act. Ap. 12. Eiuſdem meminerunt, Ignatius, ep. 3. Iſidorus in lib. de pat. utr. teſt. s. Clemens pont. lib. 7. Hyp. Euſebius lib. 2. cap. 9. hiſt. eccl. Auctor appendicis cap. 5. apud s. Hieronymum, lib. de uir. ill. Viterbienſis in chron. par. 14. s. Antoninus par. 1. tit. 6. Leo. II. et Calixtus item II. pontt. hic miracula, ille tranſlationem ſcripſiſſe putatur. Sunt præterea de eo ſermones, Honorij Auguſtodunenſis, Radulphi Ardentij, et aliorum. At ſermo Honorij totus fere eſt de tranſlatione: quæ hoc die celebratur. Porrò Græci diem feſtum huius Apoſtoli agunt pridie cal. Maij.

ss. Nemeſij, et Lucillæ, martt.) Quorũ corpora ſepulta ſunt a s. Stephano I. pont.

s. Chriſtophori mart.) Vſuardus, Honorius Auguſtodunenſis, Ruggerus Fuldenſis, s. Antoninus, Mombritius Boninus, Equilinus, et Surius: qui in uolumine 4. breui complexus eſt, quicquid latine, et græce de s. Chriſtophoro mart. memoriæ proditum eſt. Hiſtoria, quæ manu ſcripta, multis locis extat, de illius martyrio, magna ex parte conſentit cum martyrologio græco. De s. Chriſtophori pictura uide Molanum in lib. de pic.

Beatiſſimi Pauli mart.) Cuius mart. græcis litteris conſignatũ, latine expoſuimus.

s. Cucuphatis mart.) De quo Prudentius canit, Barcinon claro Cucufate freta. in hym. 4. de Cor. Eius martyrium exponunt planius, ac fuſius Ado hoc ipſo die, Bedaq. præterea pridie idus Feb. s. Antoninus in chron. par. 1. Vincentius, Mombrinus, ac denique Surius, qui ex antiquiſſimis martyrologijs librum de eo confecit.

s. Theodemiri monachi, et mart.) Hic fuit monachus Carmonenſis: de quo s. Eulogius ſcribit in lib. 2. cap. 6. Coronatur anno a Chr. nat. DCCCLI. die Sabbato.

s. Magnerici ep.) Ex tabulis eccleſiæ Treuerenſis. Illius uita, olim ab Eberuuino Abbate conſcripta, extat.

Translatio s. Germani.) Quæ ab Ebroino, Pictauorum epiſcopo, litteris mandata eſt, rogatu Caroli Calui regis.

Septimo cal. Auguſti.

s. Annæ.) In Martyrologio græco et conſtitutione item græca, de ferijs, inſcribitur, Dormitio ſanctæ Annæ, Deiparæ genitricis: cuius celebritatem græci agunt pridie huius diei, ut legimus in Menologio, et Liturgico: quibus ex libris apparet

feſti huius celebritas. De s. Anna Damaſcenus lib. 4. cap. 15. de fide, Epiphanius item, Fulbertus præterea Carnotenſis ſermonem habuit: et Trithemius opuſculum confecit. Eius nomine Iuſtinianus Imp. auguſtiſſimum, atque admirabile templum in urbe regionis ſecundæ extruxit, ut ſcribit Procopius.

s. Hiacynthi mart.) Beda, Vſuardus, ac denique Surius ex codicibus M. S. et antiquiſſimis martyrologijs.

ss. mart. Symphroni, Olympij, et ſociorum.) Quorum corpora ſepulta ſunt uia latina, ut ex ſcripto codice accepimus.

s. Eraſti.) Act. 19. Rom. 16. 2. Tim. 4. Is, et Eraſtes, et Eradius uocatus eſt: quẽ Apoſtolus arcarium ciuitatis aliquando nominat, non eum ſcilicet, qui fiſci publici curator eſſet, ſed Chriſtianorum ſolum, qui Corinthi manebant. Fuit Epiſcopus, ut pleriſque placet, non Meiadi, ſed Philippenſium, ut ex omni martyrologio conſtat.

s. Valentij ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Veronenſis: in quibus ſcribitur, s. Valens.

s. Simeonis monachi.) In Monaſterio s. Benedicti Mantuæ. Illius uitam, reſq; ſanctè actas, ſcribit Hilario monachus.

Sexto cal. Auguſti.

s. Pantaleonis martir.) Quem græci Panteleemonem dicunt, alij Pantoleonem ſeu Pantaleonem. De eo in Menologio græci pluribus ſcribunt, et Metaphraſtes in primis: cuius de hoc martyre ſcriptio extat apud Surium in tom. 4. Latini præterea, Vſuardus, s. Antoninus, Vincentius, Hilario, Equilinus, et Boninius. Nos uero e græco codice accepimus, quod de illo in martyrologium breui retulimus.

ss. martt. Iuſti, et Rufini.) Ex libro ſcripto, et tabulis Nicolai monachi.

ss. ſeptem Dormientium.) Puerorum, ut ſcribit Nicephorus: qui librum de ijs conſcripſit. Hiſtoria primum, syriace de illis ſcripta, latine a Gregorio Turonenſe reddita eſt, adhibito interprete Syro, ut animaduertimus ex libro eius de gloria mart. cap. 95. quo capite omnis huius generis narratio exponitur. Metaphraſtes uero commentarios de ſeptem adoloſcentulis, qui Epheſi dormierunt, græce cõfecit, quos, latine redditos, legas licet apud Surium in tom. 4.

ss. martt. Aurelij, Sabigothonis, Felicis, et Lilioſæ.) De ijs copioſe admodum, ac pie ſcribit s. Eulogius in lib. 2. cap. 10. Mem. ſanct. Horum diem natalem, Surius, Equilinus, et Vſuardus adſcribunt ſexto cal. Septembris; noſq. itidem, illos ſecuti, copioſius illo, quàm hoc die, de ijs ſcripſimus. uerum, ſi Eulogium, quem illorum martyrij ſpectatorem, ſequi debemus, audimus, nõ rectè illi, neque nos, diem et menſem, eorum martyrio tribuimus. Quòd uerò Surius, et Vſuardus, Nataliam, non Sabigothonem, s. Aurelij uxorem nominat, hoc, ut cetera multa, longe diuerſum eſt a narratione s. Eulogij, ut rectè notat Ambroſius Monalius.

s. Frominij ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Metenſis.

Quinto cal. Auguſti.

s. Victoris pont. et mart.) De quo fit ex conſtitutione Gregorij VII. cuius meminit auctor Micrologi. Is primus latine de Chriſtiana religione ſcripſiſſe traditur. Eius extant epiſtolæ duæ, una parænetica ad Afros, altera ad Theophilum, epiſcopum Alexandriæ, illius ſcilicet, quæ Aſiæ eſt, non quæ Africæ, aut Aegypti, ut con-

ut contra Magdaburgenſes Turrianus erudite diſſerit. Beda illius martyrium adſcribit XII. cal. Maij; ſed huic diei, ceteri, et præſertim pontificalium rerũ ſcriptores.

s. Innocentij pont. et confeſſoris.) Aliàs, martyris, ut in Martyrologio Romano legitur. Quo nomine is fortaſſe appellatus eſt ob admirabilem uirtutem, ſummamq. conſtantiam, cum martyrum fortitudine comparandam, quam in omni pro fidei defenſione, proq. eccleſia tuenda certamine præſtitit, ut res eius geſtæ indicant. Præclarumq ei teſtimonium dant magni patres, Baſilius in epiſtolis, quas græce ad illum ſcriptas habemus; Chryſoſtomus, Palladius Hellenopolitanus, illius diſcipulus, Theophilus Alexandrinus; s. Hieronymus in ep. ad Demetriadem; s. Auguſtinus in multis epiſtolis, et in lib. contra Iulianum; Patres præterea concilij Carthaginienſis, et Mileuitani. Quàm inuicto, uereq. Pontificio animo Chryſoſtomi cauſam contra Arcadium Imp. et Eudoxiam Auguſtam ſuſceperit, teſtantur annales eccleſiaſtici. Sed de s. Innocentio pont. alio loco pluribus.

ss. martt. Nazarij, et Celſi.) De quibus ſermo ult. s. Ambroſij, Præfatio item Ambroſiana, et tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis, Paulinus præterea in uita eiuſdem s. Ambroſij.

s. Sampſonis ep. et confeſ.) Vſuardus, et M. S. eod. et Sigelbertus in chronicis. Eius uitã olim ſcripſit Baldricus, epiſcopus Dolenſis, et s. Antoninus breuiter itẽ.

s. Peregrini presb. et confeſ.) Ex Breuiario, alijſq. tabulis eccleſiæ Lugdunenſis, et Vſuardo, et libro ſcripto.

s. Vrſi confeſ.) Gregorius Tur. in lib. de uita pat. cap. 18. et M. S.

Quarto cal. Auguſti.

s. Marthæ uirg.) Luc. cap. 10. Ioan. 10. Illius uita a Marcella, pediſſequa ſua, hebraice ſcripta, a Syntico latine reddita, dicitur. Eſt aliquid de ea ſcriptum in Chronicis a ſancto Antonino par. 1. tit. 6. ab Equilino, a Caniſio in Martyrologio, ab Vſuardo item.

ss. uirginum Lucillæ, et Floræ, Eugenij, et Sociorum.) Ex libro ſcripto, et tabulis eccleſiaſticorum annalium, ex ſermone item Petri Damiani, XX. qui, manu ſcriptus, extat.

s. Felicis pontificis, et martyris.) Qui a Conſtantio Auguſto ob Catholicæ fidei defenſionem, e ſede ſua pulſus, et gladio necatus, glorioſe occubuit: Ita ſcriptum eſt in Martyrologio Vſuardi, et in libris perantiquis, manu exaratis: ſed in libro ſacramentorum, qui s. Gregorij nomine inſcribitur, ſic litteris conſignatum extat, Natale s. Felicis epiſcopi, et martyris: at in Antiphonario, Natale s. Felicis, ut Micrologi auctor etiam habet, cap. 43. nulla mentione facta neque pontificis, nec martyris. Porrò in orationibus, quæ in libro ſacramentorum de eo dicuntur, is martyr tantum nominatur; ſed pontificem extitiſſe, nempe Felicem II. ex Micrologi eo capite animaduertimus: quo teſtatum ſit, a Gregorio VII. inſtitutum eſſe, de pontificibus Romanis martyribus fieri ſolemniter; et, a Gregorio I. pont. pontificalia inſtituiſſe officia de his martyribus, ut de s. Marcello, et s. Felice.

ss. martt. Simplicij, Fauſtini, et Beatricis.) Quorum officium habet liber antiphonarius, et liber ſacramentorum, s. Gregorij. De Beatrice litteris proditum eſt a Protonotarijs S. R. E. in geſtis Anthimi, quæ apud Surium extant in tom. 3. De ijſdem præterea ſcribunt, Vſuardus, Beda, Boninus in par. 2. de ſanct.

s. Theodotæ mart. et filiorum.) Ex tabulis græcis.

s. Callinici mart.) De quo Metaphraſtes ſcripſit græce: tu uero uide Surium.

s. Olai regis, et mart.) Qui martyrium pertulit an. a Chr. nat. MXXIIX.

s. Ludi

s. Lupi ep. et conf.) Cujus, et Germani item acta, Gildas Albanius ſcripſiſſe traditur. Eius uitam legas licet in tomo 4. apud Surium, qui illam contexuit ex uoluminibus antiquis manu exaratis. De s. Lupo Trecenſi præterea ſcribit Beda lib. 1. hiſt. cap. 17. Gr. Turonenſis. cap. 67. 68. in lib de gloria confeſſ. Sidonius lib. 6. ep. 1. et lib. 7. ep. 13. Vſuardus item, Ado, et reliqui in libris Martyrologij.

s. Vrſi ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Altiſſiodorenſis, et Demochare.

s. Gulielmi ep. et conf.) Ex litteris pontificijs Innocentij III I. Tu uero uitam illius, quam Godofridus Caluus, Archiepiſcopus Bituricenſis, ſcripſit, lege apud Surium in tomo. 4.

Tertio cal. Auguſti.

ss. Abdon, et Sennen martt.) In libro ſacramentorum, et Antiphonario s. Gregorij Papæ. Eorum martyrium ſcripſit Quirinus Subdiaconus, breui Vſuardus, at fuſe Mombritius. De his fit ubique ex Romana auctoritate, inquit Tungrenſis.

ss. uirginum, et martt. Maximæ, Donatillæ, et Secundæ.) Vſuardus, at copioſius Ado, ut legi licet apud Lipomanum, et Surium.

s. Rufini mart.) De cuius miraculis narrat P. Damianus in ſermone, quem de illo habuit: extat præterea hymnus apud Surium, et Lipomanum, in tom. 8.

s. Brunolphi ep. et conf.) Ex tabulis annalium Suetiæ.

Tranſlatio s. Alexandri mart.) Quæ ab Adalberto, Bergomi epiſcopo, celebrata eſt, anno a Chriſto nato c c x x. ut proditum eſt annalibus illius ciuitatis.

Pridie cal. Auguſti.

s. Calimeri ep. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ et Mediolanenſis, et Brixienſis. Extat de eo præterea præfatio Ambroſiana: et mentio fit in canone Miſſ. Amb. Ex monimentis uero eiuſdem Ambroſianæ eccleſiæ peruetuſtis nos illius actiones acceptas, ſplendidius latine reddidimus martyrio coronatus dicitur Adriano Imp.

s. Fabij mart.) De quo Vſuardus, at Beda, Adoq. Treuirenſis copioſius ſcribunt.

In Africa.) Quæ, ut s. Auguſtinus aliquando teſtatum facit, ſanctorum martyrum corporibus plena eſt: quos etiam pene innumerabiles in noſtrum Martyrologium retulimus.

ss. martt. Democriti, Secundi, Dionyſij, et Thyrſi.) Hunc, quem ultimo loco commemorauimus, Vſuardus non habet; Beda uero habet.

s. Germani ep.) De quo, ſi recte commeminimus, alias ſcripſimus: Fit præterea eius mentio in uita s. Caſſiani ep. Imol. et apud Paulum diaconum lib. 5. cap.

s. Fantini conf.) Quem Sanctinum alij nominant: de eo proditum eſt monimentis eccleſiæ ſyracuſanæ.

Calendis Auguſti.

s. Petri ad uincula.) Vt in libro ſacramentorum, et Antiphonario, s. Gregorij, ſcriptum eſt. Huius celebritatis inſtitutionem exponunt, Sicardus Cremonenſis, Belethus in lib. diu. off cap 141. Durantius lib. 7. diu. off. cap. 19. Honorius presbyter, Auguſtodunenſis, in ſer. de uinculis s. Petri, Beda in ſermone, quem legas licet in uolumine homil. doct. Porrò dies uinculorum s. Petri, cadit in hebdomadā ſanctam,

ſanctam, ut Petrus Damianus ſcribit; ad hunc tamen diem ſancta eccleſia celebritatem tranſtulit. De cathenis, et gladio s. Petri encomium Chryſoſtomi extat apud Metaphraſtem, ut eſt apud Surium item: Scribit præterea s. Gregorius lib 1. ep. 30. et lib. 2. cap. 72. et s. Hieron in ep. ad Euſtochium. et patres in acta ap. cap. 12.

ss. Fratrum Macchabæorum.) De quibus lib 2. Mac. cap. 7. s. Aug. de ciu. Dei lib. 18. cap. 36. s. Hieronymus de uir. ill. cap. 23. s. Chryſoſt. in hom. quam in eorum die natali dixit, s. Leo Papa in ler. s. Gr. Nazianzenus in conc. 21. s. Bern. in ep. 98. s. Ambroſius lib. 2. cap. 10. de Iacob. Euſeb. Emiſenus in hom. 7. Tu uero hæc omnia, de illis ſcripta, in unum collecta, uide apud Lipomanum in Epitome de uit. ſanct. Hunc uero anniuerſarium, eorum diem feſtum, diuinis officijs colit eccleſia Ambroſiana, et Græca item iam ferè ab initio prædicationis Euangelij, ut ex concione Nazianzeni animaduertimus.

Beatorum martt. noni presbyteri, Fauſti, Mauri, et ſotiorum.) Quorum martyrium relatum eſt in acta Stephani papæ. De ijs item ſcribit Vſuardus.

ss. Trium uirginum, Elpis, Piſtis, Agapæ.) Ex tabulis eccleſiæ Mediolanenſis, atque ex Metaphraſte, quem tu lege apud Surium in tom. 4.

ss. martt. Cyrilli, Aquilæ, et ſociorum.) Vſuardus, et cod. M. S.

ss. Nouem martyrum, Leontini, Atti, et reliquorum.) Horum ſane martyrium exponunt Græci in Horologio.

s. Felicis mart.) Leuita quidam, qui in illius martyrio præſens adfuit, ſcripſit res eiuſdem geſtas. De eo preterea Vſuardus breuiter, ac Beda item: ſed pluribus Ado Treuirenſis, ut eſt etiam apud Surium, et Gregorius Tur. cap. 92. in lib. de glor. mart. Equilinus, Vincentius, et Eulogius in lib. 1. cap. 1. de mem. martt. Tabulæ præterea eccleſiæ Gerundenſis.

s. Euſebij ep.) Adde, et martyris, ut perſpicue cognoſci licet eum ex multis, tum maxime ex priſcis monimentis eccleſiæ Vercellenſis: quæ ſane ſtudioſe nos perſpeximus, quo tempore illius, et aliorum ſanctorum epiſcoporum Vercellenſium uitam conſcripſimus, ac de iiſdem officium diuinarum precum horarium confecimus. Nec uero eſt, cur in poſterum quis dubitet, confeſſorumne, an martyrum numero is adſcribatur, cum ex certiſſimis tabulis res ipſa conſtet. Porro s. Euſebij Vercellenſis meminerunt, s. Hieronymus in lib. de ſcrip. eccl. in ep. contra Vigilantium, et in lib. contra Luciferianos, s. Ambroſius in ep. 82. s Hilarius, Sulpitius Seuerus in lib. 2. hiſt. Gennadius, Lucifer Caralitanus, Rufinus lib. 10. cap. 30. Nicephorus, Caſſiodorus lib 5. cap. 26. et lib. 6. cap. 19. et 23. hiſt. trip. s. Antoninus in chronicis par. 2. Extant de eo ſermones duo a s. Maximo Taurinenſi habiti; tertius præterea in libris s. Ambroſij, quem pleriquè illius eſſe negant, ſed contra teſtantur priſcæ tabulæ eccleſiæ Mediolanenſis. Iam uero illius uitam fuſe admodum ſcripſit Boninius. Tu præterea epiſtolam, eccleſiæ Vercellenſi ab eo in exilio ſcriptam, quam nos, in archiuio Vercellenſi antiquis litteris exaratam, uidimus, lege apud Surium in tom. 4. Commentarius autem, ad pſalmorum interpretationem ab eo editus, quem teſtatum facit s. Hieronymus, nullus hodie extat.

s. Veri epiſ.) Ex tabulis eccleſiæ Viennenſis, et Democtare.

s. Nemeſij conf.) Cod. M. S. et Vſuardus.

s. Ethelwoldi ep.) Cuius uitam olim litteris conſignauit Vuolſtanus monachus: tu eandem, breui enarratam, lege apud Surium in tom. 4.

Quarto nonas Auguſti.

s. Stephani pont. et mart.) Ad quem s. Cyprianus ſcripſit epiſtolas duas: quarum una in lib. 2. altera in libro 3. extat. Illius acta, primum à S. R. E. Notarijs

con-

conſcripta,plurimorum martyrum,ut pote,Nemeſij,et Lucillæ,Olympij,Exuperij, aliorumq. nobilia,pro fide certamina,habent: quæ ferè de uerbo ad uerbum,Ado, Vſuardus,et Beda in martyrologium tranſtuleru nt. De eo græce ſcribit Metaphraſtes: cuius concionem Surius exſcripſit in uol. IV. Meminit præterea s. Hieronymus in lib. contra Luciferianos; Vincentius Lirinenſis in lib. contra hær. cap. 9. s. Damaſus,et ceteri,rerum pontificalium ſcriptores. De illo,horarium precum officium exponitur in Antiphonario s. Gregorij, et in lib. ſacramentorum.

s. Maximi ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Patauinæ. Is in ſancti Proſdocimi, qui primus epiſcopus ei eccleſiæ præfuit,electus, epiſcopatum ſuſcepit anno a Chr. nat. C. X L I. geſſit annos XXV. Sed Scardonius pluribus in lib. 2. annalium Pat.

s. Betharii ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Carnutenſis.

Tertio nonas Auguſti.

Inuentio s. Stephani Protomartyris.) Et aliorum martyrum, ut in Calendario Radulphus ſcribit. De qua inuentione fit ubique. Porrò hoc die,qui eſt III. nonas,beatus Stephanus martyrium pertulit,ut cognoſci poteſt ex latinorum, et græcorum litteris: ſed ob multas rationes, quas et Sicardus, et Belethus, et Durantius cribunt, eccleſia martyrii celebritatem tranſtulit ad VII. cal. Ianuarii: quo die ſacræ illius reliquiæ inuentæ,translatæue ſunt. De qua inuentione relatio Luciani presbyteri paſſim in omni eccleſia,et latine,et græce legitur. Nam græci hoc ipſo item die celebrant inuentionem,translationemue s. Protomartyris Stephani. Porrò extat illa relatio, in ſermonibus s. Auguſtini impreſſa; quam olim Oroſius presbyter, e Hieroſolyma in Africam cum protomartyris reliquiis detulit. Luciani autem reuelationis liber probatur,cum illius meminerit, et s. Auguſtinus in tract. 120. in Ioannem; et Beda in retractationibus in Acta ap. et Gennadius in lib. de ſcrip. eccl. dum ſcribit,de Luciano, Auito, et Oroſio. Tu uerò uide etiam Surium in tomo 4. et ſermones s. Auguſtini,nuper impreſſos.

s. Hermelli mart.) Vſuardus, Beda,et M. S. lib.

s. Gaudentii ep.) De quo alias ſcripſimus,ut accepimus ex tabulis eccleſiæ Nouarienſis.

s. Euphronij ep.) Ex martyrologio Rom. et tabulis eccleſiæ Auguſtodunenſis. De illo præterea Gr. Turonicus lib. 2. cap. 15. hiſt. Franc.

Pridie Nonas Auguſti.

s. Iuſtini presb. et mart.) Quem eccleſia Leodienſis in ſua collecta epiſcopū facit, ſed presbyterum,et eccleſiæ Romanæ monimenta,et omnes antiquitatis tabulæ illum exponunt. De eo ſcriptum eſt in geſtis s. Laurentij,et ſociorum.

s. Tertullini presb. et mart.) Vſuardus,ac Beda uberius, et M. S. cod. et liber geſtorum s. Stephani papæ.

s. Perpetuæ.) Ex tabulis eccleſiæ Mediolanenſis,et libro in primis peruetuſto, manu exarato,et præfatione Ambroſiana.

s. Ariſtarchi.) ep. ad colos cap. 4. Act. ap. cap. 19. 20. De eo præterea ſcripſimus, in noſtris notationibus Dorothei Synopſi adiunctis.

s. Protaſij mart.) Ex calendario perantiquo eccleſiæ Colonienſis.

s. Deſiderii epiſ. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Viennenſis. De eo præterea Sigebertus, in Chronicis.

S. Aga-

s. Agabij ep. et conf.) Aliàs Agapij,ut in tabula lapidea, Veronæ legitur. De eo præterea in conſtitutione synodali eccleſiæ Veronenſis.

s. Valentini ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Patauienſis in Noricis. Tu uero lege eius uitam,a Surio contextam e libris antiquis.

s. Euphronij ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Turonenſis,et Demochare. Scribit de eo Gr. Turonicus,qui in epiſcopatum proxime ſucceſſit,multis locis, utpote in lib.10.cap.13. hiſt.fr. in lib.de gl.conf. cap.18.19.20.

s. Dominici conf.) De quo multi ſcripſerunt. Tu uero apud Surium legas licet libros octo,de illo conſcriptos a Theodorico Apoldio,Teutonico.

Nonis Auguſti.

s. Mariæ ad Niues dedicatio.) Ex tabulis antiquis ſacroſanctæ eccleſiæ Romanæ,et litteris Pij II. pont. in marmore inciſis,quæ extant in baſilica s.Mariæ maioris. Vbique fit ex Breuiarij Romani auctoritate.

s. Ionij mart.) Ex calendario eccleſiæ Pariſienſis, et martyrologio ſcripto. Illius martyrium pluribus narrat Boninius,et Vincentius item.

s. Mennij ep.) Ex tabulis epiſcoporum Tungrenſium, et Cathalanenſium. Is eccleſiæ Cathalanenſi epiſcopus præfuit an. a Chr. nat. LIIX. Scribit de eo Volateranus lib.17.comm. s. Antoninus in chr. par.1. Equilinus, et Iſingrinius.

s. Afræ mart.et ſociarum.) Vſuardus,et ceteri. Illius res geſtæ,e libris antiquis collectæ,extant apud Surium in tom.4. De eius,et ſociarum ſacris reliquijs, extat epiſtola Nicolai I. pont. ad Tadonem Archiep. Med.

s. Emydij ep.et mart.) Aliàs Emygdij, Ex tabulis eccleſiæ Aſculanæ, in agro Piceno,

s. Caſſiani ep. et conf.) Vſuardus,et M. S. cod. Illius meminit etiam Gr. Turonicus in lib.de gl.conf.cap.79.

s. Vſualdi Regis.) De quo pluribus Beda in lib.3.et 4. cap. 4. hiſt. Anglorum, et alij item. Tu uero uide Surium in tom.4.

Octauo idus Auguſti.

Transfiguratio) Mat. cap.16. Mar.9. et Luc.itidem. De cuius Transfigurationis celebritate Sicardus epiſcopus Cremonenſis ſcribit in libro, quē Mitralem uocant,et Durandus,illum ſecutus lib.7.cap 22. de diuinis,officijs, Belethus item cap. 144. Quod igitur,a Mattheo Palmerio,et Bartholomæo Platina annalibus proditum eſt,illam ab Calixto III. pontifice maximo, iam tum primum inſtitutam eſſe, cum ad Belgiadum,uel Taurinum oppidum,uictoria a noſtris parta eſt; illud fortaſſe in eam ſententiam interpretemur licet,ut ob illius uictoriæ beneficium, quod hoc ipſo die a Deo,patre miſericordiarum, reip. Chriſtianæ tributum eſt, eam ſolemnius agi decreuerit,anniuerſario diuinorum officiorum cultu, ab ſe uel inſtituto,uel aucto. nam ex illorum teſtimonio,qui Calixti pontificis tempora longe præceſſerunt, eius celebritatis inſtitutionem multo ante extitiſſe animaduertimus. Quam opinionem ualde confirmare uidentur patrnm græcorum conciones, de transfiguratione Domini habitæ,exq. ſunt Cyrilli epiſcopi Alexandrini, Andreæ epiſcopi Cretenſis,Baſilij Seleuciæ,et Ephrem Edeſſeni,qui patres iam inde ab naſcente ferè,aut adulta eccleſia floruerunt. Eſt præterea hæc ſolemnitas, huic diei adſcripta in ueteri conſtitutione græca de ſerijs,itidemq. in græco uolumine,quod

Menologium dicunt, magno precum, diuiniq. officij ritu celebrata. Accedit, quod Syri, qui Chriſtianam fidem colunt, multis ante Calixti pontificatum ſeculis, illam feſto cultu uenerantur. Quæ omnia argumentum afferunt, quo probabile fit, quod propoſuimus; huius ſcilicet, celebritatis inſtitutionem longe antiquiſſimam eſſe, ab omniq. eccleſia occidentali, et orientali concelebratam. Id notare libuit; ut aliquid in medium afferramus, quod pijs ad ueterum inſtitutorum ſplendorem uſui eſſe poſſet. Vt uero res eſt, facile cognoſcetur ex editis, eo nomine litteris eiuſdem Calixti, ſummi pontificis: cuius ſacroſanctam auctoritatem colimus. At uero, quo die transfiguratio Domini extiterit, multi quærunt. Durandus in ea opinione eſt, ut ineunte uere factam putet, aliquot ſcilicet ante diebus, quàm cruci Chriſtus redemptor affixus, mortem obierit. quam ſane rem oſtendit ſancta mater eccleſia Romana: ex cuius inſtituto et ritu, illud de hoc myſterio euangelium in Miſſæ ſacrificio legitur altera quadrageſimæ hebdomada. Qui igitur, ut Glicæ annalibus proditum eſt, contentioſe diſceptant, eam magna illa quarta feria factam eſſe, illorũ ratio parum probabilis uidetur. quoniam in monte Thabore cũ ea facta ſit, et Dominus Hieroſolymæ, in magna illa quarta feria, domi Simonis Leproſi conuiua fuerit, ex hoc ſane perſpicuum fit nón ea quarta feria, ſed alio die factam eſſe: quippe cum is mons ab urbe Hieroſolyma iter bidui abſit. Hoc autem die, qui eſt VIII. Idus Auguſti, myſterium transfigurationis ab uniuerſa eccleſia celebratur: quoniam cum Dominus uetuerit, diſcipulos de ea quicquam in uulgus dicere, antequam a mortuis is reſurrexiſſet, hoc die ab illis diuulgatam eſſe tradunt.

s. Xyſti.) De quo s. Cyprianus ep. 82. s. Ambroſius lib 1. officiorum cap. 41. Notarij Romani, in actis beati Laurentij, et s. Maximus, Honorius Auguſtodunenſis ac reliqui in ſermone de eodem beat. Laur. Damaſus in lib pontificum cap. 25. Prudentius hym. 2. de cor. Martinus Pol cap. 26. Euſeb. Cæſ. hiſt. eccl. lib. 7. cap. 4. et 21. Nicephorus, et in Chronologia, et in hiſt. eccl. lib 6. cap. 34. s. Hieronymus in Lib. de eccl. ſcrip. Beda, Vſuardus, Ado, et alij martyrologij ſcriptores. De eo præterea in Gregoriano libro Sacramentorum.

Per litteras) De quibus apud Euſebium hiſt. eccl. lib. 7. Binas autem eàs extitiſſe, s. Hieronymus meminit lib. de eccl. ſcript.

Apud Valerianum accuſatus.) Quo Imperatore, martyrium obijt, M. Aurelio Memmio. Tuſco, et Pomponio Baſſo conſulibus. Anno Chriſti Domini 261. ut alijs placet, 259 Indictione 7. die Sabbato. Sed eſt, cur rem longius exponamus, quoniam de tempore, quo Beatus Xyſtus martyrium ſubijt, eſt aliqua ſcriptorum cõtrouerſia. Marianus, Scotus, illius martyrium extitiſſe ſcribit Decio Imperatore, alij, Valeriano, Certe ſi multi præfecti fuerunt, ut beatus Cyprianus in epiſtola de beati Xyſti martyrio ſcribit, qui perſecutioni in urbe inſtiſtent, Decium unum ex illis fuiſſe opinari licet, ex cuius decreto hic pontifex necem pro Chriſto obierit. Aut, Galienus Valeriani Cæſaris ſocius, ut eſt Vincentij ſententia, quam beatus Antoninus probat, Decij cognomine uocitatus eſt: ita ut, Decio, Galieno ſcilicet Imperatore, martyrio hic coronatus ſit. Sed quoniam id cum hiſtoriæ Romanæ ratione conſentiens non eſt; in explicanda hac quæſtione id admodum probabile, pleriſque uidetur, ut Decij, et Valeriani perſecutio una eademq. extitiſſe putetur, ita ut perſecutionis Decianæ, cum Valeriniana coniunctæ, anni ſexdecim, aut plures numerentur. Quod ſane confirmat s. Hieronymus, qui has perſecutiones licet duas atque diſtinctas aliquando recenſeat; tamen initio uitæ beati Pauli Heremitæ, Decium, et Valerianum perſecutores ſimul iungit. Accedit etiam, quòd ubi primum Decius, ad imperij gubernationem acceſſit, ſtatim Valerianum, qui poſt Imperator ſucceſſit, cenſorem Romæ conſtituit. itaque ueriſimile ſit, ab utroque perſecutionẽ unà indictã eſſe; ut rem totam Zonaras in annalibus græcis enucleate perſcribit.

Qua-

Quamobrem a uero,non alienum eſt, in Deciana ſcilicet perſecutione s. Xyſtum II. pontificem martyrio coronatum eſſe. Quod uerò Fuluio Aemiliano,et Pomponio Baſſo II. conſulibus id factum aliqui putant,id an cũ ueritate conſentiat,alij uiderint,nos enim contra opinamur, cum ex B. Cypriani epiſtola cognoſcamus,s. Xyſtum aliquot ante menſibus,quàm illum,pro Chriſti gloria necem obijſſe. Quod ſi ijs conſulibus id factum eſſet,aliter nos arbitrari oporteret; ſi quidem anno poſt pontificis Xyſti martyrium conſolatum inierunt. Quibus igitur conſulibus Cyprianus, ijſdem Xyſtus,at hic octauo Idus Auguſti, ille decimo octauo calendas Octobris,eodem uidelicet anno,coronatur. Errat præterea Sichardus, qui hunc s. Xyſtum Alexandro item I. ſubſtituit,Adriano Imperatore. nam ut Sabellicus, Volateranus,et alij maiorum gentium ſcriptores teſtantur, Stephano ſucceſſit, Galieno,et Valeriano Impp. quo tempore ss Laurentius,Hyppolytus,Fructuoſus, Eulogius,Augurius,et alij plurimi martyrij corona donati ſunt.

Quo martyrij genere B. Xyſtus coronatus ſit, plerique quærunt. Porrò Prudentius hym 2. de coronis,cruci affixum ſcribit. Sed Damaſus, Ado,Beda,Vſuardus, et ceteri conſtanter affirmant,illum capitis ſupplicio affectum eſſe. Quibus conſentiens eſt,quod ita ſcribit Cyprianus, Xyſtum autem in cœmiterio animaduerſum eſſe ſciatis; nempe capitis ſupplicium ſubijſſe,idq. ea uoce, animaduerſum, ueteres intellexerunt. Quod uero Prudentius ait, eum cruci affixum eſſe; crucem accepit pro omni cruciatu,omniq. ſupplicij genere.

Qui omnes ſex diaconi.) Sic Damaſi monimentis,et Breuiario Romano,nuper edito, proditum eſt. Alij,quattuor tantum diaconos fuiſſe ſcribunt. Plerique uero duos tantum diaconos,nempe Feliciſſimum,et Agapitum,reliquos quattuor ſub diaconos extitiſſe opinantur. Nos cum Damaſum auctorem habemus; is unus nobis eſt pro centum millibus,in omni controuerſiæ genere.

Innocentius.) Alij, Vincentius,pro quo, Innocentius,Platina repoſuit,et recte quidem omnium iudicio.

s. Hormiſdæ.) Beda,et tabulæ priſcæ Romanorum Pontificum. Nos de eo in lib. hiſt.pont. ſcripſimus multa,enucleate quidem,quæ ex illius ſcriptis accepimus.

Compluti.) Quam Hiſpaniæ urbem,hiſpanice,uel arabice potius, uulgo Alcala,de Henares appellari,oſtendit Ambroſius Moralius in libro,quem ſcripſit de ſanctis martyribus,Iuſto,et Paſtore: quorum martyrio,iam inde a Diocletiani perſecutione, et baſilica,illa urbs nobilitata eſt. Habuit præterea martyrem, Felicem Complutenſem:de quo ſcribit s. Eulogius lib.3.cap. 8. de ſan. et nos ad XVIII. cal. Iul. Quòd uerò iamdiu epiſcopalis hæc urbs fuerit,apparet ex libris,et epiſtolis eiuſdem s. Eulogij: in quibus Venerius epiſcopus Complutenſis, uir ſanctiſſimus, nominatur.

ss.martt.Iuſti,et Paſtoris.) Qui ultro,ſuaq. ſponte ſe martyrio obiecerunt,ut itidem fecerunt, Felix martyr Gerundenſis,beatiſſimiq. martyres,Sebaſtianus,Thyrſus,Adrianus,Babylas,Eulalia Barchinonenſis,alijq. innumerabiles, quos ſcribendo perſequi longum eſſet. Quod uerò fidei aduerſarij, olim hoc obijcerent, noſtros,ne quæſitos quidem,ſed ultrò martyrium obijſſe,ijs pie,et erudite admodum s. Eulogius reſpondet lib. I. de mem. ſanct. Porrò ss. Iuſti, et Paſtoris, martyrum nomine præclarum in diœceſi Cordubenſi monaſterium,olim extructum,commemorat idem s. Eulogius lib. 2 cap. II. qui multis etiam locis horum martyrum meminit. Eſt præterea de ijs liber, ut diximus, Ambroſij Moralij, et Breuiarium eccleſiæ Cordubenſis.

Septimo idus Auguſti.

s. Donati ep. et mart,) Breuiarium Romanum,et s. Gregorius lib. dial.

In Perſecutione Iuliani) Qui Apoſtata appellatus eſt: idq. probro, ei dedit, Marius epiſcopus Calchedonenſis. Is,ab uno tantum Zoſimo,annalium ſcriptore, fidei chriſtianæ aduerſario,laudatus,omnium iudicio uituperatur. Illius facinorũ, ac malefactorum ſunt plena uolumina patrum,Baſilii, Cyrilli,Ambroſii,et aliorũ; plenæ conciones,a Nazianzeno contra eum ſcriptæ; plenæ omnes omnium generum annales. Nota,ac peruulgata ferè ſunt,quæ ad poſteritatem de iſto reip. Chriſtianæ portento litteris prodiderunt, Latini, et græci. Theodoritus lib. 3. cap. 18. 21.et 25. Ioan. Chryſoſtomus lib. uno contra gentiles; s. Hieronymus in ep. ad orat. Magnum,s. Ambroſius in Laudatione Theodoſij; Gratianus, Canonum ſcriptor,ex libris eiuſdem s. Ambroſij; Sozomenus lib. 5.cap.2. et 4. Socrates lib.3.cap. 1.14.et 12. Nicephorus lib. 10.cap.1.2.3. et 35. hiſt: eccl. Caſſiodorus lib. 6. cap. 44. et 47 aliisq. locis. Hic porrò Iulianus, cum Gallo Cæſare in Cappadocia, a doctoribus,magiſtriſq. pie primum ita educatus,atque inſtitutus eſt, ut non uerbis ſolum,ſed factis etiam ardens Chriſtianæ religionis ſtudium aliquando inſigniter oſtenderit. Poſt,Libanii Sophiſtæ,in cuius diſciplinam ſe tradiderat, conſuetudine deprauatus, tum a Maximo philoſopho,Epheſio, excitatus, Chriſtianam pietatem abiecit. Quamobrem cum in grauium criminum,ac prælertim,occupandi imperij ſuſpicionem ueniſſet; ut eam Conſtantio Cæſari tolleret, capite tonſo monachus factus,iterum pietatem chriſtianam,quàm repudiarat,præ ſe ferens, lectorum ordine Nicomediæ initiatus,ſacros in eccleſia legit libros. Mortuo autem Conſtantio,potitus imperio,repente redijt ad idolorum cultum;ita ut ſe pontificem appellans,Gentilium myſteria,ſacrificia,dieſq. feſtos ageret. Atque hæc quidem cauſa eſt, quare is Parabates modoq. Apoſtata appellatus, tum etiam a Nazianzeno Idolianus,Tauricremus,Piſæus,Adonæus uocatur:nempe qui idolis,tauris, bobus, Ioui piſæo,Adonidi ſacrificia præter ceteros maxime tribuerit. Hæc igitur bellua,quo nomine idem Nazianzenus eum appellat,cum in dies uehementius contra Chriſtianos fureret; Iu æos contra illos concitat,omnibus modis eoſdem oppugnat,edicto interdicit populo Chriſtiano bonarum artium ſtudijs;capitaliq. odio contra noſtros inflammatus,depoſita clementia, quam induerat, quò facilius rem Chriſtianam euerteret,aperte, gladiatorioq. quodam animo, chriſtianæ pietatis cultores exagitare aggreſſus,cum illos horrendis ſuppliciorum generibus ipſe excruciat; tum prouinciarum præfectos, quos omnia barbaræ crudelitatis exempla contra noſtros edere cognoſceret,non modò nulla pena coercet, ſed ampliſſimis etiam honoribus, dignitatibuſq. ornat. Quò factum eſt,ut illi grauius,atque adeo immanius,quàm Iulianus iuberet,chriſtianos affligerent. Id omne narrat Nicephorus lib.10 cap 7.8 9.10. 11.12.13.20. et 24. hiſt. eccl. In qua omni narratione eſt illud etiam graue,quòd ut reipub. Chriſtianæ interitum afferret Iulianus, epiſcopos inter ſe commiſit,miraq. uafritie bellum inter eos ciuile,atque inteſtinum conflauit. At iſte,et ſi extremam Chriſtianis perniciem minatus eſt;ſed intra nomen, tota hæc comminatio conſtitit. nihil enim quicquàm aliud detrimenti noſtris importauit, quàm quòd eorum nomen mutauit; ac pro chriſtianis Galilæos uocari iuſſit,ut ex illius et epiſtolis,et edictis apparuit. Hocq. ſcribit tum Nazianzenus in orat. 2.cont Iul. tum Chryſoſtomus in uita s. Babylæ. Iam uero is demum ut erat ex omnium ſcelerum colluuione conglutinatus,tum facinorum, quæ nefaria cōmiſit,tum execrabilis a chriſtiana religione defectionis pœnas dedit, miſerrime in

bello

bello perſico occiſus. Quàm igitur impudenter a uero aberrent eius laudatores, Zoſimus, Pomponius, Loetus, et Marcellinus; cum ex omnibus apparet, tum e concionibus Gregorij Nazianzeni, qui illius uitam, impie actam, neſarie ſacta, deteſtabilemq. defectionem uberrime expoſuit duabus potiſſimum orationibus.

ss. martt. Petri, Iuliani.) Sophronii etiam, ut nos addidimus, librum ſcriptum ſecuti, licet illius, Vſuardus non meminerit.

s. Fauſti.) Quem Vſuardus, ac Beda Fauſtinum appellant, at in annalibus, tabuliſq ecclesiæ Mediolanenſis Fauſtus ubique dicitur: a quo Fauſtina baſilica, cuius aliquando s. Ambroſius mentionem facit, nomen accepit.

ss. martt. Carpophori, Exanthi, et Sociorum.) De quibus ſcriptum eſt in actis s. Alexandri martyris: quæ acta extant in eccleſia Bergomenſi, Mediolanenſi, Nouarienſi, et Aquilienſi. Eorum præterea uita, litteris exarata eſt apud Boninium.

s. Godſcalci mart.) Ex tabulis eccleſiæ Nouarienſis.

s. Victricii ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Rothomagenſis. Eius uitam s. Paulinus Nolanus magna ex parte complexus eſt una epiſtola. Ad Victricium Rothomagenſem extat epiſtola, ab Innocentio I. pont. ſcripta.

s. Donatiani ep. et conf.) Ex dypticis eccleſiæ Catalannenſis, cuius epiſcopos Demochares numerat. Is porrò Donatianus interfuit concilio Agrippinenſi an. a Chr. nat. CCCLIX.

s. Alberti presb. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Meſſanenſis. Illius uero uitam retulit Surius in tom. 4.

Tranſlatio s. Floriani.) Ex calendario eccleſiæ Curienſis.

Sexto idus Auguſti.

ss. mart. Cyriaci, Largi, Siſini, et Smaragdi.) Quorum tranſlatio hoc ipſo die a Marcello pont. celebrata eſt; martyrii autem dies eſt XVII. cal. Apr. Scribunt de ijs S. P. E. Notarii in geſtis s. Marcelli papæ, Vſuardus, Ado, et Beda copioſius. In libro porrò ſacramentorum, et Antiphonario s. Gregorii mentio fit tantum s. Cyriaci, quem Kyriacum alij ſcribunt. De iiſdem ubique fit Romana auctoritate.

s. Agapæ uirg.) Alias, Agapis, ut in lib. ſcripto.

s. Hormiſdæ mart.) De quo Caſſiodorus ſcribit in hiſt. Trip. et Equilinus item.

s. Seueri conf.) De quo Ado in annalibus, Vſuardus in martyrologio, et Beda item, qui Seuerinum illum appellat.

Tranſlatio s. Cyriaci ep. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Anconitanæ, et Equilino.

Quinto idus Auguſti.

Vigilia s. Laurentij mart.) De qua uigilia Amalarius in lib. de ord. Antiphon. cap. 61. s. Gregorius in lib. Sacramentorum, et Antiphonario, Vſuardus in martyrologio, Beda, Belethus lib. expl. diu. offi. cap. 145. Sicardus, ac Durantius, qui cum de ieiunio uigiliæ, tum de ceteris, ad huius diei officium pertinentibus, ſcribit lib. 7. cap. 2. ration. diu. off.

s. Romani mart.) Ex geſtis s. Laurentij, et Martyrologio Vſuardi, Bedæ, et aliorum.

s. Romani mart.) Ex libro ſcripto, et annalibus Hartimani monachi, et tabulis eccleſiæ Lucenſis.

ss. martt. Secundiani, Marcelliani, et Veriani.) Ex omni martyrologio. Tu uero

ro de rebus eorum geſtis lege Surium: qui ex antiquis tabulis uitam illorum retulit in tom. 4.

s. Numidici presb. et ſociorum.) Fuit porrò Numidicus unus e Vicariis s. Cypriani: qui illius ſæpe meminit, ut in ep. 10. lib. 4. et in alijs item.

ss. Firmi, et Ruſtici mart.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Veronenſis, et Bergomenſis. Illorum martyrium legas licet apud Boninium.

s. Domitiani ep. et conf.) Demochares in catalago epiſcoporum eccleſiæ Cathalonenſis.

Quarto idus Auguſti.

s. Laurentij mart.) De quo extant ſermones multorum Patrum, Auguſtini, Leonis, Ambroſij, Chryſologi, Maximi, Honorij Auguſtodunenſis, et aliorum. De eodem præterea mentionem faciunt, s. Amb. lib. 1. off. cap. 41. et lib. 2. cap. 28. s. Auguſtinus tract. 27. in Ioannem. Prudentius hymnum panxit qui ſecundus eſt in lib. de cor. ſanctorum; s. Gregorius papa lib. 3. Regeſti ep. 30. Greg. Tur. in lib. de glor. mart. cap. 42. et 46, et lib. 3. dialogorum cap. 35. alijsq. locis, s. Damaſus in uita s. Xiſti Eutropius lib. 9. de geſt. Rom. et Græci itē, Metaphraſtes, Euſebius in Chronicis; et eccleſia præterea omnis græca. quæ hoc die illius martyriū diuinis laudibus concelebrat. Perſpicuum ex ijs omnibus fit, beatiſſimi Laurentij mart. diem feſtū, iam uſque ab initio in eccleſia Dei cultum eſſe: quod ſanè etiam cognoſcimus ex Antiphonario, et libro ſacramentorum s. Gregorii Magni. Romæ olim hoc ipſo die ſummi pontifices ob ſolemnitatem Miſſæ ſacrum ſolemniter facere, et concionem habere conſueuerant, ut ex libro pontificali antiquo didicimus.

ss. Centum, et ſexaginta martyrum.) Alij habent, Et ſexaginta quinque martyrum, ut Vſuardus; alii, ut Beda, centum, non habent, ſed ſexaginta quinque tantum: nos centum et ſexaginta in martyrologium retulimus, ſecuti librum manu ſcriptū; licet in pleriſque alijs tantum, et ſexaginta quinque legamus. Porrò martyrologium Cremonenſe habet, CLXX.

s. Aſteriæ Virg. et mart.) Ex annalibus, et tabulis eccleſiæ Bergomenſis.

Tertio idus Auguſti.

s. Tiburtij mart.) De quo ſcriptum eſt in geſtis beati Sebaſtiani martyris: quæ tu lege apud Surium in tom. 1. In Antiphonario, et libro ſacramentorum Gregoriano inſcribitur, Natale s. Tiburtij martyris: de quo, inquit Radulphus, ubique fit ex auctoritate Romanā.

s. Suſannæ uirg. et mart.) Cuius res, pro fide fortiter geſtas, S. E. R. Notarii litteris mandarunt: e quibus martyrologii ſcriptores antiqui ſumpſerunt, quæ de Gabino, Caio, Claudio, Suſanna, ceteriſq. memoriæ tradiderunt. Tu lege Surium in tom. 4.

s. Taurini ep.) Ex tabulis eccleſiæ Ebroicenſis, et martyrologio Vſuardi. Multa ſane quidem de s. Taurino Ebroicenſi narrant, Vincentius, et Equilinus, et Eiſingrinus item: qui ab illis ambobus accepit.

s. Eupli diaconi, et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Catanenſis. Quæ præterea in martyrologium retulimus, ab græco Horologio accepimus: in quo libro hic illius dies natalis notatur: ſed poſtridie huius diei apud Vſuardum. De s. Euplo Metaphraſtes.

s. Gau-

s. Gangerici ep. et conf.) Cuius uita legitur in eccleſia Cameracenſi. Tu uero lege Surium in tom. 4. et Maſſæum Cameracenſem in chronicis.

Pridie idus Auguſti.

s. Claræ uirg.) Cuius uita, Alexandri Quarti, pont. iuſſu, qui illam ſanctarum uirginum numero adſcripſit, litteris conſignata, apud Surium legitur in tom. 4.

s. Hilariæ martyris.) De qua in actis s. Afræ; cuius dies natalis agitur Nonis huius menſis.

ss. martyrum, Quiriaci, Largionis, et ſociorum.) De quibus in martyrologio Vſuardi, Adonis, Bedæ, et aliorum.

Faleriæ.) Quæ urbs Faliſcorum eſt, in regione Tuſciæ nuditerranea. In Phalari urbe, legit Vſuardus: at ſcripti codices nullam mentionem faciunt loci, ubi Gracilianus, et Feliciſſima martyrium obierint.

ss. Macarij, et Iuliani.) Vſuardus, et cod. M. S.

s. Herculani ep. et conf.) Ex eccleſiæ Brixienſis dypticis, quas Rampertus epiſcopus de epiſcopis Brixienſibus confecit.

s. Euſebij ep. et conf.) Cuius epiſtola ſynodica extat, ad ſanctiſſimum Leonem pont. conſcripta in eiuſdem Leonis epiſtolis. De eo multa nos in libro Archiepiſcoporum Mediolanenſium.

Idibus Auguſti.

ss. Hippolyti, Concordiæ, et ſociorum martt.) De quo extat Prudentij hymnus undecimus. Fuit porrò alter Hippolytus martyr, Carthaginis epiſcopus: de quo aliquid eodem hymno canitur. De Hippolyti autem Romani martyri, Concordiæ, et reliquorum, qui in eius familia erant, martyrio a S. E. R. Notariis copioſe ſcriptum eſt in libro de rebus geſtis s. Laurentij. Eſt in antiphonario Gregoriano, et libro ſacramentorum officium de eodem.

In foro Syllæ.) Quod eſt in Aemilia prouincia, uulgo Imola.

s. Caſſiani mart.) Cuius martyrium, a Prudentio uerſibus explicatum, ſoluta oratione ab antiquo ſcriptore idem luculente narratur. Tu uide Surium in tom. 4.

s. Radegundæ reginæ.) Aliàs, Radegundis: de cuius uita libri duo apud Suriũ extant; prior a Fortunato epiſcopo, poſterior a Bandoninia, uirgine monialí, conſcriptus: in quo hæc ſcripſit, quæcumque ille prætermiſit. Porrò Radegundis ſanctiſſimæ uirginis celebritatem agit eccleſia Mediolanẽſis: in cuius paruetuſto libro ſcribuntur multa de ea uirgine.

s. Vuiberti presb. et conf.) Aliàs, Vuigberti: de quo ſermo extat apud Bedam in tomo 7.

Decimo nono cal. Sept.

Vigilia aſſumptionis Beatæ Mariæ Virg.) Cuius uigiliæ officium in libro ſacramentorum Gregoriano extat, in antiphonario non item; at Amalarius in lib. de ord. antiph. cap. 61. meminit. Hæc porrò uigilia cum ieiunio eſt, ex præcepto eccleſiæ: ut exponit Durantius lib. 6. cap. 7. Rat. Vſuardus prætereà, et Beda.

s. Euſebij presb. et conf.) De quo in Antiphonario, et libro ſacramentorũ Gre-

go-

goriano. De s. Euſebio Vſuardus paucis, Beda multis, Boninius pluribus ſcribit.

s. Vrſicij mart.) Ex tabulis græcis.

s. Demetrii.) Ex martyrologio Rom. et Adone, et libro ſcripto.

s. Simpliciani ep. et conf.) Cuius uitam nos cum ex aliis libris eccleſiæ Mediolanenſis uetuſtiſſimis, tum ex ijs, quæ inprimis s. Auguſtinus de illo multis locis ſcribit, ad Breuiarij Ambroſiani uſum contexuimus. De eo Paulinus in uita s. Ambroſij; s. Auguſtinus lib. 8. confeſ. cap. 1. et lib. de præd. ſanctorum cap. 4 atque in alijs item libris: Gennadius in lib. de uir. ill. Trithemius in lib. de ſcriptoribus eccleſiaſticis, et Boninius in tom. 2. de ſanctis.

Decimo octauo cal. Sept.

Aſſumptio beatæ Mariæ Virginis) Ad quam non ſolum Apoſtolos, ſed diſcipulos uniuerſos, per uniuerſum terrarum orbem diſperſos, Hieroſolymam diuino admonitu mirabiliter properaſſe, magnus ille rerum diuinarum interpres, Dionyſius, qui una etiam cum Hierotheo, et Timotheo interfuit, in ſua quadam ad eundem Timotheum epiſtola teſtatum plane facit, ut uberius item rem totam in annales retulit græcus auctor Glycas: qui quicquid hoc de genere a Iuuenale epiſcopo Hieroſolymitano, Andrea Cretenſi, Germano Patriarcha, Ioanne Damaſceno, ceteriſq; græcis ſcriptum eſt, recte atqne ordine narrare non prætermiſit. Quòd uero ad eiuſdem Dionyſij, hoc item ipſum ſcribentis, locum, in libro de diuinis nominibus, a poſterioribus interpretibus cõuerſum attinet, tu uide Matthæi Galeni Areopagicas enarrationes. Cur autem de hac beatiſſimæ uirginis, Dei matris aſſumptione, quam dormitionem græci dicunt, ab Apoſtolis nihil euangelicis litteris proditum ſit; id factum græci ſcribunt, quia cum illa prouectam ætatem attigerit, multis poſt euangelii ſcriptionem annis, in cælum aſſumpta eſt, anno ſcilicet Claudij quinto, ſi Nicephoro fides habenda eſt. De qua aſſumptione, ſeu dormitione Epiphanius contra Antidicomarianitas hær. LXXVIII. Euſebius in chron idem Niceph. lib 2. cap 3. 21. et ſeq. lib. 15. cap. 13 hiſt eccl. Sed hic multa habet, quæ eccleſia non probauit. Tu uero apud Surium legas licet, et Metaphraſtem, et Andreã Cretenſem, de dormitione beatæ Mariæ Virginis pluribus ſcribentem. Sunt in latinis in hac celebritate ſermones plurimorum patrum, s. Auguſtini ſerm. 34. et 35. s. Hieronymi ad Paulã, et Euſtochiũ, s. Bernardi, s. Brunonis, Honorij Auguſtodunenſis, Petri Aliacenſis, Radulphi Ardentij, et aliorũ. Sunt uerſus itẽ, tũ latine, quã græce ſcripti, ut pote a Theodoro Cyro. Hæc porrò diei feſti celebritas ab Apoſtolis inſtituta putatur, ut facile e latinis, græciſq. concionibus cognoſci poteſt. Olim Romæ in aſſumptione Beatæ Virg. Mariæ a matutino incipiebat officium, uigiliæ ſicut in Natiuitate Domini uidemus: id quod animaduertit ex antiphonario antiquo Romano Radulphus Tungrenſis prop. 19. in lib. de can. obſeru.

s. Tharſiti Acolyti.) Aliàs Acoluthio. De quo Tharſitio memoriæ proditum eſt in libro geſtorum s. Stephani papæ: e quo libro Vſuardus, tum Beda copioſius accepit, quicquid de eo in martyrologium retulit.

Decimo ſept. cal. Sept.

s. Serenæ.) Vſuardus, Beda, auctorq. libri geſtorum s. Suſannæ.

s. Ambroſij mart.) ut accepimus e codice ſcripto.

s. Diomedis mart.) Cuius martyrium, græce expoſitum, latine uertimus.

s. Vr-

s. Vrſatij conf.) De quo Beda, Vſuardus, et Sozomenes lib. 4. cap. 15. et Caſſiodorus lib. 5. hiſt. trip.

s. Balſemij mart. et ſociorum.) Molanus.

s. Arnulphi ep. et conf.) Aliàs, Arnolphi: cuius res admirandas Molanus præter ceteros egregie ſcripſit in libro, quem de eccleſiæ Metenſis epiſcopis contexuit. De eodem item Paulus diaconus lib. 6. cap. 5. et s. Antoninus in chron. par. 2. tit. 3. et Vincentius item. Eſt præterea alter Arnulphus ſueſſionenſis: de quo uide Surium in tom. 4.

s. Eleutherij ep.) Ex tabulis eccleſiæ Antiſiodorenſis.

s. Rochi.) Cuius res in peſte depellenda mirabiles multas narrat Albertus Crantius in lib. 9. cap. 25. Metr. et uitam ſcribunt Franciſcus Diedus Venetus, ac P. Pinus Tholoſanus. Hic illum a ſummo pont. in ſanctorum numerum ſtatis ſolemnibus cærimoniis adſcriptum eſſe affirmat: nos uero nihil compertum habemus.

Decimo ſexto cal. Sept.

Octaua s. Laurentij.) Vt ſcribitur etiam in libro ſacramentorum, et antiphonario Gregoriano: ex quo apparet, illam ab initio ferè inſtitutam eſſe. Cuius item octauæ meminerunt, Beda, Vſuardus, et Radulphus Tungrenſis: qui octauis minoribus eam adſcribit in lib. de can. obſ. prop. 19.

s. Mammetis mart.) Aliàs, Mamantis, aliàs item, Mammæ: cuius nomine, Romæ baſilica extitit; in qua s. Gregorius die natali eius martyris homiliam 35. habuit. Porrò de Mamante Cæſarienſi martyre s. Baſilius hom. 26. et Gr. Nazianzenus, et eccleſia Ambroſiana in Præfatione in tabuliſq priſcis eccleſiaſticis, et Metaphraſtes quoque: quem legas licet apud Lipomanum, uel Surium. Græci ſane diem huius natalem agunt IIII. Non. ſept. ut ex horologio cognouimus.

s. Myronis presb. et mart.) Ex tabulis græcis.

ss. martt. Stratonis, Philippi, et ſociorum.) De quorum martyrio græce pluribus ſcribitur in Horologio, hoc ipſo die: ſed Beda, alijq. xviii. cal. ſept.

ss. martt. Pauli, et Iulianæ ſororis.) Tabulæ græce, et Metaphraſtes.

sss. marttt. Liberati, Bonifacij, Serui, et ſociorum.) Vſuardus, Beda, alijq. item: ſed Beda omnium uberrime, et Victor Vticenſis in primis. Tu uide Suriū in tom. 4.

s. Hieronis presb. et mart.) Ex calendario, et Indiculo Belgij.

Decimo quinto cal. Sept.

s. Agapiti mart.) De quo in libro ſacramentorum, et Antiphonario Gregoriano. Sunt huius martyris res geſtæ, litteris conſignatæ a notarijs S. R. E. a quibus Vſuardus accepit, Beda item, et Ado in primis Treuirenſis.

ss. Ioannis, et Criſpi presbb.) Beda, Vſuardus, Equilinus, et cod. M. S.

s. Helenæ.) De qua s. Ambroſius in or. de obitu Theod. Euſebius lib. 3. cap. 41. 42. et ſequ. de uita Conſtantini, Theodoritus lib. 1. cap. 18. hiſt. eccl. Caſſiodorus lib. 2. cap. 18. hiſt. Trip. Vſuardus in martyrologio, ceteriq. id generis permulti. Tu uide Surium in tom. 4.

sss. marttt. Hermi, Serapionis, et Polyæni.) Vt a græcis accepimus, qui hoc ipſo die eorum martyrij celebritatem agunt.

ss. Flori, et Lauri martt.) E tabulis itidem græcis.

s. Firmini ep. et conf.) E dypticis eccleſiæ Metenſis.

Decimo quarto cal. Sept.

s. Iulij Senatoris.) De quo in Eugenij, et ſociorum martyrum, quorum dies natalis viij cal. Septembris celebratur, acta a protonotariis relatum eſt. De eodem Vſuardus, et Beda item, qui eius martyrium pluribus, quàm alter explicat. Equilinus præterea lib. 7. cap. 80.

Martyrium confecerit.) Pudente II. et Pollione coſſ. Anno a Chr. nat. CLXIX. Quo têpore perſecutionis incendium contra Chriſtianos magnum, et in Aſia, et in Gallia excitatum eſt: multiq. propterea martyrio coronati ſunt, et in his s. Polycarpus. Quod omne teſtatum facit Oroſius lib. 7. cap 9 Euſebius li 4. cap. 15. quo loco eiuſdem beati Polycarpi martyrium enucleate perſcribit: at uero qui in Galliæ illis temporibus martyres extiterint; eos idem commemorat lib. 5. cap. 1. et ſeq.

ss. martt. Rufini, Philonis, et Mariani) Huius mentionem Vſuardus, et Gre. Tur. facit; illos priores duo, nempe, Rufinum, et Philonem, ex annalibus Artimani monachi, et codice M. S. accepimus.

ss. martt. Magni, Andreæ, et ſociorum.) Quorum uitam, et martyrium cum ceteri græci commemorant, tùm Simeo Metaphraſtes in primis hoc ipſo die enucleate perſcribit.

ss. martt. Agapij, Timothei, et Theclæ.) De quorum martyrio tabulis græcis proditum eſt.

s. Donati presb. et conf. Huius uitam breui Beda, et Vſuardus item narrant; ſed Ado copioſius, et Equilinus item.

s. Ludouici ep.) De hoc ſermo extat Petri Cardinalis Aliacenſis: et lectiones in antiquo Breuiario ordinis Franciſcani Minorum, et uita in litteris pontificijs Ioannis XXII. pont. Max. Tu uide præterea Surium.

s. Elaphij ep. et conf.) Demochares ex tabulis eccleſiæ Catalonenſis, et s. Gregorius Tur. lib. 5. cap. 4. hiſt. fr.

s. Rufini confeſſoris.) Belinus Patauinus in add. Martyrologij.

Decimo tertio cal. Sept.

s. Bernardi Abb.) Cuius uitam Mombrinus retulit in uolumen I. de ſanctis: eandemq. olim ab illius diſcipulis, libris quinque conſcriptam, legas licet initio operum ſuorum, et apud Surium item. De s. Bernardo præterea F. Xyſtus lib. 4. Biblioth. ſanctæ.

s. Samuelis prophetæ.) s. Hieronymus in lib. contra Vigilantium, Iſidorus, et Epiphanius, et eccleſia græca in Horologio, hoc ipſo die.

s. Porphyrii mart.) In martyrologio Vſuardi, Bedæ, M. S. et in geſtis s. Agapiti mart.

ss. Triginta ſeptem mart.) Vt e græcis monimentis accepimus.

ss. martt. Leouigildi, et Chriſtophori.) Quorum martyrium ſcribit Eulogius lib. 2. cap 11 Mem. ſanct Meminerunt præterea hoc ipſo die Ado, Vſuardus, Equilinus, ea eccleſia Cordubenſis, ut ex eius Breuiario perſpeximus. Alij, Leonigildum, dicunt: ſed, Leouigildum, nos ſcripſimus, Eulogium ſecuti: e cuius libro eorum martyrium latine expreſſimus.

Hic Eliberi natus.) Repone, Iliberi, ut Romano more pronunciemus: Gothi Eliberim, Arabes Elueriam corrupte uocant. Priſco enim ſermone hiſpano, Ili,

opidum

opidum appellatur. quò factum eſt, ut tot urbium, Beticæ prouinciæ præſertim, nomina eiuſmodi ſint, utpote Iliturgi, Illiberi, Ilipa, Ilipula, et cetera id generis:

s. Stephani Regis.) Cuius uitam, olim a Gartuitio epiſcopo ſcriptam, retulit Surius in uolumen IV. de ſanct.

s. Philiberti abb.) Idem Surius in tom. 4.

s. Maximi conf.) Greg. Tur. lib. de glor. confeſſ. cap. 22.

Duodecimo cal. Sept.

s. Cyriacæ mart.) De qua ſcriptum eſt in geſtis s. Laurentij.

s. Attali mart.) Vt memoriæ proditum eſt in libro geſtorum s. Agapiti mart.

s. Anaſtaſij mart.) Vſuardus, Ado, et Beda, qui uberius illius martyrium exponit, ut fortaſſe accepit e geſtis s. Agapiti. Equilinus Romæ, non Salone, eum martyrio coronatum eſſe ſcribit: at Salonæ, Vſuardus, Ado, ceteriq. affirmant, Aureliano ſcilicet Imperatore; nos, Alexandro Imp. ſcripſimus, ex auctoritate ſolum martyrologij, quod a Paulo IIII. pont. emendatum eſſe fertur.

s. Priuati ep. et mart.) Cuius uitam e priſcis tabulis luculente Surius ſcripſit. Eiuſdem uero meminit cum Vſuardus in martyrologio, tum Gr. Turonicus in lib. 1. cap. 30. 32. hiſt. fr. et Vincentius item.

ss. marttt. Luſorij, Ciſelli, et Camerini.) Aliàs, Luxurij, ut Beda habet, et Boninius item, qui uitam ſcribit.

ss. martt. Bonoſi, et Maximiani.) Beda, Vſuardus, et libri ſcripti.

s. Euprepij ep.) Ex conſtitutione ſynodali eccleſiæ Veronenſis. De eo autem pluribus Auguſtinus Valerius ep. in lib. de epiſcopis Veronæ.

Vndecimo cal. Sept.

Octaua aſſumptionis.) Beda, et Radulphus Tungrenſis: qui hanc octauam in maioribus aſcribit.

s. Timothei mart.) Ado, Beda, Vſuardus, s. Gregorius in libro ſacramentorum, et Antiphonario, et auctor hiſt. s. Siluestri.

s. Antonini mart.) De quo memoriæ traditum eſt in geſtis ss. Euſebij, Pontiani, Peregrini, ac Vincentij martyrum: quorum dies natalis agitur VIII. cal Septembris. Meminerunt præterea illius Vſuardus, Beda, Ado, Equilinus et ceteri.

s. Hippolyti mart.) Ex martyrologio Vſuardi, Bedæ, et M. S. Huius, et Aureæ, et ſociorũ, nempe Cyriaci epiſcopi Hoſtienſis, Archelai diaconi, et ceterorum martyrium, Lobiis extat, manu ſcriptum.

ss. Peregrinorum martt. Martialis, Epicteti, Saturnini, Maprilis.) Aliàs, Aprilis, ut plerique omnes codices, manuſcripti, habent; nos, Maprilis ſcripſimus, emendationem ſecuti martyrologii, quod nobis utendum dedit ampliſſimus Cardinalis Paulus de Aretio, epiſcopus Placentiæ.

s. Mauri mart.) Cuius uitam exſcripſit Boninius in uolumine II. de ſanctis.

ss. Agathonici, Zotici, et ſociorum.) Vt græcis monimentis proditum eſt.

s. Symphroniani mart) In antiphonario Gregoriano, s. Symphroniani uitam ex antiquis archetypis, et martyrologijs deſcripſit Surius in tom 4. meminit item Gr. Tur. in lib. de glor. conf. cap. 77. Vſuardus, Beda etiam.

s. Guniphorti.) Ex tab. eccl. pap.

Decimo cal. Septembris.

Vigilia s. Bartholomæi Ap.) Durantius lib. 6. cap. 7. num. 16. Rat. Ex concilio Bracarenſi, Beda item.

ss. mart. Donati, Reſtituti, et ſociorum) Ex Martyrologio Vſuardi, Bedæ, et M.S.

Beatorum marti. [Claudij, Aſterij, et Neonis.] Vſuardus, Beda, et cod. M.S.

ss. Mineruі, Eleazari, et filiorum IIX.) Ex libro ſcripto, et Vſuardo.

s. Irenæi ep. et mart.) Cuius martyrium expreſſimus e græcis monimentis.

ss. XXXVIII. martyrum.) Vt e græco item calendario accepimus.

s. Zacchæi ep. et conf.) Vſuardus, Beda, Nicephorus in chron. Euſebius lib. 4. cap. 5. hiſt. eccl Haimo Alberſtatenſis, et ceteri.

s. Theonæ ep. et conf.) Nicephorus item, Vſuardus, et Euſebius lib. 7. cap. ult.

s. Flauiani ep.) Ex tabulis eccl. Auguſtodunenſis.

s. Sidonij ep.) Cuius meminit Gr. Tur. lib. 2. hiſt. Franc.

Nono cal. Septembris.

s. Bartholomæi Ap.) De quo Romæ fit poſtridie huius diei, nempe VIII. cal at olim hoc ipſo die, ut ex libro ſacramentorum, qui s. Gregorij nomine inſcribitur animaduertimus, et martyrologijs item, Vſuardi, Adonis, Bedæ, et s. Hieronymi. Porrò illius celebritatem hoc die colunt complures eccleſiæ, ut Ambroſiana, Aquileienſis, Hieroſolymitana, Carnutenſis, et in Italia præterea fere pleræque fere omnes. Itaque hac ipſa de re Innocentius III. pont. max. conſultus, in huius diei celebritate colenda uniuſcuiuſque regionis conſuetudinem ſeruandam eſſe reſcripſit, cap. Conſilium noſtrum, ext. de obſer. Ieiuniorum. Græci autem tertio idus Iunij, diem illius natalem agunt; translationem uerò ſacrarum eiuſdem reliquiarum celebrant poſtridie huius diei, ut cognouimus ex græca conſtitutione de ferijs. Iamuero de s. Bartholomæo mentio fit in Euangelio Mat. 10. Mar. 3. Luc. 6. Act 1. et Ioan. 1. ſi eundem Natanaelem eſſe exiſtimamus, ut Ianſenius, et alij arbitrantur. Scribũt præterea de eo s. Dionyſius Areopagita lib. de th. myſ. cap. 1. Ioannes Damaſcenus, Dorotheus in Synop, ſi Theodorus Abbas, Euſebius lib. 5. cap. 10. et lib 3. cap. 1. hiſt. eccl. Niceph. lib. 2. cap. 39. et 40. Iſidorus de obitu ſanctorũ cap. 77. Gr. Tur. lib. de gl. mart. cap. 77. s. Antoninus chr. par. 1. tit. 6. cap. 12. Sabellicus Enn. 7. lib. 4. Appẽdix s Hieronymi, et præfatio Ambroſiana. Atqui illius uitã pluribus exponit apud Metaphraſtẽ Simo monachus: cuius lucubrationẽ Lipomanus latine reddẽdam curauit. Vuicelius denique in Agiograpo. At hiſtoria, quæ de eo in Pſeudoabdia legitur lib. 8. ab eccleſia nõ recipitur, cũ narrationum apocrypharum plena ſit, ut doctiſſimus uir Ioannes Heſſelius cenſet: idipſumq. animaduerti licet ex Radulpho Tungrenſi in lib. de can. obſ. prop. 11. Quod de s Bartholomæo excoriato traditum eſt, id etiam Iſidorus plane ſcribit, itidem probat s. Eccleſia Romana mater. Græci uero illum in crucem actum eſſe narrant.

Sanctorum Trecentorum martyrum.) De quibus homilia extat s. Auguſtini, et hymnus Prudentij 13. de cor.

s. Eutychij.) Ex Horologio, et Menologio græco.

s. Audoeni ep. et conf.) Cuius uitam, tribus libris Eligius complexus eſt. Tu uero uide Surium, et s. Antoninum præterea in chron. et Vincentium.

s. Patricij abb. Vſuardus, et cod. M·S.

Octauo

Octauo cal. Septembris.

s. Ludouici regis, et conſ.) Cuius uitam, religioſe ſancteq; actam, litteris mandauit Godofridus ordinis Dominicani, qui uiginti ipſos annos ei fuit a ſacris confeſſionibus: ſtrictim autem attigit Bonifacius VIII. pont. in litteris apoſtolicis, quibus illum in numero ſanctorum adſcripſit. Tu uero lege Surium in tom. 4. de ſanctis, et Clichouæum præterea, de eo aliquando ſcribentem, et concionantem.

ss. martt. Euſebij, Pontiani, et Sociorum.) Quorum res, pro fide fortiter geſtæ, manu exaratæ, in archiuijs eccleſiarum extant. Tu uide Vſuardum, Bedam, et Adonem, qui martyrium illorum, cum e priſcis monimentis acceperit, longe uberius explicat; ac Vincentius præterea lib. 10. ſpec. cap. 119. et ſeqq.

Equileo, Fuſtibus, laminis candentibus, plumbatis denique excruciati.) Hæc porrò tormenta, nempe, equuleus, fuſtes, ungulæ, fidiculæ, laminæ candentes, plumbatæ, erant eiuſmodi, quibus decuriones, primarioſq. uiros, quos principales uocant, torqueri, auguſtalibus Imppp. Gratiani, Valentiniani, et Theodoſij legibus uetitum eſt. Sed his cruciamentis, ut iure etiam Romano ueteri cautum eſt, plebeij, infimæq. conditionis homines afficiebantur. Quo igitur non ſolum acerbius, ſed iniurioſius etiam Chriſtiani tractarentur; ea tormenta illis adhiberi, tyrannorum, eccleſiam Dei oppugnantium, edictis olim iuſſum eſt.

Plumbatis excruciati.) Hoc tormenti, uel potius uerberum genus Prudentius expreſſit his uerſibus.

Tundatur tergum crebris ictibus.
Plumboq; ceruix uerberata extuberet.
Pulſatus ergo martyr illa grandine.
Poſt quam inter ictus dixit hymnum plumbeos.

Porrò quidem id tormenti genus uarie adhibitum ex eo apparet, quòd modò legimus plumbatarum pondera, ut in tit. de exact. lib. x. cod. in quam ſententiam Ammianus Marcellinus dixit; Expediuntur pondera plumbea cum fidiculis, et uerberibus: modò etiam plumbatarum uerbera, ut in ead. l. Cod. Ictus autem plumbeos, ut diximus, Prudentius appellat; Plumbis necatos, dixit s. Ambroſius lib. 5. ep. Plumbo affectos relegari leges Auguſtales eos iubent, qui in potentiores legem tranſtulerint. Atque in Martyrologijs quidem ſcriptum eſt, Geruaſium, et Protaſium, Aſtaſij Comitis iuſſu plumbatis contuſos eſſe. Idem de quattuor Coronatis, et de Maximo Corniculario, tum de eo alijs memoriæ proditum eſt.

s. Geneſij mart.) In libro ſacramentorum, et antiphonario Gregoriano, ac Martyrologio Bedæ, Vſuardi, Adonis et M. S. Hic porrò alius ab eo eſt, qui Arelatenſis fuit, de quo mox dicemus. Tu uide Surium.

s. Geneſij mart.) Arelatenſis: de quo is, qui Euſebius Emiſenus uulgo putatur, die natali martyris luculentam homiliam habuit: martyrium Paulinus Nolanus ſcripſit, ut apud Surium legi licet. Erat Geneſius in ordine exceptorum adſcriptus. Eorum ſane munus in hoc uerſabatur, ut aliorum dictata exciperent; ideoq. in ſcriniorum officio ponitur, ut ex lege cod. lib. XII. cognoſci licet. In eam porrò ſententiam, ſignificationemue, s. Auguſtinus illo nomine utitur in ep. 152. Eſt hæc Auxinii inſcriptio: L. AVR. MARTIANO AVG. LIB EXCEPTIORI. Præſidum exceptores fiebant, qui curiales, ſeu cohortalinæ conditionis erant. ſed confecto expletionis tempore, ad curiam redibant, ut legibus auguſtalibus cautum eſt. Scribæ publici, ut ſcribit Budæus, Exceptores dicuntur, ut cognoſcimus ex libris Eulogij.

s. Iu-

s. Iuliani mart.) E Martyrologio Rom. et M. S.

s. Geruntij ep. et conf.) Vſuardus, et M. S.

s. Gregorij ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Traiectenſis. Cuius uitam Luggerus ep. ſcripſit.

s. Aredij confeſ.) Gr. Tur. lib. 10. cap. 29. hiſt. Franc. lib. de glor. confeſ. cap. 9. lib. de uit. pat. cap. 17.

Septimo cal. Septembris.

s. Zepherini pont. et mart.) Ex conſtitutione Gregorij VII. pont. ut in libro Micrologo ſcriptum eſt. De ſanctiſſimo Zepherino multa ſane quidem in libris pontificalibus.

ss. martt. Irenæi, et Abundij. De quibus a S. R. E. notarijs memoriæ proditum eſt in actis beatiſſimi Laurentii mart. Hiſtoria præterea martyrij legitur in Breuiario Carnutenſi.

Vigintimillij.) Quod Liguriæ oppidum, a pleriſque Intimilium dicitur, uulgo Ventimiglia.

s. Secundi mart.) Vſuardus, Ado, Beda, et M. S. Eius martyrij narratio extat apud Boninium in uol. 2. de ſanctis.

s. Alexandri mart.) Beda, et Vſuardus breui, at pluribus Ado, uberrime autem Boninius, et ſcriptores annalium, Bergomenſium.

s. Victoris mart.) Vt habet Molanus in additionibus, quas Vſuardo confecit.

s. Eleutherij ep.) Ex tabulis eccleſiæ Antiſiodorenſis.

s. Ioannis ep.) De quo ſcribit Guallius in lib. de ep. pap. et Berengarius rex in quodam diplomate.

Sexto cal. Septembris.

s. Rufi ep. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Capuanæ. Porrò de s. Rufo ſcriptum eſt in actis s. Apolinaris, tum a Deſiderio, et demum a Rubrio in annalibus Rauen. ab Vſuardo, et ceteris, martyrologij ſcriptoribus.

ss. martt. Marcellini Tribuni, Mammeæ coniugis.) Aliàs, Manneæ, ut Ado, Beda, et Vſuardus, et codices nonnulli ſcripti habent. Maurolycus legit, Mammeæ.

Amone) Cuius urbis aliquando Plinius meminit.

s. Pelagij mart.) Pet. ep. in cat ſanct. lib. 7. et M. S.

ss. martt. Aurelij, Felicis, et ſociorum.) Quorum martyrum Eulogius ſæpe meminit; uitam uero ſcribit lib. 2. cap. 10. mem. ſanct. A quo fortaſſe Ado, et Surius, ſumpſerunt, quæ de ijs in libros ſuos retulerunt. Sed de ijs quidem martyribus aliàs diximus.

s. Narni ep.) Ex tabulis eccleſiæ Bergomenſis, et annalibus item publicis.

s. Cæſarij ep. et conf.) Cuius uitam, a Cypriano, illius diſcipulo, olim ſcriptam, Surius retulit in uolumen 4. Meminerunt item, Gennadius, et Trithemius. Illius octo et decem homeliæ extant in Bibliotheca Bergomenſi. Scripſit porrò is librū de Decretis conciliorum trium Arelatenſium: ſermonum librum unum ad monachos Lirinenſes; homilias quatraginta, quæ extant.

s. Siagrii ep.) Vſuardus, et tab. Auguſtodunenſes.

Quinto

Quinto cal. Septembris.

s. Auguſtini ep.) Martinus I. Gelaſius, Leo et Bonifacius VIII ſummi pottt. Cõcilium occumenicum V. VI. et VII. et Florentinum. Illius uitam Poſſidius, quem Poſſidonium plerique nominant, præclare ſcripſit: indicem præterea confecit operum, ſeu uoluminum; quæ nonaginta quattuor ducentis, et triginta tribus libris ſe complexum eſſe, ipſe Auguſtinus in epilogo Retractationum ſcribit. Porrò ætate ſua Victor libros illius ducentos, et triginta duos extitiſſe narrat, præter innumerabiles epiſtolas, euangelij, pſalmorumq. tractationes, et homilias item: quæ nuper multæ, typis Plantinianis impreſſæ, leguntur. Sed de eo ſatis quidem F. Xyſtus lib. 4. Bibl. ſanctæ.

s. Hermetis mart.) De quo ſcriptum eſt in actis ſancti Alexandri papæ, et mart. Tu uide Surium in tom. 3. die 3. Martij. De eodem item Vſuardus, Beda, Volateranus lib. 15. comm, urb Equilinus lib. 7. cap. 129 et annales publici, et Ado præterea pluribus: tum s. Gregorius in Antiphonario, et lib. ſacramentorum.

s. Iuliani mart. De cuius miraculis Gregorius Tur. lib. ſcripſit: de eius, et s. Ferreoli tranſlatione Sidonius li. 7. ep. 1. de illo præterea Vſuardus, Beda, et codices ſcripti, tum Sigebertus de uir. ill. cap. 49. et Ado item.

s. Alexandri ep et conf.) Vſuardus, Beda, Rufinus lib. 10. cap. 12. et 13. hiſt. eccl.

s. Pelagij mart.) Ex libris eccleſiæ Conſtantienſis.

s. Viuiani ep. et conf.) Aliàs, Bibiani; ſed codices, manu ſcripti, penè omnes habent Viuiani. cuius meminit Vſuardus, et Gr. Tur. lib. de gloria confeſſ. cap. 58. De illius uirtutum præſtantia extat liber ſcriptus.

Quarto cal. Septembris.

Decollatio s. Ioannis Baptiſtæ.) Sic inſcribitur in libro ſacramentorum, et antiphonario Gregoriano, ſed in pleriſque legitur, paſſio s. Ioannis Baptiſtæ. Quæ ſane decollatio, ut aliàs narrauimus, cũ in tẽpus paſchale cadat, eius celebritas ex inſtituto s. matris eccleſiæ in hunc diẽ translata eſt: quo die caput inuentũ eſſe dicitur. Porrò græci itẽ decollationis celebritatẽ hoc ipſo die agunt, ut ex eccleſiaſticis eorũ tabulis perſpicuũ fit. De amputatione capitis illius ſcriptũ eſt in Euangelio Mat. 14. Mar. 6. Luc. 9. extat item homilia Ioannis Chryſoſtomi, et altera item Andreæ Hieroſolymitani apud Metaphraſtem, ac ſermo præterea Honorij Auguſtodunenſis, et Bedæ tom. 7. s. Petri Chryſologi et aliorum etiam ueterum patrum. De inuentione, ſeu, ut uocant, reuelatione eiuſdem Honorii ſermo 1. et concio græca Metaphraſtis, ac tractatio præterea incerti auctoris apud Cyprianum, et Annales item Marcellini comitis.

s. Eliſei prophetæ) 3. Reg. 19. et 4 cap. 13. De eo Græci ad XVIII. cal. Iunii.

s. Sabinæ mart.) Breuiter Vſuardus, ſed copioſe Beda, longe copioſius Ado ex tabulis geſtorum, et s. Gregorius in Antiphonario.

s. Terentii ep. et mart.) Caniſius in ſuo martyrologio. Eum plerique Terentianum uocant; qui Traiano Imp. martyrio coronatus eſt, anno a Chr. nat. CXXXIII.

s. Sabinæ uirg.) Vſuardus, et cod. M. S.

s. Candidæ uirginis.) Idem, et Equilinus, et liber ſcriptus.

s. Mederici presb.) Vt eſt in martyrologio ſcripto. De s. Mederico Vincentius.

s. Felicis ep. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Venuſinæ, et Bedæ martyrol.

s. Adel-

s. Adelphi ep.) Ex cal. eccl. Metenſis.

Tertio cal. Septembris.

ss. Felicis presb. et Adaucti martt.) Vt in antiphonario, et libro ſacramentorũ, s. Gregorii ſcriptum eſt. Nonnulli codices habent, Audacti, ſed Adaucti, plerique omnes dicunt, ut notatio etiam nominis arguit. De iis Vſuardus, ſed Ado, et Beda ſcripſerunt uberius.

s. Gaudentiæ uirg.) Vſuardus, at ſocios tres martyres Beda adiungit.

s. Fiacrii conf.) Ex additionibus Molani.

s. Firmini ep.) De quo cal. ſept.

Pridie cal. Septembris.

s. Ariſtidis.) s. Hier. de uir. ill. Euſeb. Vſuardus, Trithemius, Beda.

ss. Robuſtiani, et Marci.) Ex martyrologio ſcripto, et Rom.

s. Paulini ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Treuerenſis. De s. Paulino Treuerẽſi Sulpitius lib. 2. ſacræ hiſt. ss. Athanaſius, et Hilarius contra Conſtantium, Caſſiodorus lib. 5. cap. 15. hiſt. Trip.

s. Aidani ep. et conf.) De quo Beda lib. 3. cap. 3. 5. 14. 15. 16. et 17. hiſt. Angl. et uita Cuthberti.

s. Optati ep. et conf.) Vſuardus.

s. Adulphii ep.) Ex monimentis ciuitatis Atrebatenſis.

Calendis Septembris.

Ieſu Naue.) Quem Iehoſua ben Nun hebræi uocant, inquit s. Hier. in præf. illius libri. De eo cum ſcriptum ſit toto ſacro libro, qui Ioſue inſcribitur, tum alijs etiam, ut in exodo cap. 17. 24. 32. Num. 12. 13. 14. Deut. 1. Eccl. 46. Eius uitam præterea latinis litteris Perionius monachus illuſtrauit. eiuſdem Nicephorus meminit in chr. Græci hoc ipſo die in Horologio.

Gedeonis.) Qui, Ioæ filius, e tribu Manaſſæ, iudex Iſraelitis annos quatraginta præfuit, Baal aram euertit: populum Iſraeliticum, a Madianitis oppreſſum liberauit. De eo ſane litteris proditum eſt lib. Iud. cap. 6. 7. et 8.

Annæ.) Luc. 2.

Capuæ.) Quæ in ipſo prædicationis euangelicæ exorſu, fidem amplexa eſt, ut ex eo conijcimus, quòd Priſcum, unum e ſeptuaginta, doctorem habuerit, a quo primum in religionis Chriſtianæ initijs inſtituta ſit. De eius martyribus infra.

s. Priſci.) Ado Treu. Vſuardus, Beda. Sunt qui Priſcam, cuius s. Paulus in ep. ad Rom. cap 6 meminit, alij Priſcillam nominant; neque unum ex illis ſeptuaginta, ſed e centum et uiginti diſcipulis extitiſſe arbitrantur.

s. Xyſti ep. et mart.) Demochares ex tabulis eccleſiæ Rhemenſis. Vſuardus itẽ, et Beda. Is martyrio coronatur anno a Chr. nat. LVI Imp. Nerone, Aſinio Marcello, et Aciola Auiola coſſ. Quo anno s. Paulus Apoſtolus Romam uinctus a Felice Præſide Iudeæ mittitur. Ex ſupputatione Caſſiodori.

s. Siſinnii.) Aliàs. Siſimij, auctores, qui ſupra.

Venuſiæ.) Qua in urbe etiam, Tomitiano Imperarore, martyrio coronatur. Fe-

lix

Felix epiſcopus Tuburbacenius, Audax, et Iannarins.

ss. martyrum 12.) Ex M.S et Breuiario item antiquo eccleſiæ Bergomenſis. Ex Radul. Tung. lib. de can. obſer. prop. 22. ſed ambigitur, uerum de his Venuſinis, an uerò de Beneuentanis martyribns xij. ab eo mentio fiat,

Beneuenti.) Vbi Ianuarius epiſcopus, Feſtus, Stephanus, et Deſiderius, martyrio præclaro coronati ſunt, Imperatore Diocletiano.

ss. Duodecim fratrum.) Quorum martyrinm Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius breui expoſuit: tum Alphanus, Archiepiſcopus Salernitanus, uerſibus complexus eſt; quos Lipomanus retulit in tomum 4. de ſanctis.

ss. Quatraginta uirginum.) Quarum martyrium, græce traditum, latine reddidimus.

s. Aegydij Abbatis.) Ex Breuiario Romano, et decreto concilij antiqui Colonienſis, et Beda. Eius uitam retulit S. Antonius in partem 2. chron. tit. 13. Extat præterea paſſim illa, manu ſcripta: cuius hiſtoria in cenſuram aliquam cadit, cũ contineat, quæ ſanctæ matris eccleſiæ doctrinæ, et traditioni repugnẽt. Tu uide cenſuram Radulphi Tungrenſis, et Molannm, de illius, Carolo Martello Regi manum imponentis, pictura differentem in lib. de pict. cap. 16. et 18. s. Aegydii officium lectionibus nouem celebrari, Vrbanus IIII. inſtituit, ut Radul. ſcribit, prop. 22.

s. Lupi ep. et conf.) Vſuardus, Beda, s. Antonius par. 2. chr. tit. 13. Beluacenſis, Equilinus, et Demochares ex tabulis SS. epp eccleſiæ Sennonenſis.

s. Victoris.) Quem Victorium plerique dicunt: de eo breuiter Vſuardus, at Beda multis; Gr. item Turonicus lib. de conf. cap. 56.

s. Niuardi ep.) Hunc Vinardum plerique dicunt: de quo ex tabulis eccleſiæ Rhemenſis Demochares ſcribit, et Sigelbertus.

s. Verenæ uirg.) Beda, Molanus item.

Translatio s. Mariæ.) Alias, Marinæ. Qnæ translatio celebrata eſt anno à Chr. nat. MCCXIII. s. Marinæ Venetijs eccleſia dicata eſt: ad quam uoti cauſa, nautæ, e naufragij periculo liberati, pie confugiunt.

Quarto Nonas Septemb.

s. Antonini mart.) Vſuardus, ac Beda breuiter: ſed multis s. Antoninus in chr. par. 1. tit 8. cap. 1. Boninus Momb. par. 1. Beluacenſis, et alij de eo ſcribunt. Martyrio coronatus traditur ann. a Chr. nat. CCCVII.

s. Ariſtionis ep. et mart.) martyrinm, a Græcis acceptum, latinis litteris explicauimus.

s. Iuſti ep.) Vſuardus, ſed Beda pluribus: de codẽ præterea Ado Vienn. An. 376 Ado Treuerenſis hoc die, et Idibns Oct. Demochares ex tabulis eccl. Lugd.

s. Elpidij ep. et conf.) Beda, Vſuatdus. Equilinus, et M. cod.

s. Coſmæ Heremitæ, et conf.) Cuius ſacræ reliquiæ Venetiis reconduntur in eccleſia s. Georgij.

Tertio nonas Septemb.

Ordinatio Sancti Gregorij Papæ.) De qua Stephanus Tungrenſis ſcribit in lib. de can. obſer. pr. 16. teſtatumq facit, ss. Gregorij, et Ambroſij feſtas celebritates ad dies ordinationis translatas eſſe, cum nullius diei feſti officium, ut Laodicenica

Bb nonis

nonis inſtitutum eſt, in quatrageſima ſeruaretur: idq.et ſi ubique antiquatum eſt; retinet eccleſia tamen Ambroſiana cui, Carolus Cardinalis s. Praxedis, Archiepiſcopus hac ratione, in medium per nos allata,uſuq. teſtificata , adductus,ordinationis huius celebritatem reſtituit. De s. autem Gregorio nos ſupra, menſe Martio, ſcripſimus.

s. Serapiæ uirg. et mart.) Cuius martyrium breui Vſuardus narrat, copioſius Ado,Boninus, s. Antoninus, et Beluacenſis,ſcribunt: qui illam Romæ martyrium ſubijſſe teſtantur; licet Equilinus aliter narret. Eſt præterea relatum de ea in acta s. Sabinæ,et a Caniſio in Mart. a Iordane in Ann. et a ceteris. Tu uide item Iſingrinium.

ss. Virginum, Euphemiæ,Dorotheæ,Theclæ,et Eraſinæ martt.) Ex tabulis eccleſiæ Aquileienſis: in qua de ijs uirginibus, et martyribus fit x i i j. cal. Oct. Nos earum diem natalem hoc loco adſcripſimus,Equilinum,et codicem,manu exaratum, ſecuti lege Rub. in hiſt. Rau.

ss. Ariſtei ep. et Antonini.) Pueri,ut Vſuardus appellat,et Equilinus item.

Nicomædiæ) Quæ urbs Bithyniæ, in fidei initiis a Prochoro diacono inſtructa, Barbaram uirginem,genuit,cuius præclarum nos martyrium ex Arſenio, et Damaſceno conuertimus. Anthimus item, ciuis Nicomedienſis, præclarus Chriſti martyr extitit, et alij præterea complures,de quibus ſuo loco diximus. Egregium item Nicomediæ martyrium ſubierunt, Maximiano Imp. Adrianus,ſocijq. x x III. Pantaleo etiam, Dorotheus,Gorgonius,ac ſocij. Sicut igitur martyrum, et epiſcoporum etiam,Euſebio excepto, quem Arianum fuiſſe conſtat,olim hæc urbs in ueteri illa Græcia floruit, ita etiam ſtudijs litterarũ, et græcarum, et latinarum. Ob hanc cauſam Conſtans eò Conſtantium filium miſit: Lactantius Firmianus ibi docuit: contraq. petulantiſſimos Sophiſtas duos defenſionem fidei ſuſcepit. lib.5. Inſt. cap.2. et 3.

s. Anthimi.) Quem Authimum plerique nominant. De eo ſane, et ſi ſcripſimus cal. Maij; tamen hoc etiam die,quo græci illius celebritatem agunt,enucleatius perſcribere uoluimus, prout e tabulis græcis accepimus.

s. Baſiliſſæ uir. et mart. Huius martyrium, in horologio græco expoſitum, latine reddidimus.

Tulli.) Cuius ciuitatis primus epiſcopus extitit Manſuetus, beatiſſimi Petri Apoſtoli diſcipulus, Ann. a Chr. nat. circiter L X. Nerone Imp.

s. Manſueti.) Ex tabulis eccleſiæ Tullenſis: cuius epiſcopos quattuor, ſanctitatis laude claros Demochares commemorat. Fuit Manſuetus a Leone I X. pont. max. qui olim epiſcopus Tullenſi eccleſiæ præfuit,in ſanctorum numerum relatus.

s. Ambroſij ep. et conf.) Ex dypthichis eccleſiæ ſenonenſis: cuius epiſcopos Demochares recenſet in lib.2. de Sacr. Miſ.

s. Remachi ep.) Aliàs Remacli: cuius uita, a Thietmaro abbate, et Notgero epiſcopo Leodienſi, in lib. de ep. Leod. olim conſcripta, extat.

s. Manij ep.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Veronenſis, et annalibus Franciſci Cornæ.

s. Auxani.) Ex codice peruetuſto eccleſiæ Mediolanenſis: in quo ſanctorum

s. Alberti.) quorum in ea.diœceſi eccleſiæ, altariaue extant, uitas exaratas uidimus.

Pridie nonas Septembris.

Beatiſſimorum martt. Magni, Caſti, et Maximi.) Vſuardus habet tantum, Magni,et

gni, et Caſti, nos, Maximi, addidimus ex Mart. Rom. et cod. M. S.

s. Marcelli mart.) Vſuardus, Beda, Ado, Bonininis, Gr. Tur. de glor. mart. cap. 53. et cod. M. S.

ss. martyrum, Theodori, Oceani, Ammiani, et Iuliani.) Ex tabulis græcis horum martyrium conuertimus.

ss. Trium puerorum, Rufini, Siluani, et Vitalici.) Vſuardus, et M. S. at Beda legit, Vitalicæ, ſed, Vitalici, in omnibus codicibus ſcriptum eſt.

s. Marcelli ep. et mart.) Imp. M. Antonino. Ann. a Chr. nat. c c x x. De eo Vſuardus, Beda, Caniſius, 1. Placentinus in lib. ep. Turig. Annales Treu.

s. Moſis prophetæ.) Cuius diem natalem græci agunt hoc ipſo die, ut ex Horologio, et Menologio animaduertimus. Eius uitam s. Baſilius, s. Ambroſius, Philo, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Ioſephus hebræus, Perionius, Hieronymus Vielmius, epiſcopus Aemoniæ, in lib. lect. ſex dierum ſcribunt. De eoq. præterea Xyſtus in bibliotheca ſancta multis locis diſſerit. Is naſcitur Exod. 2. agit. ut in reliquis Exodi capitibus ſcriptum eſt moritur Deut. 34. idq. a Ioſue litteris proditum eſſe narrant, licet Philo arbitreretur, Moſem ipſum, mox moriturum, de morte ſua ſcripſiſſe, ne hebræi, ob præſtantes illius uirtutes, raptum putarent. Quo die is mortem obierit, diſcrepantes ſunt iudæorum ſententiæ, ſed illorum annalibus, quos ſeder olam uocant, eo die, quo ortus eſt, e uita hac exiuiſſe, nempe die VII. menſis Adar. qui menſis eo anno habuit dies triginta.

Nonis Septembris.

s. Victorini ep. et mart.) Anno a Chriſto nato L x x. qua ex re intelligi licet Amiterninos populos, iam uſque ab initio, fidei chriſtianæ adhæſiſſe. De s. Victorino, Vſuardus, Beda, s. Antoninus par. 1. Chr. 1. et S. R. E. notarij, qui beati Nerei martyres geſtas litteris mandarunt: e quibus Ado accepit, qui de Victorini martyrio ſcribit uberrime.

s. Herculani mart.) Cui ſocium alij addunt Hermanum, ſeu Herianum, ſed non uere; nam Herculanum ſolum habet Vſuardus, et liber ſcriptus.

s. Abdiæ mart.) Vt e manu ſcriptis libris accepimus, atque ex Horologio græco.

Beatorum mart. Thatuelis, et Bebeæ Sororis.) Martyrium e græco libro conuertimus.

ss. martt. Quintij, Arcontij, et Donati.) Vſuardus, at Beda tres alios ſocios adiungit, Taurinum, Nimpum, et Saturninum, quos etiam nominat liber, manu exaratus.

s. Bertini Abbatis.) Vſuardus, Vincentius, Equilinus, et in tomo V. Surius. Sunt, qui a Folchardo Bertinienſi uitam s. Bertini conſcriptam opinantur.

Inuentio ss. beatorum martt. Ferreoli, et Ferrutionis.) Quæ a beato Aniano celebrata eſt, Iuliano Imp.

Octauo idus Septembris.

s. Oneſiphori ep.) 2. Tim. cap. 1. Beda.

ss. martt. Eudoxij, et Romuli.) De quibus græce ſcriptum eſt, ut nos latine reddidimus.

Beatorum martt. Fauſti presb. et Abibæ Diaconi.) E græcis item libris martyrium exſcripſimus.

Sanctorum Confeſſorum, Donatiani, Præſidij, et Sociorum.) De quibus Victor ſcribit lib. 2. Vſuardus, Beda, et M.S.

s. Cottidij.) Aliàs Cottidi, ut Vſuardus habet, nos addidimus, Et Eugeni, et Sociorum, ſicut Beda narrat.

s. Eleutherij abb.) Aliàs, epiſcopi, ut Beda, nos, Abbatis, ſcripſimus, libri antiqui auctoritatem ſecuti. Porro illius meminit s. Gregorius in lib. 3. dial. cap. 33. Tu præterea uide Surium in Tom. V.

s. Magni conf.) Cuius uita ab Emerico, Elefacenſi monacho, iuſſu Lanthonis ep. Auguſtani olim conſcripta eſt.

s. Petronij ep.) Ex tabula ſanctorum eccleſiæ Veronenſis.

Zachariæ prophetæ.) Græci ad IX. cal. Ap. De Zacharia Iſidorus, et Epiphanius de uit. proph. Ioſephus lib. 9. cap. 8. de Ant. Heb. Tum in lib. 2. Paralip. cap. 24.

Septimo idus Septembris.

s. Ioannis mart.) Vſuardus, Beda, et Euſebius lib. 8. cap. 5. hiſt. eccl.

s. Eupſychij mart.) Vt e libro græco uertimus.

s. Riginæ uirg. et mart.) Liber M. S. Vincentius, Equilinus, Vſuardus, et Theophilus quidam, Beda item.

s. Anaſtaſij mart.) Ex tabula ſanctorum eccleſiæ Aquileienſis.

s. Euurtij ep. et conf.) Quem Euurcium, et alij Emirtium appellant; ſed Euurtium ſcripſimus, ut Vſuardus, et libri ſcripti habent. De s. Euurtio ſex capita Vincentius contexuit, quæ ex illius geſtis, manu exaratis, accepit. Fit de eo etiam in eccleſia Carnutenſi, ut e Breuiario perſpeximus.

s. Rodulchi presb. et conf.) Repone, Clodoaldi, ut in codice Vſuardi ſcripto legitur. De quo Gr. Tur. lib. 3. cap. 18. hiſt. et Sigebertus in chron. Alij, Dodaldum, dicunt.

s. Auguſtalis ep.) Beda.

s. Grati ep.) Ex tabulis Auguſtanæ eccleſiæ.

Græci hoc die celebrant profeſtum natiuitatis beatiſſimæ Mariæ uirginis.

Sexto idus Septembris.

Natiuitas ſanctiſſimæ Dei genitricis, Mariæ.) Cuius natiuitatis ſolemnitatem, ſunt qui putent, iam uſque ab Auguſtini ætate, celebratam eſſe. In qua opinione eſt in primis Iacobus Valentius; qui de hac celebritate horarium precum officiũ ab eo etiam conſcriptum eſſe affirmat. Nos idem ſentimus, quod de ſolemnitate aſſumptionis paulo ante ſcripſimus, quam perantiquam oſtendimus. Id planè animaduertimus cum ex Ordine Romano, quo in libro mentio fit et homiliarum, et litaniarum, huic celebritati adſcriptarum; tum ex conſtitutione Sergij pontificis, qui ut in omni alio, ſic in hoc die feſto beatiſſimæ Mariæ uirginis proceſſiones, ſupplicationesue ſtatas inſtituit; tum ex homilijs antiquorum patrũ, quas etiam meminit liber ordinis Romani, tum ex libro ſacramentorum, et Antiphonario s. Gregorij, in quo huius diei officium ſcriptum eſt; tum ex Grimoldo Abbate; cum ex Ilephonſo epiſcopo Toletano, qui huius celebritatis in libro de uirginitate mentionem facit; tum ex Beda, qui hymnum confecit. Extant de hoc die feſto ſermones tres Petri Damiani apud Lipomanum, et Surium, ſermo item Fulberti epiſcopi Carnutenſis, Sermones præterea Radulphi Ardentij, Brunonis Carthuſiani,

Honorij Aguſtodunenſis, tum præterea tractatio græca Ioannis Damaſceni in lib. 3.cap.12. et lib.4 cap.15. de orth.fid. Liber uero de ortu Beatæ Mariæ, in apocryphis patrum iudicio cenſetur. Quod autem ſcriptor hiſpanus, Natiuitatis huius celebritatem ab Innocentio Quarto pont. inſtitutam opinatur, quàm ualde erret, ex ijs, quæ mox notauimus, cognoſci poteſt: at feſti huius diei Octauam ab eo pontifice decretam eſſe, plerique omnes ſcribunt, ut Belethus, et Durantius, ceteriq. præterea, qui huius diei officij horarij rationes explicant. An præterea huius diei uigilia cum ieiunio inſtituta ſit, ſunt qui ab Vrbano pont. id factum affirmant; ſed uigiliam deuotionis, non inſtitutionis alij putant. In tabulis græcis eſt huius diei profeſtum, ut diximus: tum celebritas hæc a græcis hoc die agitur, ut ex conſtitutione græca perſpeximus.

s. Adriani mart.) Cuius martyrium nos latine ſcripſimus, ut e priſcis monimentis accepimus. Tu uide Surium in tom. v. De eo præterea Ado copioſe in Martyrologio, Vſuardus, et Beda item.

ss. Ammonis, Theophili, et Sociorum.) Vſuardus, et libri ſcripti.

ss. Fratrum martt. Rufi, et Rufiniani.) Vt e græcis tabulis accepimus.

s. Artemidori mart.) In Martyrologio græco item.

s. Seueri mart.) De quo itidem græce ſcriptum eſt.

ss. martt. Timothei, et Fauſti.) Vſuardus, et M. S. cod.

s. Corbiniani ep.) Beda. Is primus Friſingenſis epiſcopus fuit: cuius uita, ab Aribone epiſcopo ſcripta, legitur apud Surium in tom. v.

Quinto idus Septembris.

Beatiſſimorum martyrum Dorothei, et Gorgonij.) De quibus Euſebius lib. 8. cap. 6. hiſt eccl. Beda, Vſuardus, et Surius in tomo v. ex hiſt. Euſ.

s. Sergij Papæ.) Ado Vienn. Beda, Anaſtaſius, et ceteri rerum pontificalium, eccleſiaſticarumq ſcriptores.

s. Seueriani mart.) Græci, et Metaphraſtes: cuius de eo concio extat apud Surium in tom. v.

sss. marttt. Ammiani, Theodori, et Iuliani.) De quorum martyrio proditum eſt græcis monimentis.

sss. marttt. Hiacynthi, Alexandri, et Tiburtij.) Vſuardus, et liber ſcriptus.

s. Audemari ep.) Cuius nomine appellatur oppidum nobile in Morinis. Illius uitam, a Folchardo monacho ſcriptam legas licet apud Surium tom. v. Meminit præterea Vſuardus.

s. Querani abb.) Vſuardus, et liber ſcriptus.

Quarto idus Septembris.

s. Hilari Papæ.) Aliàs s. Hilarij, ſed, Hilari legitur in monimentis epiſtolarum pontificalium, et in alijs libris manu exaratis. De eo proditum eſt libris pontificijs, et a Beda, Vſuardoq. item in Martyrologio.

ss. martt. Nemeſiani, Felicis, et Sociorum.) De quibus Beda, et Vſuardus: et Cyprianus ep. 25. lib: 3 et in editione Pammeliana, ep. 77. Hi omnes epiſcopi interfuerunt Synodo Carthaginienſi. Nemeſianus, quem Nemeſium nonnulli dicunt, a Tubunis, Lucius a Caſtrogalbæ, Litteus a Gemmelis, Polianus a Mileo, Datiuus a Badis, Iadder a Midilla, cognomen habent. Tu uide Surium in tom. v.

ss. martt.

ss. martt. Softhenis, et Victoris.) De quibus ſcriptum eſt in Geſtis Euphemiæ, et ab Vſuardo in Martyrol.

sss. martt. Meriodoræ, Metrodoræ, et Nymphoderæ.) Quarum martyrium Metaphraſtes ſermone complexus eſt, quem Surius exſcripſit in tom. v. Nos præterea e græcis tabulis.

s. Theodardi ep.) Cuius uitam ſe ſcripſiſſe affirmat Sigelbertus, extatq. aiunt in codice, manu ſcripto, eccleſiæ Traiectenſis: at ſplendidius expoſitam comperies apud Surium in tom. v.

s. Antonij Tolentinatis.) Vt eſt in Breuiario ordinis Auguſtiniani, et in litteris pontificijs Eugenij I V. et in tomo v. Surij.

s. Saluij ep.) Beda in Martyrol. et Gr. Tur. lib. 5. cap. 44. et 50. lib. 6. cap. 29. hiſt.

Tertio idus Septembris.

ss Proti, et Hiacynthi martt.) s. Gregorius in Antiphonario, et lib. ſacram. Vſuardus, Beda, et Ado, qui uberius martyrium narrat; et notarij præcipue in actis s. Eugeniæ, cuius dies natalis agitur VIII cal. Ian.

ss. martt. Diodori, et Didymi.) Quorum martyrium e græco uertimus.

s. Aemyliani ep.) E tabulis priſcis eccleſiæ Vercellenſis uitã illius côtexuimus.

s. Patientis ep.) De quo Sidonius in ep. ad Heſperium lib. 2. et ad quem idem ep. lib. 6. et auctor Martyrologij Rom et Demochares e tabulis epiſcoporum Lugd. Surius de eodem encomium habet, quod de illo Sidonius ſcripſit, et uerſus item. in tom. v. de ſanctis.

Pridie idus Septembris.

s. Theodori mart.) E tabulis græcis.

s. Curonoti ep. et mart.) Aliàs, Cornuti: Cuius martyrium græce pluribus exponitur.

s. Autonomi mart.) E græcis etiam litteris excepimus, et e Metaphraſte. Tu uide Surium in tom. v.

s. Sacerdotis ep. et conf.) E tabulis eccleſiæ Lugdunenſis, atque Breuiario itẽ.

s. Siluini ep. et conf.) Quem Saluinum tabulæ Veronenſis eccleſiæ nominant. De eo Auguſtinus Valerius ep. in libro de epiſcopis eccl. Ver.

s. Maximi.) Aliàs, Maximini, ut ex Aquitaniæ annalibus eccleſiaſticis perſpicue manifeſtum fit.

s. Guidonis conf.) Cuius uitam Surius retulit in uolumen quĩctũ de Sanctis.

Idibus Septembris.

s. Philippi ep.) De quo in Geſtis s. Eugeniæ mart. et in Martyrologijs Bedæ, Vſuardi, et ceterorum.

ss. martt. Macrobij, Gordiani, et Sociorum.) Zotici Scilicet, Luciani, et Valeriani: de quibus græce ſcriptum eſt uberrime.

s. Iuliani presb. et mart.) Cuius martyrium, litteris græcis traditum, latine breui reddidimus.

s. Ligorij mart.) Equilinus, et liber ſcriptus.

s. Mau-

s. Mauriliſ ep. et conf.) Quem Maurilionem Vſuardus appellat. Eius uitam, a Fortunato, epiſcopo Pictauorum, litteris mandatam, Surius retulit in tomum quintum de Sanctis. Nos uero eandem, in eccleſiæ Mediolanenſis, natalem illius diem colentis, tabulis antiquis exaratam, ſplendidius explicauimus in eiuſdem eccleſiæ Breuiario.

s. Amati Abbatis.) Vſuardus, Beda, et M. S. tum Surius in tom. v.

s. Amati ep.) Surius in tómo v. e libro M. S.

s. Venerij conf.) E Martyrol. Rom.

Decimo octauo cal. Octobris.

Exaltatio s. Crucis.) Græci hoc ipſo die, ut in conſtitutione græca legimus celebritatem exaltatæ crucis agunt, ſed diuerſam a latinis narrationem ſolemnitatis huius afferrunt, ſicut in menologio cerni licet. Eſt apud illos de Exaltatione crucis homilia Andreæ Cretenſis, et Metaphraſtis item in uita Anaſtaſij Perſæ. Apud latinos ſermo Petri Damiani, quem Surius habet, Honorij Auguſtodunenſis, Radulphi Ardentij. Hiſtoriam autem exaltationis narrat Ado Treuerenſis in Martyrologio ac Durantius præterea lib. 6. cap. 29. et Belethus. cap. 151. Quàm porrò uetus celebritas hæc ſit, facile cognoſcitur ex libro Sacramentorum, et Antiphonario Romano, et libro, qui inſcribitur ordo Romanus: in quo mentio fit homiliarum de hoc ipſo die.

s. Cornelij pont. et mart) De quo s. Cyprianus lib. 4. ep. 2. lib. 1. ep. 1. et 6. et libri item pontificales: nos præterea admodum copioſe in notationibus, quas Platinæ adſcripſimus. Eius uitam primò Pontius Diaconus, deinde plerique alij ſcripſerunt, poſtremò Pammelius erudite contexuit. De eo ſummi pontifices, Gelaſius, et Leo, et ſynodus item œcumenica VI. ac s. Auguſtinus cum ſæpe multis locis ſcribit, tum etiam aliquot ſermones habuit, qui nuper editione Plantiniana impreſſi ſunt.

s. Materni ep.) Ex tabulis eccleſiæ Treuerenſis Demochares, et Iſengrinius cent. 2. par. 5. diſt 2.

Inuentio s. Defendentis martyris.) Ex tabulis Archiuij eccleſiæ Bergomenſis.

Decimo ſept. calen. Octobris.

Octaua natiuitatis beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ.) Ab Innocentio Quarto, Pont. Max. inſtituto. De qua Octaua Radulphus Tungrenſis, in lib. de can. obſ. prop. XIX. et Beda in Martyrologio.

s. Nicomedis presb. et mart.) Cuius Baſilicæ dedicatio calendis Iunij celebratur. Eius uero res fortiter, pieq. geſtas beatus Marcellus, ſancti Petri Apoſtoli diſcipulus in epiſtola expoſuit, quam ad Nereum, et Achilleum ſcripſit. Plura, de eo Ado, qui ab illa epiſtola accepit; Beda item, Vſuardus, et reliqui, qui in hoc genere uerſati ſunt. In libro Sacramentorum, extant de eodem orationes. Boniſacius Quinctus pontifex, uia Ardeatina, Lapide ab urbe ſeptimo, cœmiterium eius nomine extruxit, atque dicauit.

s. Valeriani martyris.) Hic unus fuit, ex illis quinquaginta, qui Lugduni in Antoniana perſecutione capti, cum in uinculis eſſent, diuinitus liberati, ſunt. Beatus igitur Valerianus, inde mirabiliter ereptus, in Cabilonenſium fines, ad oppidum Trenorium uenit; ubi demum, quamplurimis prædicatione ſua ad fidem conuerſis, martyrio

martyrio coronatur,ut Martyrologij Cremonenſis,manu ſcripti,litteris proditum eſt. De eo Beda, Ado, Vſuardus, et ceteri.

Sanctæ Melitinæ martyris.) Cuius martyrium quam præclarum extiterit; græcorum litteræ teſtantur.

ss.martyrium, Maximi, et Theodori.) Horum martyrium, græcis monimentis traditum, latine reddidimus.

s. Nicetæ martyris.) Ex tabulis eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Simon autem Logotheta,rem totam de martyre enucleate perſcripſit: eandemq. Surius in uolumen quintum, quod de uitis ſanctorum contexuit, ordine retulit.

ss. martyrum,Serapionis,et Leontij.) Quorum Beda meminit. Fuit autem alter Serapio Alexandrinus, egregius Chriſti martyr; cuius dies natalis agitur decimo octauo calendas Decembris. Leontius item alius:de quo a nobis XIIII. calendas Iulij ſcriptum eſt. Eius res pie,fortiterq geſtæ,a Cyro ſcriptore tabulis plumbeis exaratæ ſunt.

Ancyræ in Galatia.) Sic nos ex priſco Codice reſtituimus, pro eo, quod Beda habet, In Cyra Galatiæ.Eſt autem Ancyra,inquit Plinius,duarum urbium nomen, quarum altera Phrygiæ, altera Galatiæ. Huius ſæpe Antoninus in Itinerario meminit.

ss.martt. Fleuci,Valerij,Cyrionis,Stratonis,et Sociorum.) De quibus memoriæ traditum eſt a Græcis.

Tulli.) Quæ urbs eſt Galliæ Belgicæ,uulgo,Tulle. Ab Antonino,et alijs Tullum Leucorum appellatur. Ciuitas Tullenſis initio ferè naſcentis religionis, adhæſit Chriſto Domino. Habuit epiſcopos,qui in ſanctorum numerum relati ſunt, Manſuetum, beati Petri Apoſtoli diſcipulum, Amonem, qui ei ſucceſſit, deinceps Alcham, Aprum,Antimundum martyrem, poſt cuius martyrium epiſcopatus Tullenſis uacauit annis trecentis;et Eculanum, atque alios item. Præfuit etiam olim eccleſiæ Tullenſi Leo, Papa Nonus.

s. Apri ep.) Beda,Vſuardus,et Demochares ex tabulis epiſcoporum Tullenſiũ. Plerique hunc nominant Epurum: qui fuit An. a Chr. nat. CXL.

Beatorum martt. Emilæ, et Hieremiæ.) Quorum martyrij breuiarium Eulogius exponit lib. 2. cap. 12. Mem. ſanct. De eorum die natali apparet aliqua uaria ſcriptio Vſuardi,Adonis,Breuiarij Cordubenſis,et Equilini:nos Eulogium ſecuti, illorum martyrium huic diei adſcripſimus,Anno a Chr. nat. DCCCLII. Emilianus, non, Emila, ſcribitur apud Adonem.

s. Albini ep. et conf.) Beda, et M.S. Demochares Alpinum uocat. in lib. de ſacrif. Miſ.

Decimo ſexto cal. Octob.

ss. mart. Luciæ,et Geminiani.) De quibus martyribus liber rerum fortiter, diuineq. geſtarum conſcriptus eſt: e quo et Ado, et Beda, et alij in Martyrologium, retulerunt copioſius. Sunt, qui in Sicilia eos martyrium obijſſe ſcribant, ſed perſpicue falluntur, cum Romæ id pertuliſſe, dilucide oſtendant, Eccleſiæ Romanæ monimenta, et Aquileienſes tabulæ, et s. Antoninus, et Mombritius, et antiqui Martyrologij ſcriptores. De his in lib.ſacr. s. Gregorij, ita ſcribitur: Eodem die, Sanctorum, Luciæ,et Geminiani: at in Antiphonario ſic: Nat. Sanctæ Euphemiæ, ac ſanctorum Lucij, et Geminiani.

s. Euphemiæ mart.) Nat. s. Euphemiæ, ſcriptum eſt in lib.ſacram. in quo extant de ea tantum præcipuæ orationes: in eccleſia Med. Præfatio Ambroſiana.

Græci

Græci porrò hoc ipſo die celebritatem illius agunt, ut ex Horologio, et Menologio, Simeoneq. Metaphraſte perſpeximuus: qui illius uitam martyriumq. enucleate perſcribit: De eiuſdem corpore Zonaras in Copronymo: de reliquijs item eius ſacris inuentis Conſtantinus epiſcopus Tius in oratione, quam habuit eo de genere: et Aſterius præterea de eadem ſcribit, ut eſt in ſynodo Nicæna poſteriore, act. 4.

Beatorum martyrum Rogellij, et Seruii.) De quibus s. Eulogius uberrime narrat lib. 2. cap. 13. de ſanctis. Martyrio coronati ſunt ann. a Chr. nat. D C C C L XI.

s. Niniani ep. et conf.) Beda lib. 3. cap. 4 hiſt. Angl.

s. Edithæ uirginis.) E tabulis ſanctorum Britanniæ.

Decimo quinto cal. Octobris.

s. Iuſtini presb. et mart.) De quo aliàs diximus, nempè pridie nonas Aug. ſed huic diei plerique omnes illius martyrium adſcribunt, ut Maurolycus, et codices M. SS. et Beda. ſunt qui Iuſtum appellent.

Beatorum mart.) Glorioſiſſimos etiam s. Auguſtinus uocat.

Narciſſi, et Creſcentionis.) In geſtis s. Laurentij: Vſuardus uero, et Beda nomina tantum ponunt. Creſcentij, Maurolycus legit, ſed, Creſcentionis, paſſim ſcribitur in codicibus impreſſis, et manu exaratis. Nec deſunt, qui, Narciſſæ, ſcribunt, ut in libro, litteris longobardicis exarato.

s. Florelli mart.) Aliàs, Flacelli: ex tabulis eccleſiæ Auguſtodunenſis, et Mombritio par. 1.

ss. Socratis, et Stephani martt.) Ex libris, manu ſcriptis, et Bedæ Martyrologio: ubi nomina ſolum extant; aliud præterea nihil.

ss. martt. Valeriani, Macrini, et Gordiani.) Nomina duntaxat exprimit Beda, at, martyrum, addidimus, libri ueteris auctoritate ducti.

s. Ariadnæ.) Vt a græcis tabulis accepimus, ita reddidimus. Tu uide librum Horologij.

ss. martt. Maximi, et Theodoti.) De quibus græce ſcriptum eſt pluribus.

ss. Centum martyrum.) Aegyptiorum, ut ex Horologio didicimus.

s. Lamberti ep.) Cuius uitam, et martyriũ multi ſcripſerũt, et in primis hi, Sigebertus, Gemblacenſis, Nicolaus canonicus s. Lamberti, et Reinerus monachus.

s. Columbæ.) Eulogius in præf. lib. 1. et lib. 3. cap. x. mem. ſanc. huius uirginis, et martyris uitam, et martyrium copioſius, atque enucleatius perſcripſit. Fuit hæc Cordubenſis: altera eodem nomine Sennonenſis. Sunt paſſim in Hiſpania per agros delubra quàm plurima, ſanctæ Columbæ nomine conſecrata, quæ populorum eximia ueneratione, ſtatis diebus, ſolemni ritu frequentantur. Sunt, qui Columbæ Sennonenſis, non Cordubenſis, diem feſtum in hiſpanijs celebrari putant, quoniam pridie cal. Ianuarij: qui dies natalis eſt s. Columbæ Sennonenſis, paſſim in ea prouincia agitur. Sed contra et pie, et docte oſtendit Ambroſius Moralius.

s. Satiri confeſ.) De quo s. Ambroſius in ſer. de obitu fratris: Mombritius item, et tabulæ Mediolanenſes. Alij poſtridie huius diei de eo faciunt: ſed eccleſia Mediolanenſis hoc ipſo die.

Impreſſio Stigmatum Franciſci.) De qua Alexander, Honorius, Pontt. Maxx. in ſuis pont. litteris, et s. Bonauentura cap. 13. et s. Antoninus in hiſt. par. 3.

Decimo quarto cal. Octobris.

Beatorum martt. Trophimi et Oceani.) Ex cod. M. S. peruetuſti.

ss. Victoris, et Stephanæ. martt.) Ex tabulis manu ſcriptis.

Viennæ.) In Gallia: eſt enim alia in Auſtria. Hæc uero Galliæ urbs, Creſcentem habuit, s. Pauli Apoſtoli diſcipulum: a quo primum fidei initijs inſtituta eſt, ann. a Chr. nat. L X V I I I.

s. Ferreoli mart.) Cuius tranſlatio a Mamerto Vienneſi celebrata eſt, ut ſcribit Sidonius Apollinaris lib. 7. ep. 1. De s. Ferreolo præterea Vſuardus, Beda, Ado, et alij.

s. Methodij ep. et mart.) De quo s. Hieronymus ſcribit in lib. de uir. ill. c. 93. Vſuardus, Beda in Mart et Synodus œcumenica V I I. Multa is edidit, quorum fragmenta aliquando Arethas in apocalypſis explicationem affert.

s. Euſtorgij ep.) Primi: fuit enim eo nomine alius, Mediolani epiſcopus, ideq; in ſanctis adſcriptus, cuius Caſſiodorus in ep. meminit. Huius uero s. Ambroſius in ep. de Baſilicis non tradendis. Quòd uerò Maurolycus hunc in martyrum numerò cenſet, perſpicue fallitur, ut facile cognoſci poteſt ab eodem s. Ambroſio, qui confeſſorem illum appellat, et ex tabulis priſcis eccleſiæ Mediolanenſis.

s. Eumeni.) Aliàs, Eumenij: quem, multitudine, et magnitudine miraculorum clarum, græci thaumaturgum appellant. Scriptum de eo eſt pluribus in Horologio, a quo nos accepimus, et in Menologio item.

Apud Abrincas.) Gallice uulgo Auranches. Porrò Abrincantenſis ciuitas alio nomine Arboricenſis, ſeu Arboretana dicitur: cuius epiſcopus in concilio prouinciali locum ſubdecani tenet, cum Baiocaſſij epiſcopus abeſt, qui, abſente Archiepiſcopo Lugdunenſi, locum decani in eodem concilio habet. Porrò eius ciuitatis epiſcopi in ſanctos, ut ex illius eccleſiæ diptycis accepimus, relati ſunt hi, ut pote s. Leontius, s. Paternus, s. Feſaginus, s. Senerius, s. Senetus, s. Rabentracius, s. Leodenaldus, s Ausbertus, s. Herbertus.

s. Sinerij.) Alias, Senerij, ut apud Robertum Cœnalium legimus. Alij Senatorem, eum appellant.

Decimo tertio cal. Octobris.

ss. martyrum, Euſtachij, Coniugis.) Quam Theopeſtem græci uocant. Et filiorum, Nempe Theopiſtij, et Agapij. De quibus omnibus græce in Horologio ſcriptum eſt pluribus.

Nuceriæ in Campania.) Eſt enim altera in Vmbria, quæ Neuceria a Ptolomæo dicitur.

ss. Felicis, et Conſtantiæ, martt.) Vſuardus, Ado, Beda, Aequilinus, et cod. M. S. Hi martyrio coronati dicuntur an. a Chr nat. circiter L X V. Ab initio igitur euangelicæ prædicationis Nuceria Campaniæ a Felice presbytero, qui eo nomine illuc uenit, uerbum Dei accepit.

Puteolis.) Quæ urbs campaniæ eſt, de qua aliàs diximus, uulgo Puzzoli.

Beatorum martt. Ianuarij ep. Feſti, Procli, et Sociorum.) Quorum martyrium Neapoli extitiſſe Maurolycus, et alij ſcribunt, ſed Puteolis potius. ut a græcis ſcriptum eſt: qui eorum celebritatem agunt XIIII. cal. Octob. quo die in Horologio de ijſdem copioſe narratur.

ss. martt.

ss. martt. Nili, Pelei.) Hos duos latini commemorant, at græci habent præterea Heliam et ſocios centum, ut ex eorum tabulis animaduertimus. Porrò de ss. Nilo, et Peleo, Euſebius lib 8. hiſt. eccl. cap. 25. Vſuardus, Beda. Quod in quibuſdam Martyrologijs legitur, s. Iulij, mendum eſt. Nos autem uberius de illis ſcripſimus; quoniam non a latinis ſolum, ſed a græcis etiam accepimus.

s. Suſannæ uirginis, et mart.) Quæ diu pro chriſtianæ pietatis ſtudio excruciata, in carceremq. coniecta, conſtanti fide migrauit ad Dominum, ut græce proditum eſt.

ss. martt. Trophimi, Sabbatij, et Dorymedontis.) De quibus in Menologio, et Horologio ſcribitur: nos latine breuiter narrauimus, quod fuſe græce de illis traditur.

s. Pompoſæ uirginis, et mart.) Cuius martyrium, a s. Eulogio enucleate perſcriptum in lib. 3. cap. 11. de ſanct. breui retulimus in Martyrologium noſtrum.

s. Euſtochij ep.) Ex tabulis eccleſiæ Turonenſis, quas Demochares in medium affert. Eſt porrò alius, nomine, Euſtocius, eiuſdem eccleſiæ epiſcopus, qui quintus numeratur: hic uerò decimus, de quo Gr. Turonenſis ſcribit lib. 2. cap. 1. et 39. lib. 10. cap 31. lib. hiſt. Fr.

s. Sigonis presb.) Alias, ut in manu ſcriptis libris legitur, s. Sequani: Cuius etiam Vſuardus meminit, et Gr. Tur. lib. de conf. cap. 88.

s. Meliti ep. et conf.) Alias, Mileti, ex tabulis eccleſiæ Treuirenſis.

s. Theodori ep.) Ex Beda lib. 4. cap. 1. et 2. et lib. 5. cap. 8. hiſt. Ang. Huius extat liber, qui pœnitentialis dicitur: cuius ſæpe meminerunt, Iuo, Gratianus, Burchardus, et alij canonum ſcriptores.

Duodecimo cal. Octobris.

Vigilia s. Matthæi Ap.) In Antiphonario s. Gregorij Papæ, et in Martyrologio Bedæ, et in conſtitutione Innocentij Papæ III. tit. de obſ. ieiun. cap. 2. et in lectionario s. Hieronymi.

In Cyzico inſula.) Propontidis, quæ, Marmora, uulgo uocatur. In ea cum Theogenes, alijq. complures, tum ij, qui mox infra commemorantur, martyrio coronati ſunt.

ss. martt. Fauſtæ uirginis, et Euilaſij.) Alias, Euelaſij. Horum martyrium uberrime, ut ſolet, Metaphraſtes ſcripſit VIII. idus Feb. Tu uero uide Surium in tom. I. ac Bedam item, qui copioſius de iiſdem narrat, quàm Vſuardus, ceteriq. omnes.

ss. martt. Theodori, Philippæ, Socratis, et Dionyſij.) De quibus quod græcis monimentis proditum eſt, latine commemorauimus breui.

s. mart. Priſci.) Alias, Priſſi: cuius martyrium græci narrant accurate.

Carthagine.) Carthaginienſis porrò prouinciæ epiſcopi quinque olim fuerant, Hipponenſis, Vticenſis, Aquenſis, Sicilienſis, Abyrcitanus.

s. Candidæ uirg. et mart.) Ex Breuiario, tabuliſq. eccleſiæ Cordubenſis.

ss. Dionyſij, et Priuati martt.) Cod. M. S. et Vſuardus præterea, qui nomina ſolum adſcribit.

Beatorum martt. Aemiliani, et Geronij.) Ex calendario Cordubenſi.

s. Eulogij presb.) De quo ſcripſimus ad VI. idus Martij.

s. Clicerij ep. conf.) Ex Beroldo, et tabulis eccleſiæ Mediolanenſis.

s. Gerardi conf.) Ex monimentis eccleſiæ Colonienſis.

s. Theclæ uirg. et mart.) De cuius rebus geſtis olim extabat liber, qui in apocryphis cenſetur ſanctione Gelaſij Papæ, ut eſt apud Gratianum cap. ſancta Romana eccleſia, Diſt. x v. Sed de præclara uirgine, et protomartyre Thecla egregie ſcribunt priſci patres et Græci, et Latini; Gregorius Nazianzenus in uerſibus, quos de preceptis uirginum ſcripſit, in orat. 1. contra Iulianum, in Monodia de s. Athanaſio, in orat. ad uirg. immo religionis cauſa ad illius uirginis templum profectus eſt: Epiphanius contra Collyridianos, rurſuſq. contra Antidicomarianitas; Chryſoſtomus hom. 25. in act. Ap. et hom 22. ad pop. Antiochenum; Simeo Metaphraſtes in uita Chryſoſtomi, et in uita s. Barbaræ, s. Cyprianus in oratione, quam die martyrij habuit; s. Ambroſius lib. 2. et 3. de uirginibus, ep. 7. et 82. Sulp. Seuerus in uita s. Martini. Illius nomine templa religioſe, anguſtiſſimeq. extructa, leguntur, ut in urbe Seleucia: ubi ſynodus habita eſt. De templo Seleuciæ ſcribit Euagrius lib. 3. cap. 8 et lib. 16. cap. item 8. Porrò de s. Thecla librum unum ſcripſit Nicephorus, qui multa apocrypha narrat, ut Vincentius Belluacenſis item, et liber is, qui Periodus Pauli, et Theclæ inſcribitur.

s. Soſij Diaconi.) Beda, Vſuardus, et M. S.

s. Conſtantij.) Alias, presbyteri, de quo s. Gregorius lib. 1. dial. cap. 5.

s. Paterni ep.) Vſuardus, et liber ſcriptus.

Inuentio s. Vincentij mart.) Ex tabulis eccleſiæ Bergomenſis.

Octauo cal. Octobris.

ss. martt. Euſebij, Potentiani, et reliquorum.) Quos Arthimanus monachus in annalibus commemorat, noſq. etiam ex Martyrologio, manu ſcripto accepimus.

Beatorum martt. Andochij, Thyrſi &c.) Quorum martyrium Fauſtus, et Symphorianus filius, litteris mandarunt: breuiq. Vſuardus, Beda, et Equilinus expoſuerunt. Nec uerò Aureliæ in Gallia, ut in Martyrologio quodam ſcriptum extat: ſed Auguſtoduni eos martyriũ ſubijſſe, ex omniũ pene Martyrologijs animaduertimus.

ss. Quatraginta nouem martyrum.) M. S. cod. Eorum martyrium cadit in annum Domini circiter c c x c.

ss. martyrum, Paphnutij, et quingentorum, quatraginta ſeptem.) Quorum martyrium e tabulis græcis accepimus.

s. Ruſtici ep.) Ex Martyrologio Rom. De s. Ruſtico Gr. Tur. lib. 2. cap. 13. hiſt. Fr.

s. Gerardi ep. et mart.) Ex Annalibus Hungariæ. Fuit is epiſcopus Canadiẽſis in Pannonia: de quo Surius ſcripſit, prout e libro antiquo, et manu ſcripto, accepit.

Septimo cal. Octobris.

s. Cleophæ.) De quo s. Lucas cap. 24. Vſuardus, at Beda copioſius.

ss. martt. Bardomiani, Eucarpi, et Sociorum.) E Martyrologio Bedæ:

s. Firmini ep.) Vſuardus, Beda, Equilinus, et ceteri.

Beatorum martyrum, Pauli, Tattæ coniugis, et filiorum.) Vt e græco libro uertimus.

s. Anathalonis ep.) Ex priſcis tabulis eccleſiæ Mediolanenſis, Brixienſis, et Bergomenſis. De eo Triſtanus Calchus, Donatus Boſſius, ciues Mediolanenſes in annalibus. Sunt, qui Anatolium illum appellant.

s. Lupi ep.) Vſuardus, Beda, et Demochares ex tabulis epiſcoporum eccleſiæ Lugdunenſis.

s. Anacharij ep.) Alias, Aunarij, ut habet Vſuardus: ſed Democharès Anacharium uocat, ſcriptione ductus tabularum eccleſiæ Antiſiodorenſis.

s. Solemnii ep.) Ex Martyrologio R. antiquo.

s. Principij ep.) Democharès ex tabulis eccleſiæ Sueſſionenſis.

Sexto cal. Octobris.

ss. martt. Cypriani, et Iuſtinæ.) Duo Cypriani fuerunt, ijdemq. doctrinæ, et martyrij laude nobiles; hic Antiochænus, ille Carthaginienſis, cuius dies natalis agitur XVIII. cal. Octobris. De hoc concio extat Gregorij Nazianzeni, et Metaphraſtis item: ſed in eo uterque fallitur, quòd Carthaginienſem epiſcopum hunc opinatur. at uero ille non idem eſſe, qui hic, multis argumentis oſtenditur tum a Lipomano, tum a Billio in eadem Nazanzeni concione.

s. Euſebij pont. et mart.) Alias, confeſſoris, ut habet Vſuardus.

s. Apollinarij mart.) Ex codice ſcripto.

ss. martt. Calliſtrati, et Sociorum.) De quibus græce ſcriptum eſt pluribus.

s. Epicharidis mart.) Ex Martyrologio græco item.

s. Senatoris mart.) Vſuardus.

s. Vigilij ep.) De quo Rampertus epiſcopus, in tabulis epiſcoporum Brixiæ.

Quinto cal. Octobris.

ss. martt. Coſmæ, et Damiani.) Qui Anargyri græce uocitantur, propterea quòd gratis, nullaq. plane mercede medicinam exercerent. De eorum rebus mirifice geſtis liber olim extabat: cuius teſtimonio aliquando uſa eſt Synodus œcumenica ſeptima in act. 4. Encomium illorum græce ſcripſit Nicetas philoſophus: idq. Metaphraſtes ſermone complexus, cum eo ſentiens, in ea opinione eſt, ut putet beatos Coſmam, et Damianum in pace quieuiſſe: ſed ex tabulis ſcriptorum latinorum, martyrium pertuliſſe, perſpicue cernimus. Illorum martyrium Græci celebrant calendis Decembris: latini autem, eccleſia Ambroſiana excepta, hoc ipſo die, ut olim item perpetuo: id quod liber ſacramentorum, et antiphonarius s. Gregorij plane oſtendit. De ijs Beda, Vſuardus, et ceteri, ſed longe omnium uberrime Ado.

Beatorum mart. Alphei, Alexandri, Marci et Sociorum.) Quorum martyrium expoſitum eſt græce pluribus.

s. Florentini mart.) Vſuardus, et M.S.

ss. martt. Adulphi, et Ioannis.) Quorũ mater Artemia, fœmina ſanctiſſima, et Aurea ſoror, martyr itẽ extitit. De quibus omnibus ſæpe s. Eulogius in lib. Mem. ſan.

s. Caij ep.) Cuius uitam expreſſimus e tabulis, Mediolani in baſilica Ambroſiana aſſeruatis.

s. Aderiti ep.) De quo proditum eſt memoriæ in annalibus Rauennæ, et a Hieronymo Rubeo in primis luculente admodum.

s. Ceranni ep.) E tabulis eccleſiæ Pariſienſis.

s. Hiltrudis uirg.) Molanus in calendario, et Indiculo Belgij.

Quarto cal. Octobris.

s. Stertei mart.) Vſuardus, Beda. At in libro ſcripto legitur, s. Statei.

s. Maxim

s. Maximi mart.) Liber ſcriptus.

sss. martt. Fauſti, Ianuarij, et Martialis.) Quorum martyrum Cordubenſium celeberrima in omnibus Hiſpaniæ eccleſijs memoria eſt, inſigni feſtiuitate conſecrata, et copioſa hiſtoria matutinis lectionibus repetita. Quicumque uel Martyrologia, uel uitas ſanctorum ſcripſerunt, et Eulogius in primis, ſcriptor Hiſpanus, præclaram faciunt mentionem. Sed feſtus dies alicubi diuerſus eſt: alibi hic dies, nempe uiceſimus octauus Septembris, alibi Octobris tertius decimus notatur.

s. Exuperij ep. et conf.) Ad quem Innocentius I. pont. epiſtolam ſcripſit. De eo multis locis s. Hieronymus, in ep. 4. præſertim ad Ruſticum. Pluribus autem illius uitam expoſuit Nicolaus Bertrandius in annalibus Tholoſanis.

s. Siluini ep.) Helias Capreolius in Annalibus Brixiæ, et Rampertus epiſcopus in tabulis epiſcoporum eiuſdem urbis.

s. Salomonis ep.) Ex tabulis eccleſiæ Ianuenſis. Vſuardus Salonium illũ uocat.

s. Vicenceslai mart.) Ex Breuiario antiquo ordinis Dominicani. De eo Pius II. pont. lib. hiſt. Bohemicæ cap. 14. et 15. Tu uide Surium.

s. Allodij ep.) Demochares ex tabulis epiſcoporum eccleſiæ Altiſſiodorenſis.

s. Liobæ uirg.) Cuius uita, iuſſu Rabani Abbatis, a Radulpho illius diſcipulo olim conſcripta, apud Surium extat in tom. v. de ſan.

Tertio cal. Octobris.

s. Michaelis Archangeli.) In libro ſacramentorum, et antiphonario s. Gregorij inſcribitur, Dedicatio baſilicæ s. Michaelis: cuius dedicationis hiſtoria extat in Adone, et Homiliario Alcuini, et in antiquis Martyrologijs, libriſq. uetuſtis, manu exaratis: tu præterea uide Surium. De s. Michaelis miraculis, et laudibus Pantoleo diaconus ſcribit: a quo Metaphraſtes accepit. Sunt eiuſdem generis ſermones, s. Bernardi, Petri Damiani, Honorij Auguſtodunenſis, Radulphi Ardentij, et aliorum. De s. Michaele hoc die ubique fit: in Græcia autem ad VI. idus Nouembris, ut ex Metaphraſte animaduertimus. Romæ olim ſolemniter hoc die a pontifice fiebat, et ſermo habebatur.

ss. Ripſimiæ, et Gaianæ uirgg.) Quarum, et Sociorum martyrium, græce ſcriptum, breui conuertimus.

sss. martt. Eutychij, Plauti, et Heracleæ.) Vſuardus, at Beda habet, Plati, ut ſcripti item codices.

ss. Soſij, et Ianuarij, martt.) Liber ſcriptus.

s. Fraterni ep. et mart.) Quem tamen confeſſorem Vſuardus uocat: ut martyrio coronatum eſſe conſtat ex tabulis eccleſiæ Antiſſiodorenſis.

s. Maximi ep. et conf.) E tabulis eccleſiæ Regienſis.

Pridie cal. Octobris.

s. Hieronymi presb. et confeſ.) De quo ſummi pontt. Leo, Gelaſius, et Bonifacius VIII. Concilium item VII. Moguntinum, et Aquiſgranenſe. Illius uitam, falſo a quibuſdam ſcriptam, grauiter atque erudite admodum ex omnibus eius libris Marianus Victorius, ciuis Reatinus, contexuit. Eum presbyterum Cardinalem S. Romanæ Eccleſiæ auctor Micrologi appellat cap. 21. recteq. eius imaginem ita exprimi oſtendit Molanus in lib. de pict. cap 23. et 69.

ss. martt. Victoris, et Vrſi.) Vſuardus, ſed Beda et Ado copioſius, Eucherius

n. Primi, Quirilli, et Secundarij.) M. S. cod. Alij legunt, Secundiani, ut nos etiam in noſtro Martyrologio reponimus, eum in pleriſque omnibus, manu exaratis, libris ita plane ſcribi, cernamus.

s. Leodegarij ep. et mart.) Cuius uita, ab Vrſino ad Anſoaldum, Pictauorum epiſcopum, olim ſcripta, iam nunc etiam extat. Tu uide s. Antoninum in Chron. par.2. Beluacenſem, et Equilinum. Illius martyrij meminit Vſuardus, et Beda copioſius hoc ipſo die.

s. Gerini.) Aliàs, Hierini: de quo in chr. Ado ann. 696.

s. Theophili monachi, et conf.) Huius uitam, et conſtantem pro fide catholica defenſionem, pluribus græce explicatam, latine in Martyrologium retulimus.

s. Thomæ ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Heriſordienſis.

Tranſlatio s. Claræ uirginis.) Vt eſt in Breuiario ordinis Franciſcanorum minorum. Aſiſij porrò celebrata eſt ann. a Chr. nat. M C C L X.

In Græcia hoc ipſo die celebritas agitur beatiſſimorum martyrum, Cypriani, et Iuſtinæ: de quibus iam ſcripſimus ad ſextum cal. Octob.

Quinto nonas Octobris.

s. Candidi mart.) Vſuardus, et cod. M. S.

s. Dionyſij Areopagitæ.) De quo in Græcia hoc die fit; at more Romano, ſeptimo idus Octob. quo die de eo ſcribimus.

ss. martt. Dionyſij, Fauſti, Caij, Petri, et Sociorũ.) Vt græcis litteris proditũ eſt.

s. Vilbrordi ep.) Cuius in martyrologio Beda meminit: at Vſuardus hunc prætermittit, et Euualdos tantum nominat: de quibus Sigelbertus in chronicis ſcribit, cum Beda itẽ lib.5.cap.11.hiſt.Angl. Ado quoque in Martyrologio, et Aequilinus.

Bronij.) In diœceſi ſcilicet Namurcenſi apud Belgas.

s. Gerardi Abbatis.) Ex Indiculo, et Calendario ſanctorum Belgij.

s. Iuuini confeſſoris.) Ex Molano.

Quarto nonas Octobris.

s. Franciſci conf.) Cuius uita, reſq. diuinitus actæ exponuntur litteris Apoſtolicis ſummorum pontificum, Alexandri, et Gregorij Noni, et s. Bonauenturæ Cardinalis. Multa præterea de eo conſcripſerunt Leo, Rufinus, et Angelus; qui eiuſdem ſocij, comiteſq. fuerunt.

ss. Criſpi, et Caij.) Act.18.1.Cor.1. Rom.16. Caius is eſt, cui s. Ioannes Apoſtolus, et Euangeliſta epiſtolam ſcripſit. Huius meminit s. Ignatius in ep. ad Smirnenſes. De utroque nos diximus in notationibus, quas Dorotheo adiunximus.

ss. martt. Marci, et Marciani fratrum, et Sociorum.) Ex libro ſcripto. De ijs Euſebius Cæſarienſis lib.8 cap.8.9. et græci præterea alij.

s. Adaucti mart.) Huius martyrium, pluribus græce explicatum, latine breui reddidimus.

s. Petri ep. et mart.) Martyrium, a græcis concelebratur, ut in Horologio uidimus.

ss. martyrum, Caij, Fauſti, Euſebij, et Chæremonis.) De quibus diximus, ut litteris græcis proditum eſt.

s. Hierothei ep.) Cuius s. Dionyſius Areopagita ſæpe meminit, lib.1.cap.2. de cæl. hier. et lib. de Diu. nom. cap.2.3. et 4. De eo præterea pluribus ſcriptum eſt

in Horologio Græco: a quo nos accepimus, quod in Martyrologium retulimus.

s. Petronij ep. et conf.) Ex Calendario, et tabulis, eccleſiæ Bononienſis. De eo Eucherius, Gennadius, Trithemius s. Antoninus, et Equil.nus ſcribunt. Nos uitam illius ſcripſimus, quæ apud Surium extat Sigonij nomine.

Tertio nonas Octobris.

s. Thraſeæ ep.) De quo Polycrates apud Euſebium lib. 5. cap. 23. hiſt. eccl. Vſuardus, ac Beda, Equilinus, ceteriq. item. Sunt qui Praſeam illam appellant, ſed non recte, ut ex ſcriptione græca animaduertimus.

ss. martt. Firmati Diaconi; et Flauianæ uirg.) Vſuardus, at Beda habet, Flauinæ: nos, Flauinæ, ſcripſimus, ut libri, recte exarati, habent.

s. Charitinæ mart.) De qua græce traditum eſt, ut nos latine reddidimus.

ss. martyrum, Palmatij, et Sociorum.) Ex tabulis antiquis eccleſiæ Treuerenſis.

ss. martyrum, Placidi monachi, Eutychij et Sociorum.) De quorum martyrio extat Siculorum epiſtola in hiſtoria cœnobij Caſſinenſis, quam Leo Hoſtienſis ſcripſit. Gordianus uero Proculi, et Sociorum martyrium ſcripſit: quam ſcriptionem legas licet apud Lipomanum in tom 4.

s. Apollinaris ep.) Vſuardus, Beda, et ceteri, ex tabulis eccleſiæ Valentinæ in Gallia.

s. Marcellini ep.) De quo ſcriptores annalium urbis Rauennæ, et Hieronymus Rubius in primis.

s. Attillani ep.) Ex litteris Apoſtolicis Vrbani II. Pont. Max.

Pridie nonas Octobris.

s. Balbinæ uirg.) Hæc diuerſa ab ea plane eſt, quæ, filia Quirini martyris, in Domino obijt pridie cal. Maij.

s. Sagaris ep.) Vſuardus in Martyrologio, et Euſebius lib. 5. cap. 23. hiſt. eccl.

s. Fidei uirg.) Alias, Fidis, ita habet Vſuardus: nos, Fidei, ſcripſimus, ut ſcriptio codicum oſtendit, ſicq. Beda itidem.

ss. martt. Marcelli presb. Caſti, et Sociorum.) Liber ſcriptus.

ss. martt. Conſtantis, et Alexandri.) Ex calendario eccleſiæ Curienſis.

s. Magni ep. et conf.) De quo Palmerius in Annalibus.

s. Romani ep.) Ex tabulis eccleſiæ Antiſſiodorenſis Demochares.

s. Brunonis.) Cuius uita, primum a Franciſco Puteo, deinde a Petro Blemoruennio, Carthuſianæ familiæ præfectis, ad poſteritatem litteris prodita, ſplendidius a Surio explicata, extat in uolumine V. de ſanctis.

Nonis Octobris.

ss. Sergij, et Bacchi martt.) Hi ambo, egregia corporis forma, in oculis Maximiani Imp. erant: quorum unus, Sergius quidem Primicerius, proximum uero Bacchus locum obtinebat. Erat porrò Primicerius, qui ſcilicet primum locum tenebat, idemq. eſt, qui primus: nam, cerius, productio eſt nominis. qua ſignificatione Auguſtinus s. Stephanum, primicerium martyrum, et Baldricus, Dolenſium Archiepiſcopus, Primicerium Apoſtolorum beatum Petrum dixit. Scholæ igitur, ſeu collegia

collegia erant,ut pote notariorum,tribunorum, Fabricenſium, ſcrinio rum utriuque ærarij, Lampadariorum, Cantorum, et aliorum: quæ ſane ſcholæ ſuum habebant primicerium,tum Secundocerium, Tertiocerium, Quartocerium: ut pote qui hoc anno eſt tertiocerius, ſequenti Secundocerius, tertio,Primicerius. Primicerius fere biennalis erat. Sergius igitur Primicerius, Bacchus Secundocerius fuit Scholæ: Extant geſta Sergij,et Bacchi: de quibus item Beda, Vſuardus, ſed Ado copioſius,et Metaphraſtes item apud Surium. De Sergio præterea Euagrius lib.4. cap.27. lib.6.cap.20. Nicephorus lib. 15. cap.23.

ss. martt. Marcelli,et Apuleij.) Vſuardus, Beda. Ii martyrium ſubierunt Nerone Imp. et Aureliano conſulari.

s. Iuliæ uirginis.) Equilinus, et liber ſcriptus.

s. Marci Papæ.) Et confeſſoris,ut inſcriptio eſt in libro ſacramentorum, et antiphonario s. Gregorij. De s. Marco ſcriptores librorum pontificalium, Beda, item, Vſuardus, ac reliqui id generis.

s. Iuſtinæ uirg. et mart.) Ex Calendario eccleſiæ Patauinæ. De s. Iuſtina Scardonius lib. 2. de Ant. urb. Pat.

s. Oſithæ uirg. et mart.) Cuius uitam ex codice antiquo, ac probato, Surius exſcripſit in uol.v. de ſanct.

s. Auguſti presb. et conf.) Ex Molano.

s. Helani presb. et conf.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Rhemenſis.

s. Brigitæ uiduæ.) Ex litteris Apoſtolicis Bonifacij Noni pont.

Hoc ipſo die, Victoria, maximo omnium inſignis, Dei ope, atque auxilio, Chriſtianorum claſſi,contra Turcas, tributa, Pio v. pont. anno a Chr. nat. M. D. LXXI.

Octauo idus Octobris.

s. Simeonis ſenis.) Luc.2.

s. Reparatæ uirg. et mart.) Beda,et s. Antoninus par.1.tit.7. Chron.

s. Pelagiæ uirg. et mart.) De Pelagijs aliàs ſcripſimus, ut uideas licet, IV. Non. Maij.

s. Demetrij mart.) De quo Metaphraſtes apud Surium in uol.v. Vſuardus, et Latini huic diei, Græci ſeptimo cal. Nou. eius martyrium adſcribunt.

s. Benedictæ uirg. et mart.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Lugdunenſis. De illa Vincentius, Equilinus, et M. S.

s. Porcariæ uirg. et mart.) Ex Calendario Senonenſis eccleſiæ.

s. Petri mart.) Ex Calendario eccleſiæ Hiſpalenſis, et Martyrologio Vſuardi.

ss. Dionyſij, et Fauſtini, martt.) Ex libro ſcripto.

s. Metropoli ep. et mart.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Treuirenſis.

s. Eudij ep. et conf.) Demochares ex tabula epiſcoporũ eccleſiæ Rothomagẽſis.

s. Caletrici ep.) Demochares item lib.2. de ſacr. Miſſæ.

s. Pallantiæ uirg.) Liber ſcriptus, et Equilinus.

Dedicatio baſilicæ s. Marci.) Mart. R.

Septimo idus Octobris.

ss. Dionyſij, Ruſtici,et Eleutherij martt.) De Dionyſio Areopagita concilium œcumenicum ſextum, et ſeptimum, Florentinum item, et illud præterea, quod Martino I. pontifice celebratum eſt, Nicolaus etiam I. Agatho I. pontt. maxx. et

Græci, Athanaſius quæſt. 8. Damaſcenus lib. 4. cap. 14. de fid. orthod. lib. 1. et 2. de imag. Liberatus, Archidiaconus Carthaginienſis cap. 10. Theodorus presbyter apud Photium Conſtantinopolitanum, Michael Syngellus, Georgius Pachymeres, et Maximus, ipſius Dionyſij interpretes, Suidas in Dictionario, Simeo Metaphraſtes, Vilbius Dionyſij diſcipulus, Hilduinus Abbas, Ado in Martyrologio v. Non. Oct. Xyſtus lib. 2. Bibl. 5. Hincmarus ep. Rhemenſis, Anaſtaſius Bibliothecarius, Methodius qui illius martyrium græce ſcripſit, et denique Mattheus Galenus in Areopagiticis. Tu præterea uide Surium in uol. v.

s. Domnini mart.) Vſuardus, ac Beda item.

s. Lucij regis.) Ex annalibus Churienſibus. Nauclerus tom. 2. Sunt qui tertio Non. Dec. eius martyrium aſcribunt.

sss. martt. Iubentini, et Maximi.) Quorum nobile pro fide certamen græce exponitur uberius.

s. Dorothei ep. et mart.) Cuius martyrium e græco uertimus.

s. Giſleni confeſſoris.) Cuius uitam, recte explicatam, comperies apud Surium in uol. v.

s. Ollæ uirginis.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Cameracenſis.

Abrahæ patriarchæ.) De quo in Geneſi multis capitibus.

Sexto idus Octobris.

s. Penyti ep.) s. Hieronymus lib. de uir. ill. cap. 38. Euſebius lib. 4. cap. 20. 22. 23. hiſt. eccl. Vſuardus, Beda, et M. S. Equiſinus item.

s. Gereonis, et c. c c x v i i i. martyrum.) Eccleſia Colonienſis librum, de his martyribus docte conſcriptum habet: qui Helinaldo Hiſtorico tribuitur. De iiſdē præterea, Vſuardus, Ado Treuirenſis, ac Beda in Martyrologio, Adoq. item Vienpenſis in Annalibus, Surius demum in tomo quinto de ſanctis, ſcribunt.

s. Victoris, aliorumq. martyrum ſeptem et decem.) Sic Vſuardus, et ſcripti codices habent. At uero ſunt, qui Victoris ſocios numerant trecentos et triginta: quot ſane etiam ſupputat peruetus traditio Xantheſium: in quorum finibus illi martyrium pertulerunt.

ss. Eulampij, et Eulampiæ martt.) De quorum certamine, præclaraq. fidei teſtificatione Græci narrant pluribus.

Veronæ.) Quæ urbs Galliæ, uulgo Bonna appellatur.

ss. Caſſij, et Florentij, et aliorum ſeptem.) Vſuardus, Helinaldus monachus, Equilinus, Vincentius, et M. S.

ssss. martttt. Euboraci, Euſebij, Sereni, et Probi.) Liber ſcriptus.

s. Pierij.) s. Hieronymus de uir. ill. cap. 86. Euſeb. lib. 7. cap. ult. Næ huic Vſuardus diem natalem adſcribit pridie Nonas Nouembris.

s. Cerbonij ep.) De quo, Populoniæ epiſcopo, s. Gregorius lib. 3. dial cap. 11.

s. Cerbonij item.) Aliàs, Cerboni, Epiſcopi Veronenſis ex tabulis ſanctorum illius eccleſiæ.

s. Paulini ep.) Beda in Martyrologio, et in hiſt. Ang. lib. 2. cap. 9. 14. 16. 17. 20. et lib. 3. cap 14. Tu uide Surium in uol. v.

s. Ioannis confeſ.) Cuius uitam apud Surium habes, grauiter ſcriptam. De eo præterea Auguſtinus Papienſis.

Quinto

Quinto idus Octobris.

ss. martt. Tharaci, Probi, et Andronici.) De quibus Metaphraſtes ſuſe ſcribit: tum præterea Vſuardus, Beda, Equilinus, ceteriq. id generis auctores. Porrò, Theracum, plerique dicunt, ſed, Tharacum ſcripſimus, ut eſt in libris, manu exaratis, et in græco codice. Tu uide Surium in uol. v.

Ecbatanæ in Media.) Eſt enim altera, eiuſdem nominis urbs, in Syria: ſed hanc Mediæ, numero multitudinis potius appellatam animaduertimus; ideo in Martyrologio reponimus, Ecbatanis. Verum in pago Vlcaſino, eorum martyrium extitiſſe, Vſuardus narrat.

ssss. marttt. Nicaſij ep. Quirini presb. Scubiculi diac. Pientiæ uirg.) Eorum martyrium narratur in Breuiario Carnutenſi.

s. Canici.) Aliàs Kenici abbatis: de quo Vſuardus.

s. Ethelburgæ uirg.) Beda lib. 3. cap. 8. hiſt. Angl.

s. Placidiæ uirg.) Ex Lectionario, Martyrologio, ceteriſq. monumentis eccleſiæ Veronenſis.

Quarto idus Octobris.

ss. martyrum Ediſtij, Euagrij, et Priſciani.) Liber ſcriptus.

s. Ediſtij item mart.) Ado, Beda, Vſuardus, et Hieronymus item Rubius lib. 2. hiſt. Rau. Is ſepultus eſt Rauennæ uia Lauretina, quam Laurentinam plerique uocant, ſed male. Lauretina enim dicitur a nemore lauris conſito.

s. Anaſtaſiæ uirg. et mart.) Cuius uitam, græci, latius explicatam habent: nos paucis eandem interpretati ſumus.

s. Domninæ mart.) Vt è Menologio, græciſq. monimentis accepimus.

Sanctorum quattuor millium, nonigentorum, et ſeptuaginta ſex.) Partim martyrum, partim confeſſorum: de quibus Victor lib. 2. de perſ. Vand. Vſuardus, et Beda in Martyrologio, Adoq. item pluribus.

s. Monæ ep. et conf.) Tranſlatio ſcilicet, cũ iampridem ab Angisberto Archiepiſcopo Mediolanũ illius ſacræ reliquiæ aſportatæ ſunt, ut ex antiquo codice ſcripto cognouimus. Illius uita, manu ſcripta, legitur in uolumine peruetuſto baſilicæ Ambroſianæ.

s. Saluini ep.) Cuius uitam Auguſtinus Valerius, epiſcopus Veronæ, contexuit ex antiquis eccleſiæ Veronenſis tabulis, ut e libro perſpeximus, quem is de ſanctis illius eccleſiæ edendum curauit.

s. Valfridi ep.) Quem Vuilfridum plerique dicunt. Illius porrò uita litteris mandata eſt a multis ſcriptoribus, primum Accæ epiſcopi hortatu ab Heddio Stephano, monacho Cantienſi; deinde ab Odone Seuero, Archiepiſcopo Cantuarienſi, tum a Fridegodo diacono; poſtremò a Petro Bleſenſi. De eodem præterea in hiſt. Angl. lib. 4. cap. 12. et lib. 5. cap. 20. et lib. 3. cap 28. Beda ſcribit, a quo Surius illius ipſius uitæ narrationem tranſtulit in uolumen quinctum de ſanctis.

Tertio idus Octobris.

ss. martt. Saturnini, et Lupi.) Liber ſcriptus.

s. Carpi ep.) Qui tanta morum ſuauitate fuit, ut Mel Atticum a ſuis uocitatus ſit. De eo s. Paulus 2. Tim. 4. et s. Dionyſius Areopagita in ep. ad Demophilum, tum græci hoc ipſo die in Menologio.

sss. marttt. Fauſti, Ianuarij, et Martialis.) De quibus alias ſcripſimus.

s. Florentij mart.) Cuius celebritatem Græci hoc ipſo die agunt magna cum commemoratione præclari certaminis, quod is pro Chriſti gloria, doctrinaq; ſuſtinuit.

s. Theophili ep.) s. Hieronymus in lib. de ſcript. eccl cap. 35. et in ep. ad Algaſiam quæ ſt. 6. Euſebius lib. 4. cap. 19. et 23. hiſt. eccl. Vſuardus, et Beda in Martyrologio. Sunt qui opinantur eum eſſe, cui s. Lucas Euangeliſta dicauit ſcripta ſua.

sss. marttt. Marci, Marcelli, et Hadriani.) Liber ſcriptus.

Sanctorum mart. Danielis, Samuelis, et Sociorum.) E tabulis ſanctorum ordinis Franciſcani, et litteris Apoſtolicis Leonis Decimi pont. Max. Tu uide Surium in uol. v.

s. Colmanni mart.) De quo extat carmen Saphicum Ioannis Stabij apud Surium in uol. v.

s. Eduardi regis.) E tabulis ſanctorum Britanniæ.

s. Venantij ep.) Vſuardus in mart. Gr. Tur. in lib. de gl. conf. cap. 15. et de uita pat. cap. 16.

Pridie idus Octobris.

s. Calixti Papæ, et mart.) Cuius extant geſta, à notarijs S. R. E. conſcripta. De eo in libris rerum pontificalium cum ſcriptum ſit; tum nos etiam diximus longe plura in notationibus, et elogijs, quæ de pontificibus contexuimus.

ss. martt. Ampodij, Modeſti, et Sociorum.) Liber ſcriptus.

s. Gaudentij ep.) E tabulis ſanctorum eccleſiæ Ariminenſis.

s. Fortunati ep.) S. Gr. lib. 1. dial. cap. 10 Vſuardus, in mart.

s. Ruſtici ep.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Treuirenſis.

s. Burchardi ep.) Cuius uitam ſcripſit Egiluuardus monachus: eandemq. Surius retulit in uolumen v. de ſanctis.

s. Donatiani ep.) Ex Indiculo, et calendario Belgij. Fuit is Rhemenſis epiſcopus: cuius ſacrum corpus hoc ipſo die Brugas in Belgium translatum eſt. De qua translatione ſcriptum eſt apud Surium in uol. v. De Donatiano autem in eccleſia Brugenſi extant litteræ Ebonis Archiepiſcopi, epiſtola item Geruaſij Archiepiſcopi Rhemenſis, reſcriptum Hugonis Archiepiſcopi, et aliæ id generis ſcriptiones.

Idibus Octobris.

s. Fortunati mart.) Vſuardus, Ado, et M. S.

Sanctorum mart. Trecentorum.) Maurorum ſcilicet: de quibus Beda, Vſuardus, Equilinus, Gr. Tur. in lib. de gl. mart. cap. 26. et Nicolaus monachus: qui illos CCCXVIII. fuiſſe putat, alij uero CCCL. numerant; at plerique omnes ſupputant ſolum trecentos.

ss. martt. Libulij, et Fortunatæ.) Beda, et liber ſcriptus.

s. martt. Sarbilij, et Bebeæ.) E græco Martyrologio.

ss. Antiochi ep. et conf.) Vſuardus, ſed Ado copioſius res illius geſtas narrat.

s. Oſuualdi ep. et conf.) Cuius uita, a Senatore Brauonio, monacho Vuigornienſi, conſcripta putatur. Tu lege Surium in uol.v.

s. Seueri ep.) E tabulis ſanctorum eccleſiæ Treuerenſis.

s. Aureliæ uirginis.) Ex Molano.

Decimo ſeptimo cal. Nouembris.

Sanctorum mart. ducentorum, et ſeptuaginta.) Vſuardus, et Victor lib. 1. de perſecut. Vand. et Ado item.

s. Eliphij mart.) Cuius res geſtæ, a Ruperto Tuitienſi ſcriptæ, extant apud Surium in uol.v.

ss. Saturnini, Nerei, et CCCLXV. martyrum.) Victor item, et liber ſcriptus, tum in primis auctor Martyrologij Rom.

s. Lulli ep. et conf.) Ex Breuiario Moguntino. Tu uide Surium.

s. Galli Abbatis.) Cuius uitam Vualfridus Strabus, Abbas Augienſis duobus libris, ſoluta oratione primum, tum uerſibus deinde complexus eſt: qui duo libri a Surio relati ſunt in uolumen. v.

s. Florentini ep.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Treuerenſis.

s. Mommoleni ep.) Alias, Nummolini.

Decimo ſexto cal. Nouembris.

ss. martt. Victoris, Alexandri, et Mariani.) Martyrol. Rom. et liber ſcriptus.

Beatiſſimorum marttt. Anthimi, Leontij, et Euprepij) Liber item ſcriptus.

s. Heronis ep.) Alias, Heroni: cui Ignatius epiſtolam ſcribit: de quo item Euſebius lib 3. cap. 30. Vſuardus, et ceteri.

s. Florentij ep.) Quem Florentinum Vſuardus nominat.

s. Victoris ep. et con.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Capuanæ. De eo Vernerius, et Trithemius de ſcrip. eccl.

Decimo quinto cal. Nouemb.

s. Lucæ Euangeliſtæ.) Cuius etiam celebritatem Græci hoc ipſo die agunt, ut e calendario, et conſtitutione græca perſpeximus. Sunt, qui Lucium a beato Paulo Apoſtolo, in ep. ad Rom. cap. 16. appellatum arbitrantur. Fit illius ſæpe mentio in ſacris litteris, ut pote col. cap. 4. 2. cor. 8. 2. Tim. 4. Immo uero Chryſoſtomus cenſet, quoties a s. Paulo in epiſtolis dicitur, Iuxta Euangelium meum, s. Lucæ fieri ſignificationem. De eo s. Hieronymus cap. 17. de uir. ill. s. Auguſtinus, lib. 1. de conſ. Eu. cap. 2. 3. et 6. Iſidorus cap. 8 in lib. de pat. utr. teſt. s. Ambroſius in comm. eu. Oecumenius, Theophylactus, Euthymius ceteriq. Euangelij interpretes. Nicephorus lib. 6. cap. 16. lib. 14. cap. 2. lib. 15. cap. 14. et lib. 2. cap 43. Xyſtus in Bibl. lib. 1. Extant de eo ſermones Petri Damiani, Radulphi Ardentij, Honorij Auguſtodunenſis; et concio præterea Metaphraſtis, de illius uita. Glycas porrò ſcribit, memoriæ proditum eſſe, illum pro fide Chriſti Domini in olea frugifera ſuffixũ fuiſſe; cumq. pretioſæ illius reliquiæ nuſquã reperirentur, quòd eſſent inter multa tuguria reiectæ; precibus impetratũ eſſe a Deo, ut collyria quædam medica demitteret, artis ſancti uiri ſymbola: quibus conſpectis reliquias ibidẽ inuentas eſſe.

s. Tri-

s. Triphoniæ.) De qua in geſtis ss. martt. Laurentij, et Hippolyti, et in Martyrologio Vſuardi, Adonis, Bedæ, et aliorum.

s. Iuſti mart.) Aliàs, Iuſtini: cuius martyrij liber extat, manu ſcriptus, idemq. uerſibus explicatus in tom. 3. Bedæ.

s. Aſclepiadis ep.) Euſebius lib. 6. cap. 9. hiſt. eccl. Vſuardus, ac Beda item.

Tranſlatio beati Rumoldi mart.) Ex tabulis eccleſiæ Maclinienſis.

Decimo quarto cal. Nouemb.

ss. martt. Ptolomæi, et Lucij.) Quorum martyrium beatus Iuſtinus Martyr expoſuit in Apologia prima, quam pro Chriſtianis ad Senatum Romanum ſcripſit: inde Euſebius accepit, quicquid de ijſdem retulit in hiſtoriam eccleſiaſticam, lib. 4. cap. 16. Vſuardus præterea, ceteriq. eiuſdem generis.

ss. martt. Vari, et Sociorum.) De quibus Simeo Metaphraſtes hoc ipſo die: tu uide Surium in uol. v. de ſanctis.

s. martyrum, Beronici, Pelagiæ, et Sociorum.) Vſuardus, et liber ſcriptus.

ss. martt. Sauiniani, Potentiani, et Sociorum.) Quorum celebritas olim agebatur pridie cal. Ianuarij: translata eſt autem ad hunc diem: quo die ſacra eorum corpora Senonas aſportata ſunt. lib. 9. ſpec cap. 41.

ss. martt. Proculi, et Niceæ matris.) Liber ſcriptus.

s. Verani ep.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Aurelienſis.

Decimo tertio cal. Nouembris.

Beatiſſimorum martt. Datij, Zoſimi, ac Sociorum.) Liber ſcriptus.

s. Maximi diac. et mart.) Vſuardus, Equilinus, et liber ſcriptus.

s. Capraſij mart.) De cuius, et Fidei martyrio extat liber, manu ſcriptus. De eo Vſuardus, ſed Beda copioſius.

ss. Virgg. Marthæ, et Saulæ.) Vſuardus, et M. S.

s. Arthemij mart.) Metaphraſtes apud Lipomanum, et Surium in uol. v. et Græci item hoc ipſo die in Horologio.

ss. martt. Georgij, et Aurelij.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Pariſienſis.

s. Sindulphi confeſ.) Cuius uita olim ſcripta eſt ab Almanno Altuillarenſi, ut cognouimus e Sigeberto cap. 99. de uir. ill.

Duodecimo cal. Nouembris.

s. Auſterij mart.) De quo relatum eſt in librum geſtorum s. Calixti Papæ. De eodem præterea Vſuardus, et Beda: a quo copioſius illius martyrium cognoſces.

sss. martt. Datij, Caij, et Zotici.) Aliàs, Zoſij, et Daſij, ut Beda habet.

Sanctarum undecim millium uirginum.) Quarum extant Coloniæ præclara monimenta. Liber eſt item de earum martyrio, perantiquus, manu ſcriptus: qui, peritorum iudicio, aliquid mendoſi habet. Illarum præterea meminit Vuandelbertus Prumienſis in Martyrologio, uerſibus ſcripto: quos uerſus legas licet apud Surium in uol. v. ſicut etiam librum, e uetuſtis monimentis, exſcriptum, et teſtimonium præterea Sigeberti, cum tota martyrij illarum narratione conſentiens.

s. Hilarionis Abbatis.) Vt accepimus e codice græco.

s. Se-

s. Seuerini ep.) De quo apud Surium ſermo extat, e priſcis codicibus collectus: Gr. Tur. lib. de gloria confeſſ. cap. 45. Illius uita conſcripta putatur a Fortunato presbytero) ſed deſideratur.

s. Viatoris conf.) Vſuardus, Beda, et liber ſcriptus.

s. Ciliniæ uirg.) De qua in uita Genoueſæ apud Surium in uol. 1.

Vndecimo cal. Nouembris.

s. Marci ep.) Euſeb. lib. 4. hiſt. eccl. cap. 7. Nicephorus in chronicis, Epiphanius lib. 1. contra hær. Vſuardus, et ceteri in mart.

s. Mariæ Salomæ.) Mar. 15. 16. Vſuardus, Beda, et M. S.

sss. marttt. Philippi ep. Euſebij, et Hermetis.) Beda, Vſuardus, Vuandelbertus Prumienſis, et M. S.

Beatorũ martyrum, Alexandri, Heraclij, et Sociorũ.) Ex Martyrologio Græco.

ss. uirgg. et martt. Nunilonis, et Alodiæ, ſororum.) Aliàs, Elodiæ; ſed, Alodiæ, ſcripſimus, uulgatam ſecuti conſuetudinem multarum Hiſpaniæ eccleſiarum; quæ diem feſtum earum celebrant, leguntq. in matutinis martyrij illarum hiſtoriam. Porrò Vſuardus Numilonem, et Elodiam dicit. De ijs uirgg. copioſe lib. 2. cap. 7. ſcribit Eulogius.

s. Cordulæ uirg. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Colonienſis. De s. Cordula Rodulphus in uit. Alberti Magni.

s. Verecundi ep. et conf.) Anguſtinus Valerius, ep. Veronæ, in libro ſanctorum eccleſiæ Veronenſis.

Decimo cal. Nouembris.

ss. martt. Seruandi, et Germani.) Vſuardus, Beda, et M. S. Breuiariumq. item Cordubenſe.

ss. martt. Theodotæ, et Socratis presb.) Quorum martyrium e græco in latinum uertimus.

s. Theodori presb.) Aliàs, Theodoriti, Aliàs item, Theodorici: cuius res geſtæ ab ijs conſcriptæ ſunt, qui earum ſpectatores fuerant. De eo Vſuardus, ſed longe fuſius Beda ſcribit, et Sozomenus lib. 5. cap. 7. et Ado in mart.

s. Seuerini ep. et confeſ.) De quo mox ſupra: ſed fortaſſe uno die tranſlatio, quæ litteris mandata eſt, altero natalis celebratur.

s. Romani ep. et conf.) Ex tabulis eccleſiæ Rhotomagenſis.

s. Domitij presb. et conf.) M. R. et tab. ſanct. Amb.

s. Ioannis Boni.) Ex Calendario Heremitarum ordinis Auguſtiniani.

Nono cal. Nouembris.

Beatiſſ. marttt. Felicis ep. Adaucti, et Ianuarij presbb.) De quibus Ado, Beda, Vſuardus, et liber ſcriptus. De felice ep. et mart. uide Surium in uol. v.

s. Maiorij mart.) Liber ſcriptus.

s. Maglorij ep.) Ex Martyrologio cœnobij Pariſienſis, eiuſdem s. Maglorij nomine nuncupati. Illius uitam e manu ſcriptis codicibus collegit Surius in uol. v.

s. Euergiſti ep.) Aliàs, Euergiſli, ut habet Surius in uol. v.

s. Martini abbatis.) Vſuardus, et s. Gregorius lib. 3. dial. cap. 16.

s. Vitalis.) Mar. R.

Octauo cal. Nouembris.

ss. martt. chryſanthi, et Dariæ.) Quorum diem natalem Græci agunt xvi. cal. Nou. ut e conſtitutione græca, Menologioq. item perſpeximus. Varinus, et Armenus, fratres, eorum martyrium cum litteris conſignaſſent, ad omnes eccleſias miſerunt. De ijs cum Græci, Metaphraſteſq. in primis, tum latini, ſcribunt: quorum de illis lucubrationes, manu ſcriptæ, extant in omni eccleſia. Illud uero Gr. Tur: teſtatum facit, a s. Damaſo pont. uerſibus ſepulturæ eorum locum decoratum eſſe.

s. martyrum Quatraginta ſex.) Vſuardus, Beda, et ceteri. De ijs porrò a S.R.E. notarijs ſcriptum eſt in libro martyrij ſanctorum Xyſti, Laurentij, et Hippolyti.

s. Bonifatij Papæ.) De quo aliàs pluribus.

s. Frontonis ep.) Vſuardus, Beda in Martyrologio, Volaterranus lib. 3. et 16. comm. Antoninus par. 1. tit. 6. cap. 25.

s. Miniati mart.) Aliàs, Miniatis: de quo memoriæ proditum eſt in codicibus, manu ſcriptis, eccleſiæ Florentinæ, et in uol. v. Surij.

ss. martt. Criſpini, et Criſpiniani.) E codicibus M. S. peruetuſtis. Tu uero apud Surium comperies eorum martyrium breuiter, at dilucide tamen enarratum.

ss. martt. Marciani, et Martyrij.) Græci, et Simeo Metaphraſtes apud Lipomanum, Sozomenuſq. item lib 4. cap 2.

s. Hilarij ep.) Vſuardus, et M. S.

s. Celſini conf.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Rhemenſis.

Septimo cal. Nouembris.

s. Euariſti pont. et mart.) Ignatius lib. 3. cap. 3. s. Auguſtinus, Optatus Mileuitanus, s. Damaſus, Euſebius lib. 3. cap. 34. et in chron. Nicephorus lib 3. cap. 25. et in chron. Nauclerus, Beda in mart. Viterbienſis, ceteriq. ac nos præterea pluribus in elogijs, notationibuſq. noſtris, Platinæ adiunctis.

ss. martt. Rogatiani presb. et Feliciſſimi.) Et aliorum. Fuerunt autem Rogatiani duo, unus ſenior, alter iunior. De utroque s. Cyprianus in lib. 4. ep. 1.

Beatorum martt. Luciani, et Marciani.) E libris M. S. Eorum martyrium Boninius retulit in uolumen 11. de ſanctis.

sss. marttt. Marci, Sotericij, et Valentini.) Vt græcis tabulis proditum eſt, unde nos accepimus.

Sanctorum martt. Luciani, Floriani, et reliquorum.) Aliàs, Flori, ex Beda, et libro ſcripto.

s. Ruſtici ep.) Ad quē s. Leonis pont. extat epiſtola 92. De eo Vſuardus, et M. S.

s. Frumentij.) De quo hiſtoriæ eccleſiaſticæ monimentis græcis, et latinis traditum eſt.

s. Fulchi ep.) Iacobus Valla in lib. de epiſcopis Papiæ.

Sexto cal. Nouembris.

Vigilia ss. App. Simonis, et Iudæ) M.R. Beda, Durantius, noſq. item alio loco.

sss. marttt.

ss. marttt. Vincentij, Sabini, et Chriſtetæ.) Aliàs, Chriſteſtes, ut habet Beda, nos Chriſtetæ, ſcripſimus, ut Vſuardus, et codices, rectè ſcripti.

ss. martt. Capetolinæ, et Eretoidæ.) E græco codice.

s. Florentij mart.) Beda, et M. S. tum Vſuardus.

s. Iuonis conf.) Tranſlatio ſcilicet.

Inuentio s. Vincentij mart.) Vt hoc de genere liber extat, ab Haimoneo monacho ſcriptus.

Quinto cal. Nouembris.

ss. Simonis, et Iudæ, App.) De s. Apoſtolo Iuda, qui Thadæus dicitur, Mat 10. 13. Ioan. 14 Iudæ 1. s. Hieron. de uir. ill. cap. 14. Iſid. cap. 77. De s. Simone Apoſtolo, qui Cananæus, et Zelotes appellatur, Mat. 10. Hier. 3. Luc. 6. Act. 1. Iſidorus cap. 79. lib. de pat. utr. teſt. Euſeb. lib. 3. cap. 12. hiſt. eccl. De utroque Ado in mart. et Honorius Auguſtodunenſis in ſpec Eccl. Scriptor illorum uitæ, Calendis Iulij, martyrio coronatos eos eſſe narrat; ſed contra apparet cum ex eorumdem celebritate, quam hoc die eccleſia agit, tum ex Martyrologijs. Vt hoc igitur falſum eſt, ſic illud, quod ſcribit, ab Africano hiſtorico illorum res geſtas in latinum conuerſas eſſe; cum Africanus non latinus, ſed græcus ſcriptor extiterit, ut teſtatum nobis facit s. Hieronymus in lib. de uir. ill.

s. Anaſtaſiæ uirg. et mart.) Anaſtaſiæ duæ extiterunt. Hæc porrò diuerſa ab illa eſt, cuius dies natalis agitur octauo cal. Ian. ut cũ ex ceteris, tum ex Metaphraſte animaduerti licet, qui huius uitam copioſe ſcripſit. Tu uide Surium.

s. Fidelis mart.) Ex libro peruetuſto eccleſiæ Mediolanenſis de geſtis s. Materni epiſ. in quibus s. Fidelis etiam martyrium exponitur. Extat de eo ſermo, et hymnus Petri Damiani apud Lipomanum.

Beatorum martt. Africani, Terentij, et Sociorum.) Vt in Martyrologio græco.

s. Ferrutij mart.) De quo Meginhardi monachi liber extat apud Suriũ in uol. v.

s. Probi ep.) Ex tabulis eccleſiæ Rauennatis. De eo præterea Hieronymus Rubeus in hiſt. Rauen.

s. Honorati ep.) Cuius uitam ex uarijs eccleſiæ Vercellenſis monimentis contexuimus.

s. Pharonis ep. et conf.) Huius uita, uerſibus ſcripta olim eſt a Falcuino, Scholaſtico Meldenſi. De eo Vſuardus, s. Antoninus in chron. par. 2. Vincentius, Equilinus, et Surius.

Quarto cal. Nouembris.

ss. martt. Hiacynthi, Quinti, et Sociorum.) Vſuardus, Beda, et liber M. S.

s. Zenobij mart.) Vſuardus, M. S. Beda, et Euſebius lib. 8. cap. 25. hiſt. eccl. Græci item, et Metaphraſtes in primis apud Surium in uol. v.

sss. marttt. Claudij, Aſterij, et Neonis.) E codice græco, ut latine expreſſimus.

s. Narciſſi ep.) Beda, Ado, Vſuardus, Euſebius lib 6 cap. 8. 9. 10. Nicephorus in chron. et in hiſt. ſac. Surius, qui ab Euſebio accepit.

s. Euſebiæ uirg. et mart.) E tabulis eccleſiæ Bergomenſis.

s. Ioannis ep. et conf.) E tabulis eccleſiæ Auguſtodunenſis. Illius ſane uitam ſcripſit Vualfridus epiſcopus, qui in illius locum ſucceſſit.

s. Theodori conf.) E libro ſcripto.

s. Quintini confeſ.) E calendario antiquo eccleſiæ Med. et libro ſcripto.

Tertio cal. Nouembris.

ss. martt. Ducentorum, et uiginti.) Vſuardus, et liber ſcriptus.

s. Epimachi mart.) De quo Metaphraſtes poſtridie huius diei. Nos e græco uertimus illius martyrium.

s. Eutropiæ martyris.) Vt græce ſcriptum eſt.

s. Marcelli centurionis.) Vſuardus, Beda, et Surius in uol. v.

s. Lucani mart.) E tabula ſanctorum eccleſiæ Pariſienſis.

s. Saturnini mart.) E libro ſcripto.

s. Theoneſti ep. et mart.) Cuius martyrium, et res geſtas accepimus, luculente ſcriptas.

s. Criſpini ep.) Qui ſubſcripſit epiſtolæ ſynodali, ab Euſebio, Archiepiſcopo Mediolani ſcriptæ ad ſanctiſſimum Leonem 1. De eo Paulus diaconus, et Iacobus Valla in lib. epp. Pap.

s. Germani ep.) De quo s. Gregorius lib. 2. dial. cap. 35. lib. 4. cap. 40. s. Antoninus in chron. Paulus Diaconus lib. 7. cap. 2. rer. Rom. Boninius in uol. 2. de ſan. Reginò in Ann. et Hilario monachus Med.

s. Leontij ep.) Ex tab. eccl. Terracinenſis.

Pridie cal. Nouembris.

Vigilia omnium Sanctorum.) De qua uigilia, et ieiunio Belethus in lib. de diu. off. cap. 158. Durantius lib. 7. cap. 34. Sicardus, et Rabanus.

s. Nemeſij mart. et Lucillæ.) De quibus a S. R. E. notarijs ſcriptum eſt in geſtis s. Stephani Papæ; a b Vſuardo, Beda, Adone, ceteriſq. Martyrologij ſcriptoribus.

s. Zenobij ep.) E libro græco.

sss. Stachys, Amplij, Vrbani, et Sociorum.) De quibus græce item. Porrò de Stachyde, quem Itachym Dorotheus nominat, et alij Stactheum, Volaterranus lib. 19. comm. Nicephorus lib. 8. cap. 6. hiſt. ſac. et in chr.

s. Quintini mart.) Vuandelbertus Prumienſis, Vſuardus, Beda, et M. S. Surius item e ueteſtis monimentis.

s. Natalis confeſ.) M. S.

s. Antonini ep.) E calendarijs, et libro peruetuſto eccl. Med.

s. Lucilli ep.) Aug. Valerius, ep. Veronæ in lib. ſanctorum eccleſiæ, Veronēſis.

s. Volfanghi ep.) Surius in uol. v.

s. Foillani ep.) Cuius martyrium, uerſibus ſcriptum eſt ab Hillino quodam.

Calendis Nouembris.

Omnium ſanctorum.) De huius ſolemnitatis prima inſtitutione aliquid ſcripſimus ſupra, tertio Idus Maij: ac Rabanus in primis ſermonem habuit. Hic dies in Antiphonario, et libro ſacramentorum Gregoriano inſcribitur, ſolemnitas, ſeu, celebratio omnium ſanctorum. Porrò ſunt, qui et celebritatem hanc, et eius officiū longe poſt s. Gregorij 1. ætatem initium habuiſſe putent; ideo non Gregorianum officium eſſe affirmant, quod in eo legitur. Sed contra apparet ex ſermone, qui a

s. Augu-

s. Auguſtino die feſto omnium ſanctorum habitus, in Breuiario Romano, nuper impreſſo, aſcribitur ſi igitur s. Auguſtini ætate hæc ſolemnitas celebrata eſt; fallun tur itidem, qui, Phoca Imp. a Bonifacio IIII. pont. uel a Gregorio IV. inſtitutam opinantur. Nos quidem, ut aliàs diximus, à Bonifacio templum, quod Pantheon appellabant, beatæ Mariæ, et martyrum omnium nomine, tertio Idus Maij dedicatum eſſe affirmamus; probabile tamen eſt, ſolemnitatem hanc multis ante ſeculis in eccleſia Dei religioſo cultu actam eſſe. Quod uerò, ex inſtituto Gregorij Quarti, calendis Nouembris celebritatem hanc agi ſcribunt; nos plane quidem idem ſentimus: non tamen eos audimus, qui, eo primum tempore ſanctorum confeſſorum memoriam in eccleſia fieri cæpiſſe dicunt; cum contra omnino conſtet. nam multis ante temporibus ad s. Martini baſilicam religionis cauſa magnum populi concurſum factum eſſe s. Auguſtinus aliquando ſcribit. Leone I. pont. qui quatrigentis ante Gregorij Quarti ætatem annis, et amplius, fuit, s Martini diem feſtum celebratum ex concilio Turonico animaduertimus, cuius initium eo die factum eſt. s. Antonij Abbatis dies feſtus anno a Chr. nat. circiter CCCCLX. agebatur, ut ex uita s. Euthimij compertum eſſe poteſt. Et, ne rem longius faciamus, perſpicuę id manifeſtum eſt ex ſermonibus Gaudentij Brixienſis, Chryſoſtomi de Philogonio, et aliorum item ſanctorum patrum. De feſto hoc die extant ſermones, s. Auguſtini, s. Leonis I. s. Bernardi, Petri Damiani, Radulphi Ardentij, Hon. Aug.

s. Mariæ mart.) Vſuardus, ſed Beda pluribus: et M. S. item. Extat præterea de ea apud Surium hiſtoria breuis in vol. VI.

ss. martt. Iuliani presb. et Cæſarij Diac.) Vſuardus, Ado, Beda, qui de Cæſario ſcribit copioſius, ac Surius, qui e uetuſtis codicibus res s. Cæſarij geſtas contexuit; Vuandalbertus item Prumienſis.

s. Benigni presb.) Ado Treu. Vſuardus, Beda, et Surius ex codice ſanequàm antiquo, Gr. Tur. cap. 51. de laude martyrum.

ss. Ioannis ep. et Ioannis presb.) Quorum martyrium ut græce narratur, ſic latine reddidimus.

ss. martt. Cyriænæ, et Iulianæ.) E græco item codice.

s. Auſtremonij.) Primi Aruernorum epiſcopi. Sunt, qui illum nominant Stremonium. De eo Gr. Tur. lib. I. hiſt. cap. 30. et lib. de gl. confeſſ. cap. itidem 30. Eiuſdem martyrium a s. Præiecto uerſibus luculente olim ſcriptum eſt.

s. Marcelli confeſ.) Epiſcopi ſcilicet Pariſienſis: de quo Gr. Tur. cap. 89. in lib. de gl. confeſſ. Eius uita in vol. VI. Surij extat, a Fortunato ep. Senonenſi ſcripta ad Germanum ep. Pariſiorum.

s. Seuerini monachi.) Vſuardus, Beda, et liber ſcriptus.

s. Magni ep.) Ex perantiquo Beroldi calendario, ceteriſq. monimentis eccleſiæ Mediolanenſis.

s. Primi ep.) Ex tabulis græcis.

s. Maturini presb.) Vſuardus M. S. at Boninius illius uitam in uol. 2. copioſe exſcripſit.

s. Vigoris ep.) Surius in uol. VI. de ſan.

Quarto nonas Nouembris.

Commemoratio omnium fidelium defunctorum.) Quam, a Ioanne XVI. pont. max. conſilio Odilonis Cluniacenſis inſtitutam eſſe, plerique ſcribunt. Sed ab apoſtolicis uſque tẽporibus in eccleſia fieri, moris eſſe; id omniũ pæne patrũ tã græcorum, quã latinorũ monimẽtis teſtatiſſimũ fit: neque eſt, cur pluribus demonſtretur.

s. Iuſti

s. Iuſti mart.) Ex Tergeſtinæ eccleſiæ monimentis, et libro ſcripto, et M. R.

s. Victorini ep.) s. Hieronymus in lib. de uir. ill. cap. 84. ep. 13. ad Paulinum, Vſuardus, Ado, Beda, et M. S. tum Vuandelbertus item.

ss. martt. Carterij, Stiriaci, et Sociorum.) Vt tabulis græcis proditum eſt.

Beatiſſimorum mart. Acyndimi, Pegaſij, et Sociorum quàmplurimorum.) E græco interpretati ſumus eorum martyrium. Sed de ijs quidem ipſis copioſius Metaphraſtes apud Lipomanum, et Surium in uol. vi.

ss. martt. Publij, Victoris, et Sociorum.) Beda, et M. S.

s. Theodoti ep.) Quem plerique Theodorum nominant. De illo Euſebius lib. 7. cap. ult. Vſuardus, Beda, ſed Ado fuſius.

s. Ambroſij Abbatis.) Ado, Vſuardus, at Beda breuiter admodum.

s. Georgij ep.) Ado Viennenſis in chron. An. DCXCIX. et M. S.

Tertio nonas Nouembris.

s. Quarti.) Rom. 16. Is, non Berythi, ſed Nurſiæ epiſcopus fuiſſe, a nonnullis traditur.

ss. martt. Germani, Theophili, et Sociorũ.) Vſuardus, Beda, ceteriq. id generis.

Sanctorum innumerabilium martyrum.) Beda, Vſuardus item. Neque uero hi ſunt, qui Maſſæ candidæ nomine uocantur, ut pleriſque placuit.

sss. marttt. Acepſimæ ep. Ioſephi presb. Aithalæ diac.) Græci, et Metaphraſte in primis apud Lipomanum, Caſſiodorus lib. 3. Trip. cap. 2.

Beatorum martt. Valentini presb. et Hilarij diac.) M. S.

s. Venefridæ uirg. et mart.) Ropertus Abbas Salopienſis litteris mandauit eius uitam, quam Surius exſcripſit in uol. vi. de ſan.

s. Huberti ep.) Cuius uitam ſcripſit quidam eius diſcipulus: tu porrò illam uide apud Surium in uol. vi.

s. Malachiæ ep.) M. R. Eius uero diem natalem Ciceſtrienſes agunt nonis huius menſis: uitam ſcripſit s. Bernardus, quam legas licet in eius operibus.

s. Domni ep.) E tabulis eccl. Vien.

Pridie nonas Nouembris.

ss. Vitalis, et Agricolæ martt.) De quibus s. Ambroſius in lib. exhor. ad uirgg. extat præterea præfatio Ambroſiana. Vſuardus, et Gr. Tur. cap. 43. de gl. martt.

s. Patrobæ ep.) Rom. 16. Sunt, qui hunc Pelorum epiſcopum fuiſſe narrant.

s. Hermæ ep.) Rom. 16.

sss. marttt. Primi, Cæſarij, Gregorij, et Sociorum.) Beda, et M. S.

s. Proculi mart.) Vſuardus, et liber M. S.

s. Amantij ep.) Rutenenſis, ut ſcribitur in antiquis codicibus: e quibus Surius uitam contexuit, quam tamen a Fortunato accepit.

s. Emerici confeſ.) Surius in uol. vi. et Bonf. Dec. 2. lib. 2 rer. Hung.

s. Modeſtæ uirg.) De qua ſcriptum eſt in uit. s. Gertrudis lib. 8. cap. 1.

s. Flori ep.) Velaunij: cuius epiſcopatus appellatur s. Flori nomine.

s. Clari presb. et mart.) Vſuardus, et M. S.

Nonis Nouembris.

s. Zachariæ Prophetæ.) Luc. cap. 1.

ss. martt. Felicis presb. e Euſebij mon.) M. S. Ado Treu. Vſuardus, Beda, et notarij item qui exceperunt acta s. Cæſarij.

sss. martt Domnini, Theotini, Timothei, et Sociorum.) Quorum martyrium, græce explicatum, latine interpretati ſumus.

s. Siluani ep. et mart.) Euſebius hiſt. eccl.

s. Leoti presb. et confeſ.) Vſuardus, M. S.

s. Dominatoris ep.) Rampertus ep. in tabula epiſcoporum Brixiæ, et Capreolius item in annalibus.

Octauo idus Nouembris.

ss. Decem martt.) M. S Vſuardus, et Beda.

s. Felicis.) Vſuardus, Equilinus, Vuandelbertus Prumienſis, et M. S.

s. Seueri ep. et mart.) Ex calendario eccleſiæ Barcinonenſis.

s. Attici.) Vſuardus.

s. Leonardi confeſ.) De quo fit in eccleſia Mediolanenſi. Illius uitam Boninius in uolumen vi. Surius in uol. vi. retulit.

s. Vuinoci Abbatis.) Surius in uol. vi.

Septimo idus Nouembris.

s. Proſdocimi ep.) Tabulæ priſcæ eccleſiæ Patauinæ, Vſuardus, Caniſius in martyrol. Volaterranus lib 4. comm. Ber. Scardeonius lib. 2. claſ. 6. de antiq. urb. Pat. Illius uita, a Maximo epiſcopo, qui ei ſucceſſit, ſcripta putatur.

sss. marttt. Euſebij, Rogatiani, et Donati.) M. S.

s. martyrum Hierenis, Nicandri, et Sociorum xxx.) Aliàs, Hieronis. De ijs græcarum litterarum traditum eſt monimentis.

Sanctorum martyrum, Melaſippi, Antonij, et ceterorum.) Liber græcus, et Metaphraſtes apud Lippomanum, et apud Surium in tom. vi.

s. Amarâthi mart.) Liber ſcriptus, et Vſuardus, et Gr. Tur. lib. de gl. mart. cap. 57

s. Engelberti ep. et mart.) E tabulis ſanctorum eccleſiæ Colonienſis.

s. Achillæ ep.) Cuius diem natalem Beda adſcribit vii. cal. Decembris. De eo Euſebius lib. 7. cap. ult. hiſt. eccl. Nicephorus in chr.

s. Vuillibrodi ep.) Aliàs, Vuilibrodi: cuius uita, ab Albino Flacco, Alcuino, olim litteris commendata, apud Surium extat in uol. vi. De eo Beda lib. 5. cap. 12. hiſt. Angl.

s. Rufi ep.) Beda in Martyrologio, et M. S.

s. Florentij ep.) Ex tabulis ep. Arg.

Sexto idus Nouembris.

Octaua omnium ſanctorum.) Aliàs, ut eſt in Martyrologio Bedæ, Commemoratio

moratio omnium ſanctorum.

ss. Quattuor coronatorum fratrum.) Vt in libro ſacramentorum, et Antiphonario s. Gregorij. De ijs Albinus Flaccus in lib. de diu. off. Vſuardus, ſed fuſius Ado, et Beda ex illorum Geſtis. Tu præterea uide Surium.

Betorum martyrum, Claudij, et quattuor Sociorum.) De quibus ijdem, qui mox ſupra.

s. Godefridi ep.) Ex tabulis eccleſiæ Ambianenſis. Illius uita, a Nicolao monacho Sueſſionenſi conſcripta, in uolumine vi. Surij legitur.

s. Vuillehadi ep. et conſ.) Qui primus fuit Epiſcopus Bremenſium. Eius uita, manu ſcripta, in peruetuſto codice comperta, luculentius explicata eſt a Surio in uol. vi.

s. Mauri ep. et conſ.) Ex D. Molano.

Translatio s. Ludouici ep.) Ex Breuiario Franciſcanorum.

Quinto idus Nouembris.

Dedicatio Baſilicæ s. Saluatoris.) Cuius anniuerſaria celebritas, ueteri lege inſtituta, in eccleſia Dei religioſo cultu retinetur. Ioan. 10. De dedicationis ſolemnitate Iſidorus lib. de off. cap. 31. s. Auguſtinus ſer 252. 256. ſer. 26. Tom 10. s. Bernardus, Iuo Carnutenſis et alij. De ritibus dedicationis Rabanus Maurus lib. 2. de inſt. cler. Ordo Romanus, Durantius, Belethus, Sicardus, Honorius Auguſtodunenſis, alijq. plerique. Porrò de Dedicatione Baſilicæ s. Saluatoris ſcriptũ eſt a s. Damaſo, et a ceteris, qui eccleſiaſticos Romanos annales cõſcripſerunt.

s. Theodori mart.) De quo nos aliàs diximus.

s. Alexandri mart.) Martyrium, græce narratum, latine expoſuimus.

s. Antonini mart.) E græco item codice.

s. Oreſtis mart.) Vt græce memoriæ proditum eſt.

s. Vrſicini ep.) Aliàs, Vrſini: de quo Gr. Tur. in lib. de gl. confeſ. cap. 80. unde Surius accepit.

Sacræ imaginis crucifixio.) De qua extat apud Lipomanum liber 5. Athanaſij, in teſtimonium adhibitus a ſynodo œcumenica vii. act 4.

s. Aurelij ep. et conſ.) De quo Mediolani fit. Tu uero uide Trithemium in Chronicis monaſterij Hirſaugienſis.

Quarto idus Nouembris.

ss. martt. Tryphonis, Reſpicij, et Nymphæ uirg.) Nicolaus monachus, Vincentius, et M. S. Sunt, qui, Gordiano Imp. martyrio illos coronatos eſſe ſcribunt. Niceæne, an Abſadi in Saxonia, certamen pro fide ſubierint, a multis id in quæſtionem uocatur.

ss. Olympæ, et Rhodionis.) Et Sociorum item, de quibus græce ſcribitur.

sss. marttt. Tiberij, Modeſti, et Florentiæ.) Vſuardus, ſed ſcriptus liber habet, Florentij, ac præterea, Feliciani. Sed, Florentiæ, ſcripſimus, ut plerique omnes codices, recte exarati, habent.

ss. martyrum; Demetrij ep. Aniani diàconi, et ceterorum.) Beda, Vſuardus, et lib. M. S.

s. Iuſti ep. et conſ.) Beda lib. 2. cap. 3. 5. 6. 8. et 18. ac præterea lib. 1. cap. 29. hiſt. Angl. Liber item ſcriptus.

s. Mo-

s. Monitoris ep.) Beda iu martyrol.

Tertio Idus Nouembris.

s. Martini ep. et confeſ.) Cuius meminit s. Auguſtinus in lib. de cognitione ueræ uitæ, tom. IX. Eiuſq. dies feſtus iam uſque ab initio cultus, ex concilio Turonico cognoſcitur; ut alias oſtendimus. Permulti ſunt, qui uitam, et miracula illius tum uerſibus, tum ſoluta oratione ſcripſerunt: ut pote Sulpitius Seuerus, Paulinus Nolanus, s. Perpetuus, Fortunatus, Gregorius Turonicus, Odo Cluniacenſis, Herbernus ep. Tur. Richerius Metenſis, Guibertus Gemblacenſis, Honorius Auguſtodunenſis; Sozomenes Græcus lib. 3. cap. 13. Niceph. lib. 9. cap. 16. Fit de eo ſolenniter in eccleſia Ambroſiana: quæ non ſine aliqua myſterij ſignificatione, Aduentus Domini initium celebrat die Dominico, qui feſtum s. Martini proxime ſequitur: ſicq. ſacri aduentus dominicas ſex agit, ut narrat etiam Radulphus Tung. de can. obſ. cap. 16. Græci diem eius natalem agunt pridie idus, ut ex Horol. cognouimus.

s. Mennæ mart.) Ado, et Beda fuſius, Vſuardus autem breuiter: tum in græcis Theodorus Alexandrinus apud Metaphraſtem, et Metaphraſtes apud Lipomanum, ac Surium præterea in uol. VI. Sunt, qui Menam, Simplici n. ſcribunt. ſed in libro ſacramentorum, et Antiphonario s. Gregorij, ſcribitur Mennas: de quo extant antiphonæ et orationes Gregorianæ.

sss. marttt. Vincentij, Victoris, et Stephanidis.) Vt græcis tabulis traditum eſt.

ss. martt Feliciani, et Victorini.) Ex monimentis eccleſiæ Rauen. Hier. Rub.

s. Verani ep.) Demochares lib 2. de ſacr. Miſ. ex tab. ep. Lugd. et Vſuardus.

Pridie idus Nouembris.

s. Martini Papæ.) Cuius etiam diem feſtum Græci agunt XVIII. cal. Maij. De quo Vſuardus, Ado Vien. in Chr. et libri rerum pontificalium.

s. Paterni mart.) Vſuardus, et liber ſcriptus.

s. Rufi ep.) Ann. a Chr. nat. LXV. s. Antoninus in chron. par. I. tit. 6. Equilinus, et Caniſius in Mart.

ss. martt. Aurelij, et Publij.) Beda, et M. S.

ss martt. Archadij, Paſchaſij, et Sociorum.) De quibus copioſe Beda, et Ado, Vſuardus item, ſed poſtridie huius diei: Proſper præterea in chronicis An. CCCCXLI.

s. Aemyliani presb. et confeſ.) De quo Ado, Vſuardus, et Braulio Cæſarauguſtanus.

s. Iſicij ep.) Beda, et M. S.

s. Arſacij ep.) E libro peruetuſto eccleſiæ Med.

s. Cuniberti ep.) Cuius uitam e libris antiquis collegit Surius in uol. VI. De illuſtri eiuſdem miraculo, Sigeuuinus Archiep. Coloniæ apud eundem Surium.

s. Liuini ep. et mart.) Cuius uitam ſcripſit Bonifacius ep. Mogunt. Tu uide Meierum in comm. Flandriæ.

s. Leonij confeſ.) Vſuardus. De illius porrò miraculis Galterius quidam.

s. Adelberti ep.) Ex calendario perantiquo, et tabulis eccleſiæ Med.

s. Lebuini presb. et conf.) Ex Indiculo, et Calendario Belgij. Illius uita ab Hugbaldo, monacho Elnonenſi, ad Baldricum epiſcopum Traiectenſem ſcripta,

eademq. a Petro, Archidiacono Cameraceſi, laudata, apud Suriũ legitur in uol. vi.

Idibus Nouembris.

s. Eugenij ep. et mart.) Ex tabulis eccleſiæ Cordubenſis. De quo Iſingrinius in cent. 1. par. 1. diſt. 4. de Hiſp. ep.

sss. marttt. Valentini, Solutoris, et Victoris.) Vſuardus, et Hier. Rub. lib. 2. Hiſt. Rauen. De Valentino præterea in tabulis Geſtorum s. Dalmatij mart. Fuerunt Valentini martyres Rauennates, tres: hic cum Solutore, et Victore; alter cum Feliciano, ad ter. idus Nou. tertius cum Nouali, et Agricola. XVII. cal. Ian.

sss. marttt. Antonij presb. Zebinæ, et Germani.) De quibus Euſeb. lib. 8. cap. 19. hiſt. ecc. nouæ Interp.

ss. Antonini, Nicephori, et Sociorum.) Vt græcis litteris traditum eſt.

s. Britij ep. et conf.) Aliàs, Brictij: de quo Gr. Tur. lib. 2. cap. 1. hiſt. Fr. Eccleſia Turonenſis in ep. 2. ad Philippum, Coloniæ ep. Seuerus lib. 3. dial. Vſuardus, et ceteri.

s. Homoboni conf.) Ex litteris Apoſtolicis Innocentij III. pont. et libro ſcripto eccl. Med. et Martyrologio Cremonenſi. Tu uide Surium in uol. VI.

s. Niliani ep.) Ex tabulis Atrebatenſibus.

s. Quintiani ep.) Gr. Tur. lib. 2. cap. 36. hiſt. Fr.

s. Antonini mart.) Inuentio ſcilicet: quam etiam celebrat eccleſia Ambroſiana, ut ex illius tabulis perſpeximus.

Decimo octauo cal. Decemb.

s. Serapionis mart.) Dionyſius Alex. apud Euſebium lib. 6. hiſt. eccl. cap. 34. Vſuardus, Beda, et M. S.

ss. martt. Clementini, Theodoti, et Philomini.) Beda, et Vſuardus, et libri ſcripti.

s. Venerandæ Virg.) Ex lib. ſcripto.

s. Andronici ep.) Aug. Valerius, Ver. ep. ex mon. ant. eccl. Ver.

s. Findani conf.) Ex calendario eccl. Churienſis.

s. Laurentij ep.) Dublinenſis in Hibernia. Eius uitam, grauiter conſcriptam, apud Surium leges in uol. VI.

Decimo ſeptimo cal. Decemb.

s. Felicis ep. et mart.) Beda, et Vſuardus, ac Paulinus Nolanus.

ss. martt. Guriæ, et Samonæ.) E græco Martyrologio. De ijs, et Abibo item oratio, ab Aretha Cæſarienſi habita, et concio Metaphraſtis eſt in uol. VI. Surij.

s. Demetrij mart.) Dabudeni ſcilicet: de quo pluribus græce narratum eſt.

sss. marttt. Secundi, Fidentiani, et Varici.) Beda, et cod. ſcriptus.

s. Machuti ep. et conf.) Qui Maclouius nominatus eſt. Eius uita, a Sigeberto, monacho Gemblacenſi olim ad poſteritatem litteris prodita, apud Surium extat in uol. VI.

s. Liberij ep.) Ex tabulis ſanctorum eccl. Ver.

s. Amandi ep. et conf.) E tabulis epiſcoporum Argent.

s. Leopoldi

ſ. Leopoldi confeſſoris.) De cuius laudibus extat oratio Franciſci Patauini I.C.

Decimo ſexto cal. Decembris.

ss martt. Ruffini, Marci, Valerij, et reliquorum.) Mart. R. et cod. ſcriptus.
ſ. Barlaæ mart.) Cuius martyrij hiſtoria, græce narratur pluribus.
ſ. Eueherij Ep.) De quo nos in præfatione, quam illius operibus, Romæ impreſſis, adſeripſimus; Honorius Auguſtonenſis, Ado, Vſuardus et Beda in martyrol. Mamertus lib.2, de ſtat.an.cap.9. Surius ex Adone, et Xyſtus in bibliot. lib.2.
ſ. Edmundi ep.) Qui ab Innocentio Quarto, Pont. Max in ſanctorum numero rite adſcriptus eſt. Eius uita, a Roberto Richio, fratre, et a Roberto Baecono, diſcipulo olim ſcripta, demum e ueteribus eodieibus collecta, legitur apud Surium in tom. vi.
ſ. Othmari abbatis.) De quo ſcripſit Vualfridus Strabo, Abbas ſtugienſis, rogatu Gosberti, abbatis Sangaldenſis. Tu uide Surium in uol. vi.

Decimo quinto cal. Decemb.

ſ. Gregorij ep.) Thaumaturgi ſcilicet: de quo in concilio Epheſino, et in concilio vi. œcumenico: apud Hier. in lib. de ſcrip. eccl. Aimonem lib.7.cap.8. apud Euſebium lib 7.cap.25. Seripſit porrò illius uitam Gregorius Nyſenus, Nicephorus item libro uno. Extat eius metaphraſis in eccleſiaſtem: quæ, in operibus Gregorij Nazianzeni adſcripta, eruditorum tamen iudicio, huius Gregorij Neocæſarienſis eſſe cenſetur. Græci, ut latini, hoc die eius commemorationem celebrant. Rufinus, et Vſuardus martyrem illum uocant, græco ſcilicet more, ut pote qui, pro fidei confeſſione, ſit multa perpeſſus.
ss. martt. Alphæi, et Zachæi.) Vt græce ſcriptum extat, ſic breui narrauimus in noſtro martyrologio.
ſ. Dionyſij ep.) De quo multis capitibus ſcribit in lib.6. hiſt. eccl. Nicephorus item. De eo præterea in concilio œcumenico vi. Græci menſe Octobri.
ss. martt. Aſcycli, et Victoriæ.) Vſuardus, Beda, et libri ſcripti.
ſ. Aniani ep.) Gr. Tur lib.2.cap.7.hiſt. Fr. Sidonius lib 8.ep pen. et Surius: qui e libris ſcriptis illius uitam grauiter luculenteq. contexuit in uol. vi.
ſ. Gregorij ep.) Cuius uita, a clericis Turonenſibus conſcripta, apud Surium legitur in uol. vi. et apud Lipomanum in tom.3.
ſ. Hugonis ep) Qui fuit ordinis Carthuſiani. Illius uitæ ſcriptores duo dicuntur, Silueſter ſcilicet Giraldus Cambrenſis, et Adamus Carthuſianus: qui multis ab hinc annis extiterunt: nuper autem Surius.
ſ. Florini ep.) E Calendario Churienſi.

Decimo quarto cal. Decembris.

Dedicatio baſilicarum, ss. App. Petri, et Pauli.) Mart. R. De qua dedicatione ubique ex auctoritate Romana.
ſ. Romani mart.) De quo eccleſia Mediolanenſis: cuius Breuiario, uitam illius, e priſcis codicibus attexuimus. Extat præfatio item Ambroſiana, quæ opus habet aliqua emendatione. Copioſe de illo ſcribunt, Ioannes Chryſoſtomus

apud Metaphraſtem, in tomo Surij, vi. et Lipomani, v. Euſebius lib. 8. cap. 12. hiſt. eccl. Emiſenus, ut uulgo inſcribitur, in hom. Sc. Prudentius hym. 10. de Cor. Vuandelbertus Prumienſis, Vſuardus, in mart. ſed Beda pluribus.

s. Baralæ pueri.) De quibus, ut de s. Romano, extant libri, manu.

s. Eſychij mart.) ſcripti.

ss. Oricoli, et Sociorum.) Ex D. Molano.

s. Fridarij ep.) s. Gregorius lib. 3. dial. c. 9. et Auguſtinus Ticinenſis.

s. Anſelmi abbatis.) Ex monimentis monaſterij Lirinenſis.

Decimo tertio cal. Decembris.

s. Pontiani Papæ, et mar.) De quo ſcriptores rerum pontificiarum: fit de eo ex conſtitutione Gregorij VII. ut eſt in Micrologo.

s. Fauſti diaconi.) Quem Romæ, martyrium obijſſe, ex libro ſcripto didicimus: at ſunt, qui contra opinantur, ut ueriſimile ex eo fit, quod ab Dionyſio Alex. ſcribitur apud Euſebium hiſt. eccl. lib. 7. cap. 10. De eo præterea Vſuardus, et Beda itẽ.

s. Criſpiniani ep. et mart.) Aliàs, Criſpini: de quo Vſuardus, et Ado, liberq. ſcriptus.

ss. Azæ, et Sociorum mart.) Vt e græco martyrologio exſcripſimus.

sss. Seueriani, Exuperij, et Feliciani.) Vuandalbertus, Beda, Vſuardus. Nos, Seueriani, ſcripſimus, ut plerique omnes habent; licet Beda Seuerinum appellet.

s. Simplicij ep. et conf.) Ex tabulis Auguſtodunenſibus.

s. Patrochi conf.) Gr. Tur. lib 5. cap. 10. hiſt. Fr. et lib. de uit. pat. cap. 9. uide Surium in uol. vi.

s. Eliſabethæ reginæ.) Cuius uitam, a Iacobo Montano Spirenſi olim ſcriptam, retulit Surius in uolumen vi.

s. Maximi presb.) Beda, Vſuardus, et reliqui. Tu uide Pamelium in ep. cyp. 16. 44. 46. et 50.

Duodecimo cal. Decembris.

ss. Martyrum, Ampeli, et Caij.) Aliàs, Gagi: ut habet Beda, ſed, Caij, libri omnes.

Sanctorum, Baſſi, Dionyſij, et reliquorum.) Beda, et liber ſcriptus.

s. Daſij mart.) De quo græce traditum eſt.

ss. Nerſæ, et Ioſephi epp. martt.) Quorum martyrium deſcripſimus e codice græco.

sss. marttt. Ioannis, Saberi, et Iſachi eppp. et Sociorum.) De ijs græce item in horologio, ut latine expoſuimus.

sss. marttt. Octauij, Solutoris, et Aduentitij.) De quibus eſt ſermo s. Maximi Taurinenſis: qui ſermo adſcriptus eſt in operibus s. Ambroſij. Porrò de s. Solutore fit in eccleſia Ambroſiana, quo die fit de s. Sebaſtiano, nempe XIII. cal. Feb.

s. Stephani abbatis et mart.) Liber ſcriptus, et Equilinus.

s. Edmundi regis, et mart.) Aliàs, Eadmundi. Illius uitam ſcripſit Haymo Eboracenſis.

s. Silueſtri ep. et conf.) Beda, Vſuardus, et Gr. Tur. lib. de gl. conf. cap. 81.

s. Benigni ep.) Ex tabulis eccl. Mediolanenſis. Eum Græci Bentium uocant, ut Balſamo in can. conc. carth. Extant de eo uerſus Ennodij ep. Ticinenſis.

Vndecimo cal. Decembris.

Præſentatio beatæ Mariæ uirginis.) Quam celebritatem, ſunt qui arbitrantur, a Xyſto IV. pont. alij a Pio II. alij a Paulo II. inſtitutam eſſe: ſed longe ante in Græcia ſolemniter culta eſt; cuius rei illud argumento eſt, quòd cum de ea conſtitutio græca extat, tum antiquorum conciones, ut pote Gregorij Nyſeni, Germani Conſtantinopolitani, Gregorij Nicomedienſis, et aliorum, qui multis ante ſeculis extiterunt. Deinde, quòd ante illorum ſummorum pontt. ætatem hæc quidem celebritas in Europa culta ſit, ex epiſtola cognoſcimus, quam Carolus Quintus, Francorum rex, qui anno a Chr. nat. M CCC LXX V. regnum Galliæ tenuit, ad Nicolaum Antiſiodori epiſcopum ſcripſit. Itaque uerisimilius eſt, ab illis pontt. indulgentias feſto huic diei conceſſas eſſe. Solemniter de Præſentatione beatiſſimæ Mariæ uirg. fit in pleriſque eccleſijs.

s. Mauri mart.). Romæ, ut eſt in lib. ſcripto: licet, in Iſtria, Vſuardus ſcribat. De eo Beda pluribus.

ss. martt. Celſi, et Clementis.) Liber ſcriptus.

ss. martt. Demetrij, et Honorij.) Liber ſcriptus.

s. Rufi.) Rom. 16. quo loco ss. Ambroſius, et Anſelmus de eo ſcribunt. Polycarpus item in ep. ad Philip. ut eſt apud Euſebium lib. 3. cap. 36. hiſt. ecc.

s. Mauri ep.) Vt accepimus e libro ſanctorum eccleſiæ Veronenſis.

s. Columbani abb.) Cuius uita, a Iona abbate olim litteris exarata, demum a Surio explicata eſt ſplendidius in uol. VI.

Decimo cal. Decembris.

s. Ceciliæ uirg. et mart.) Cuius diem natalem græci etiam concelebrant, ut e græca conſtitutione, et Metaphraſte cognouimus, qui illius martyrium ſermone complexus eſt. Illius geſta primum litteris mandarunt notarij S. R. E. unde et Metaphraſtes, et ceteri acceperunt. De ea in lib. ſacramentorum, et Antiphonario Gregoriano.

ss. Marci, et Stephani martt.) Vt græce ſcriptum eſt.

s. Procopij mart.) M. S.

s. Pragmatij ep.) Aliàs, Praſmatij, ſed non rectè. Vſuardus et M. S.

Nono calendas Decemb.

s. Clementis Papæ, et mart.) Irenæus lib. 3. cap. 3. contra hær. Epiphanius lib. I. contra hær. s. Auguſtinus ep. 165. s. Hieron. lib. I. contra Iouinianum, et in lib. de uir. ill. Optatus Mileuitanus lib. 2. Eucherius in ep. ad Valerianum, s. Damaſus in pont. Rufinus, Metaphraſtes apud Surium, Efraim item ep. Cherſonis de miraculo, in puerum edito; Ioannes III. in ep. decr. Xyſtus præterea in biblioth. 5. Huius Sanctiſs. pontificis et martyris dies natalis iam ferè ab initio in eccleſia cultus eſt: de quo in libro ſacramentorum, et antiphonario Gregoriano, et præfatione Ambroſiana.

s. Felicitatis, et VII. filiorum mart.) S. Gregorius in hom. 3. eu. P. Chryſologus in ſer. 134. Ado, Vſuardus, et in primis S. R. E. notarij a quibus ceteri ſumpſerunt.

pſerunt. Sed de ea quidem ſcripſimus alias.

s. Clementis ep.) Ex tabulis eccleſiæ Metenſis, Demochares lib. 2. de Sacr. Miſ. s. Antoninus in chr. par. 1. tit. 6. Equilinus.

s. Fauſtinæ Auguſtæ.) Ex libro geſtorum s. Catherinæ uirg. et mart. Sunt qui, non Maxentij, ſed Maximini coniugem illam opinentur: ſi quidem Maxentius Romæ tyrannidem exercuit, Maximinus uero Alexandriæ, ubi beatiſſima Fauſtina martyrium obijt, Chriſtianos teterrime uexauit. Nos tamen nullo pacto diſſentimus ab auctoritate Breuiarij Romani: in quo hæc, Maxentij uxor, nominatur.

s. Lucretiæ uirg.) Vſuardus.

s. Trudonis presb. et conf.) Alias, Drudonis, ut in Martyrologio Bedæ, ſed paſſim, Trudonis, ut ſcripſimus. De eo Vſuardus item, et M. S.

s. Seuerini heremitæ et confeſ.) Vſuardus, et Theodoricus abbas: a quo potiſſimum uita illius ſcripta, extat apud Surium in uol. vi.

Octauo cal. Decembris.

s. Chriſogoni mart.) De quo ſcriptum eſt in libro geſtorum s. Anaſtaſiæ; et a Suida præterea, ab Adone, Vſuardo, Beda, ceteriſq. martyrologij ſcriptoribus. Sunt præterea de eodem antiphonæ, et orationes in Antiphonario, et libro ſacramentorum R.

s. Creſcentiani mart.) Vſuardus, et S. R. E. notarij in actis beatiſſimi Marcelli pont.

ss. martyrum, Porphirij et ducentorum milium.) Vt memoriæ proditum eſt in actis s. Catherinæ uirg. et mart. Maxentij iuſſu, Alias Maximini, ut quibuſdam placet.

s. Siſinnij ep. et mart.) Vt tabulis græcis traditum, legimus.

s. Floræ uirg. et mart.) s. Eulogius lib. 2. cap. 8. Mem. ſanct.

s. Mariæ uirg. et mart.) Idem eod. lib. et cap.

s. Protaſij ep.) Ex tabulis eccleſiæ Mediolanenſis, et ſubſcriptione concilij Sardicenſis.

s. Romani presb. et conf.) Vſuardus, et Gr. Tur. cap. 3. lib. de uit. pat.

s. Feliciſſimi conf.) M. S. et Vſuardus item.

s. Portiani abbatis.) Gr. Tur. cap. 5. de uit. pat. Tu uide etiam Surium.

Tranſlatio s. Proſperi ep.) Quæ celebrata eſt a Thoma Regij epiſcopo, anno a Chr. nat. DCCI.

Septimo cal. Decembris.

s. Catharinæ uirg. et mart.) Cuius martyrij hiſtoria, ab Alexandro Sexto, pont. max. probata dicitur. De ea porrò ab Euſebio, qui res Alexandriæ geſtas diligentiſſime perſecutus eſt, et a Nicephoro nihil memoriæ proditum eſt, neque a s. Hieronymo neque a Beda, nec uero a ceteris antiquis latinis, martyrologij ſcriptoribus; ſed a recentioribus, ut pote Boninio, Vincentio, Equilino. Quo fit, ut quidam putent, ab eo tempore, quo latini in bello Hieroſolymitano peculiare huius uirginis et martyris patrocinium apud Deum experti ſunt, cœpiſſe hunc dié feſtum in ueneratione, cultuq. haberi; et a Ioanne XXII. Pont. Max. in calendario, Breuiarioq. adſcriptum eſſe. Hanc Græci Aecaterinam appellant: cuius martyrij hiſtoriam hoc die Metaphraſtes ſcribit: licet hunc feſtum diem in præcedentem

Græcia

Græcia transferat ob diem natalem s. Petri Alexandrini. Rabanus item abbas ſcripſit de s. Catherina: Euthymius item aliquando meminit in pſ 44. Nos ſane, Maxentij tyranni iuſſu, illam, martyrio coronatam eſſe, ſcripſimus, Breuiarij Romani auctoritatem ſecuti.

s. Mercurij mart.) De quo Græci, et Metaphraſtes in primis, tum aliquando Nazianzenus.

s. Eraſmi mart.) Vſuardus, et liber ſcriptus.

s. Iocundæ uirg.) Aliàs, Iucundæ. M. R.

Sexto cal. Decembris.

s Petri ep. et mart.) Cuius celebritas pridie huius diei eſt, ſed in hunc diem transfertur ob feſtum s. Caterinæ. De s. Petro Alexandrino quicquid græcis litteris proditum erat, Anaſtaſius Bibliothecarius latine reddidit. Tu uide Surium. Fuit is uir Apoſtolicæ ſanctitatis, omniumq. preconio egregie laudatus. Nam de eo præterea Concilium Epheſinum, et Septimum, Nazianzenus item or. 23. et 24. Euſebius in hiſt. eccl. et in chron. Nicephorus, et auctores Tripartitæ hiſtoriæ, Vſuardus, etiam, Beda, et Ado copioſiſſime.

s. Belini ep.) Ex Calendario eccl. Pat. Tu uide Scardeonium lib. 3. hiſt. pat.

s. Amatoris ep. et conf.) Vſuardus, et M. S.

s. Conradi ep.) Ex tabulis epiſcoporum eccleſiæ Conſtantienſis, et Annalibus Artimanni monachi.

s. Baſoli heremitæ.) Ex lib. ſcripto.

Quinto cal. Decembris.

ss. martt. Baſilei, et Saturnini.) M. R.

Beatiſſimorum martt. Marcelli, Petri, et reliquorum.) Beda, et M. S.

s. Iacobi Interciſi.) De quo fit in eccleſia Mediolanenſi. Tu uide Boninium.

Beatt. martt. Facundi, et Primitiui.) Ex additionibus D. Molani.

ss. martt. Herinarchi, et Aeacij presb.) E libro græco.

s. Maximi ep. et conf.) Homilia Euſebij Emiſſeni. Tu uide Surium.

s. Acharij ep.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Nomomenſis.

Quarto cal. Decembris.

s. Soſthenis.) Act. 18. et 1. cor. 1. Oecumenius, et Chryſoſtomus in act. 18. Volaterranus; Beda uero fuſe.

s. Rufi mart.) Vſuardus, at Beda pluribus.

s. Gregorij Papæ III.) Qui Romæ contra Leonem Imp. ſacrarum imaginum oppugnatorem concilium habuit circiter mille epiſcoporum: in quibus fuit laude clarus Theodorus Archiepiſcopus Mediolani.

sss. martt. Stephani, Petri, et Andreæ.) Ex tabulis græcis.

ss. martt. Papinij, et Manſueti, epp.) Ado, Beda copioſe, ſed Vſuardus breui.

Tertio

Tertio cal. Decembris.

Vigilia s. Andreæ Ap.) s. Gr. in lib. ſacram. et Antiphonario s. Bernardus in ſerm. Amalarius i ꝯ lib. de ord. antiph. cap. 63. Beda item.

Beatiſſimo ꝝ m martt. Saturnini, et Siſinij.) De quibus proditum eſt in geſtis s. Marcelli pont. apud Surium in tom. 1. Scribunt præterea, Ado, Beda, Vſuardus, et ceteri.

s. Saturnini mart.) Tholoſani: de quo carmina Fortunatus panxit: ac meminit etiam Gr. Tur. cap. 48. in lib. de gl. mart. Vſuardus, at Beda copioſius.

s. Philomeni mart.) E monimentis græcis.

s. Ammonis abbatis.) s. Hieronymus in uit. pat. Caſſiodorus lib. 1. cap. 11. et lib. 8. cap. 1. Trip. hiſt.

s. Rutholdi ep.) Ex tabulis Trieċtenſibus.

Pridie cal. Decembris.

s. Andreæ Apoſtoli.) Cuius martyrium ad uniuerſas eccleſias, Presbyteri, et diaconi Achaiæ ſcripſerunt: quam ſcriptionem legas licet apud Lipomanum et Surium in tom. VI. Ex ea præterea aliquid afferunt, et græci, et latini doctores. In his eſt s. Auguſtinus cap. 8. lib. de uera, et falſa pœnit. Remigius Antiſſiodorenſis in comm. pſ. 21. et 40. s. Bernardus in ſerm. de s. Andrea, Iuo Carnutenſis, Ado, Honorius Auguſtodunenſis, Ioannes Chryſoſtomus, Petrus Damianus. Tu uide Surium.

ss. martt. Caſtuli, et Eprepti.) Beda, et M. S.

s. Iuſtinæ uirg. et mart.) M. R. et M. S.

s. Troiani ep.) Gr. Tur. cap. 59. in lib. de glo. confeſſ. Vſuardus, et Beda, qui Trophimum uocat; ac denique Surius in uol. VI.

Baptiſmus s. Ambroſij.) Ex Beroldo, rituum Ambroſianorum ſcriptore, et tabulis eccleſiæ Mediolanenſis.

Calendis Decembris.

Sanctorum martyrum, Diodori presbyteri, et Mariani diaconi.) Hunc alij Marinianum, alij Martinianum dicunt: nos de omnium penè ſententia Marianum appellamus. De his duobus in librum martyrij ſanctorum Chryſanthi, et Dariæ relatum eſt.

Et aliorum complurium.) Præſertim clericorum, ut ex Beda, alijſq. cognoſci licet.

Beatorum martyrum Candidæ.) Vt eſt apud Bedam; in manuſcripto autem codice Candidi, Lucij. Rogati, et Caſſiani: qui martyrio coronati ſunt; ſed qua in perſecutione, non conſtat.

s. Anſani martyris.) Cuius martyrium, breui a Petro Equilino expoſitum, pluribus conſcriptum, extat in monimentis eccleſiæ Bergomenſis. Hic coronatus dicitur anno Chriſti Domini CCLXXXIXIX.

s. Ananiæ martyris.) De quo litteris græcis proditum eſt.

s. Proculi ep. et mart.) Ado, Vſuardus, et M. S. et tabulæ eccleſiæ Narnienſis.

s. Ca-

s. Caſtritiani ep.) Ex codice perantiquo baſilicæ s. Ambroſij, Mediolani: et ex tabulis eccleſiæ item Mediolanenſis. Nos præterea eius uitam contexuimus, Breuiario eiuſdem Ambroſianæ eccleſiæ adſcriptam.

Brixiæ.) Quæ urbs regionis Tranſpadanæ, ab initio uſque euangelicæ prædicationis, imbuta fidei myſterijs ab Apoſtolo Barnaba, et Anatolio diſcipulo, qui primus Brixienſi eccleſiæ epiſcopus præfuit, cum rerum aliarum ubertate floret, tum epiſcoporum multitudine, quos ſanctitatis in primis, et doctrinæ laude claros habuit. De ijs in martyrologium diebus ſuis retulimus. Fuit Philaſtrius, ætate ſancti Ambroſij, qui Aquileiæ concilio interfuit; s. Gaudentius, quorum ſermones extant. Octauianus Brixienſis ep. Epiſtolæ ſynodali, ab s. Euſebio, Archiepiſcopo Mediolani, ad Leonem I. Pont. Max. conſcriptæ ſubſcripſit: neque eſt, cur alios commemorare pergamus, cum ferè de ſingulis alio loco dixerimus.

s. Vrſicini ep. et conf.) Ex monimentis eccleſiæ Brixienſis, et ex tabulis, quas de epiſcopis Rambertus, illius urbis epiſcopus, confecit.

s. Eligij ep. et conf.) Cuius uitam, ab Audoeno conſcriptam, ἐν ἐπιτομῇ enarrauit Vincentius Beluacenſis. Eiuſdem meminit Vſuardus, Beda, Sigebertus de uir. ill cap. 58. Eſt præterea de eo traditum monimentis eccleſiæ Nouiomenſis.

Sancti Euaſij ep. et conf.) De quo et in monimentis eccleſiæ Caſalenſis, et in codicibus peruetuſtis eccleſiæ tum Vercellenſis, tum Bergomenſis, ſcriptum eſt: prout nos etiam uidimus.

Quarto nonas Decembris.

s. Bibianæ martyris.) De qua in Pigmenij actis ſcriptum eſt. Eam alij Viuianam appellant, ut Beda: nos more Romano, ut Ado item, ſcripſimus: alij Vibienam. Illius caput Romæ, in baſilica s. Mariæ maioris, religioſè aſſeruatur.

Beatiſſimorum martyrũ Primenti, Pontiani, Primini, et reliquorum.) Vt apud Bedam: at Pontiani ſolũ meminit præterea Ado, et Martyrologij Romani auctor.

ss. Seueri, Securi, Ianuarij, et Victorini.) Alij, pro Seuero, legunt Verum, ut Vſuardus; at Beda, ut nos.

s. Abibæ diaconi.) Vt e græcis tabulis, accepimus.

s. Petri Chryſologi.) De quo pluribus a Hieronymo Rubeo in annalibus urbis Rauennæ.

s. Euaſij ep. et conf.) De quo ſcriptum eſt in libro ſanctorum eccleſiæ Brixienſis. Fuit porrò trigeſimus illius eccleſiæ epiſcopus.

s. Lupi ep. et conf.) Ex tabula ſanctorum eccleſiæ Veronenſis.

Tertio nonas Decembris.

ss. martyrum, Claudij Tribuni, Hilariæ Coniugis, et Filiorum.) De quibus Ado copioſe, et Vſuardus, ac Beda item.

s. Caſſiani mart.) Vſuardus, Beda; qui presbyterum illum præterea nominat.

Beatorum martyrum, Ambici, Victoris, et Iulij.) Beda.

s. Theodori ep. et mart.) Cuium martyrium uertimus e græcis monimentis.

ss. martt. Claudij Criſpini, et ceterorum.) Quos Beda nominatim appellat.

s. Mirocletis ep.) Optatus Mileuitanus lib. 1. hiſt. s. Ambroſius in ep. Boſſius in ann. Med. et nos eius uitam contexuimus e priſcis eccleſiæ Mediolanenſis tabulis.

Septimo idus Decembris.

Ordinatio s. Ambroſij ep.) Quam etiam ſolemni cultu Græci hoc ipſo etiam die concelebrant. De hac ordinatione ſcribunt, Rufinus lib. 11. cap. 11. Paulinus in uita Amb. et ipſe Ambroſius in ep. ad Vercellenſes 82. auctores hiſt. Trip. De eo præterea s. Auguſtinus multis locis, s. Hieronymus item, præſertim in lib. de eccl ſcrip. s. Baſilius ep. 55. Theodoritus lib. 4. cap. 6. Socrates lib. 4. cap. 30. Sozomenus lib. 7. cap. 24 Nicephorus lib. 11. cap 32. lib. 12. cap. 41. Metaphraſtes, tum Græci in Horologio, et Menologio: Caſſiodorus lib. 7. cap 8. lib. 9. cap. 30. ſummi pont. Gelaſius, et Bonifacius v 111. Synodus Aquileienſis. Iſidorus de uir. ill. cap. 4. Honorius Auguſtodunēſis, Trithemius de ſcrip. eccl. Xyſtus in biblioth. Illius porrò uitam, s. Auguſtini rogatu olim ſcripſit Paulinus, quem Lipomanus epiſcopum Nolanum putat, alij Paulinum presbyterum, ut Auguſtodunenſis opinatur: ſcripſit item Bartholomæus ep. Vrbinas, ac demum Coſterius, nos denique in præfatione homiliarij Ambroſiani. Extant de eodem uerſus Ennodij ep. Ticinenſis, et Baptiſtæ Mantuani.

s. Agathonis mart.) s. Dionyſius Alex. apud Euſebium lib. 6. hiſt. ecc. cap. 34. Vſuardus, et ceteri.

s. Gerebaldi ep.) Ex Molano.

s. Faræ uirg.) Vſuardus.

s. Martini abb.) Gr. Tur. in lib. de gl. conf. cap. 57. Vſuardus item, ac Beda, liberq. ſcriptus.

Octaua s. Andreæ.) Beda, et Radulphus Tungrenſis, qui octauam hanc in minoribus cenſet.

Sexto idus Decembris.

Conceptio beatiſſimæ uirginis Mariæ.) De qua, conſtitutio extat Xyſti Quarti, Pont. Max. Concilij Tridentini, et Pij Quinti Pont. Illaſcus quidam, rerum pontificiarum ſcriptor, ab Xyſto pont. inſtitutam illam quidem opinatur, ſed longe ante profecto celebrata apparet ex ijs, quæ s. Anſelmus ſcripſit, tum ex eo quòd Græci hoc ipſo die iam multis ante ſeculis eam celebrant, ut e tabulis græcis, græcaq. conſtitutione animaduertimus.

s. Eutychiani Papæ, et mart.) s. Damaſus, cap 28. Vuandalbertus, Beda, Vſuardus, et ceteri tum martyrologij, tum rerum pontificiarum ſcriptores.

s. Athenodori mart.) Cuius martyrium e græco codice tranſtulimus.

s. Eucharij ep.) Ex annalibus Treu. et Col. De eo præterea Nauclerus par. 21. gen. 2. lib. 2. Marianus Scotus lib. 2. æt. 2. EcKius hom. 4. de ss. App. Petro, et Paulo. Iſingrinius denique in cent. 2. multis locis. Beda uero poſtridie huius diei.

s. Zenonis.) Ordinatio ſcilicet, Vt Mediolani Ordinatio s. Ambroſij, et Hieroſolymæ Ordinatio s. Iacobi, Romæq. olim s. Gregorij, ſic Veronæ, s. Zenonis celebratur. De illius die natali, et tranſlatione (quæ duæ etiam celebritates Veronæ aguntur) iam aliàs diximus. Fit de eo in eccleſia Veronenſi, ut de pont. et mart, ex antiquo eccleſiæ Veronenſis inſtituto, et conſtitutione Aloiſij Lipomani epiſcopi.

s. Romarici abbatis.) Ex additionibus Molani.

Quinto idus Decembris.

s. Leocadiæ uirginis.) Cui auguſtiſſimum templum Toleti a Siſebuto rege extructum eſt, ut s. Eulogius ſcribit. Porro de ea cum tabulæ eccleſiarum hiſpaniæ loquuntur, tum martyrologij ſcriptores, Vſuardus, Beda, ceteriq. item.

sss. marttt. Petri, Suceſſi, et Baſſiani.) Beda, et M. S.

s. Neſtorij presb.) Cuius uita adſcripta eſt in Breuiario Claramontenſi.

s. Zaleriæ uirg. et mart.) Ex lib. ſcripto.

s. Syri ep.) De quo Præfatio Ambroſiana. Illius uitam ſcripſit Pompeius eius diſcipulus: a quo Paulus Diaconus ſumpſit, et Iacobus item Gualla. Ac multa quidem de eodem leguntur in antiquo libro eccleſiæ Mediolanenſis.

s. Proculi ep. et confeſſ.) Ex libro, quem de epiſcopis Veronæ, Auguſtinus Valerius edendum curauit.

Quarto idus Decembris.

s. Miltiadis Papæ, et martyris.) s. Damaſus cap. 33. pont. noſq. in Elogijs: Optatus, et alij, ſcriptores actorum in cauſa Cæciliani. Fit de eo ex conſtitutione Gregorij VII. pont. ut eſt in Micrologo.

ss. martt. Carpophori, et Abundij.) Ii Iſpali, an Spoleti martyrium obierint, ambiguum eſt ex martyrologiorum ſcriptione. Vſuardus habet, Apud ciuitatem Hiſpalitanam, Beda uero, Apud Iſpalim ciuitatem. Nos, Spoleti, ſcripſimus, ut plane legimus in martyrologio Cremonenſi, recte ſcripto, et in alijs, manu exaratis, codicibus. De illis Beda, Vſuardus, ceteriq. etiam.

s. Eulaliæ uirg. et mart.) Emeretenſis ſcilicet: nam altera fuit, et illa quidem Barchinonenſis: quæ ultrò ad martyrium proceſſit, ut s. Eulogius ſcribit. Nec uero audiendi ſunt, qui unam, eandemq. eſſe uolunt utramque Eulaliam. De hac Emeretenſi, Beda, Ado, Vſuardus, ac reliqui; in primiſq. nuper Ambroſius Moralius in hiſt. ſua. Prudentius hym. 3. de cor.

ss. martt. Menæ, et Hermotenis.) De quibus ſicut græce ſcribitur, ita interpretati ſumus.

s. Siudulphi ep.) Beda, et M. S.

Tertio idus Decembris.

s. Damaſi Papæ.) In libro ſacramentorum, et antiphonario inſcribitur, Natale Damaſi Papæ. Quod ſanè argumento eſt, illius diem natalem, diuinorum officiorum cultu, iam penè ab initio cultum eſſe. De eo s. Hieronymus multis locis, s. Ambroſius ep. 30. et pontificiæ, eccleſiaſticæq. hiſtoriæ ſcriptores, et nos etiam in elogijs, notationibuſq. Platinæ adiunctis.

sss. marttt. Pontiani, Prætextati, et Tarſonis.) Aliàs, Thraſonis. De ijs tribus Ado, Vſuardus, Bedaq. copioſius, et S. R. E. notarij in geſtis Marcelli Papæ.

ss. martt. Victorici, et Fuſciani.) Vſuardus, Vuandelbertus, Beda, at hic nomina tantum adſcribit.

ss. martt. Apſei, et Athalæ.) Vt in Horologio græco ſcriptum eſt.

s. Euty-

s. Eutychij.) Aliâs, Eutycij, Beda, Vſuardus: qui ambo illius geſta, litteris mandata, teſtantur.

s. Sabini ep.) Ex tabulis eccleſiæ Placentinæ. De eo præterea s. Gregorius lib. 3. dial.cap.10.

Pridie Idus Decembris.

s. Pauli Sergij.) s. Gr. Tur. lib.1. hiſt. Fr. s. Antoninus in chron. par.1. tit.6. cap.28. Vſuardus hoc die, Beda uerò poſtridie huius diei, nempe idibus.

ss. martt. Epimachi, et Alexandri.) s. Dionyſius Alex. apud Euſebium lib.6. cap.34. hiſt.eccl. in noua edit. Vſuardus, Beda, ac reliqui.

ssss. Ammonariæ, Mercuriæ, Dioniſiæ, et alterius Ammonariæ.) Idem s. Dionyſius in lib. de martyribus, ut eodem loco Euſebius narrat, Ado item, Beda, atque Vſuardus.

s. Synetij mart.) Aliâs, Synenij: de quo græce proditum eſt.

Beatt. martt. Hermogenis, Donati.) Vuandelbertus, Beda, Vſuardus, et M. S.

s. Vualerici presb. et confeſ.) Quæ, ab Ramgiberto abbate olim ſcripta, elegantius deinde explicata, apud Surium extat in uol.11. de ſanct.

Idibus Decembris.

s. Luciæ uirg. et mar.) Græci etiam hoc ipſo die. itaque illius acta, et latine, et græce ſcripta, in omni eccleſia leguntur: quorum actorum exemplaria, manu ſcripta, eiuſmodi ſunt, quæ nihil apocryphi habere compertum eſt. Ex illis, ac martyrologijs Surius uitam eius collegit in uol. VI. Scripſit olim de illius laudibus Sigebertus Gemblacenſis et uerſibus, et ſoluta oratione. Martyrologij ſcriptores præterea omnes, eiuſdem martyrium narrant, ſed Ado longe uberrime. Dies illius natalis, perpetuò in eccleſia diuinarum precum officio cultus apparet ex libro ſacramentorum, et antiphonario Gregoriano.

sss. marttt. Euſtrathij, Eugenij, et Mardarij.) Quorum res pro fide geſtæ narrantur græce, ut latine adſcripſimus in martyrologio. De iis præterea Simeo Metaphraſtes apud Lipomanum, et Surium in uol.VI.

s. Autberti ep. et conf.) Vſuardus, Maſſæus, Tabulæq. ſanctorum eccleſiæ Cameracenſis. Porrò illius uita, a Fulberto olim Gerardi epiſcopi hortatu litteris mandata, nunc apud Surium legitur in uol. VI.

ss. Leucadij, et Vrſonij confeſſ.) M. S.

Decimo nono cal. Ianuarij.

Beatiſſimorum martyrum, Arſenij, Iſidori, et Dioſcori Pueri.) s. Dionyſius Alex. apud Euſebium lib.6. cap.34. Nicephorus item in hiſt. eccl. Beda, Ado, et Vſuardus in mart.

ss. martt. Philemonis, Apollonij, et Sociorum XXX.) De quibus ſcriptum eſt græcis litteris.

sss. Druſi, Sozimi, et Theodori marttt.) Aliâs. Zozimi, uel, Zoſini, ut Beda, qui præterea habet, Arſini, et Iſidori: quos duos Vſuardus, et Ado ſocios adſcribunt Dioſcoro puero: de quo mox ſupra.

sss. Aris,

sss. Aris, Promi, et Eliæ.) Horum martyrium hiſtoriæ eccleſiaſticæ monimentis proditum eſt ab Euſebio lib 8. cap. 10. in noua editione.

s. Nicaſij ep. et mart.) Ex tabulis ſanctorum eccleſiæ Rhemenſis. De eo præterea, Vuandelbertus, Beda, Vſuardus, et M. S.

s. Viatoris ep.) Anaſtaſius Bibliothecarius in lib. de ſanctis; Rampertus ep. Brixiæ in tab. epiſcoporum Brix. Helias Capreolius, et tabulæ denique eccleſiæ Bergomenſis.

s. Pompeij ep.) Ex Calendario eccl. Papienſis. De illo item Paulus Diaconus in lib. de ep. Pap. et Iacobus Gualla.

s. Spiridionis ep.) Cuius rerum, ſancte geſtarum, pleni libri ſunt hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Euſeb. lib. 8 cap. 17. 18. 19. et 20. Nicephorus, et alij.

s. Agnelli abbatis.) Equilinus, et liber ſcriptus.

s. Vrſicini ep.) Deſiderius Rau. in lib. de dign. archiep. Rau.

s. Lupicini ep.) Beda.

s. Matroniani heremitæ.) Ex tabulis eccleſiæ Med.

Decimo octauo cal. Ianuarij.

ss. martt. Irenæi, Antonij, et Sociorum.) Vt e libro ſcripto accepimus.

s. Eleutherij mart.) De quo græce narratur in Horologio.

Sanctorum mart. Fauſtini, Lucij, et Sociorum.) Beda, ac liber ſcriptus.

s. Valeriani ep.) Victor Africanus lib. 1. Beda, et Vſuardus in martyrol.

s. Maximini confeſ.) Vſuardus, et Vuandelbertus.

Decimo ſeptimo cal. Ianuarij.

Trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, et Miſaelis.) Dan. cap. 2. et 3. Ioſephus lib. 2. cap. 12. de antiq. iud. Iſidorus in lib. de pat. teſt. cap. 58. Sulp. ſeu lib. 2. hiſt. ſacræ, Beda, et Vſuardus in mart. Græci uero poſtridie huius diei.

ssss. martttt. Valentini, Concordij, Noualis, et Agricolæ.) Aliàs, Naualis, ut codex ſcriptus habet: in alio autem abeſt. Hieronymus Rub. legit: Noualis.

s. Martini mart.) Aliàs, Marini: Cuius martyrium e græco accepimus.

ss. martt. Floriani, Calanici, et reliquorum.) E M. S. Vſuardo item.

s. Adonis ep.) Beda, et M. S.

s. Luperij ep.) Ex tabula ſanctorum eccleſiæ Veronenſis.

s. Beani ep. et conf.) Ex additionibus Molani.

Decimo ſexto cale. Ianuarij.

s. Lazari ep.) Marthæ, et Mariæ Magdalenæ fratris: de quo in Eu. Ioan. cap. 11. Illius actorum hiſtoria, a Mattheo Bandellio ordinis Dominicani ſcripta, a Leone Decimo Pont. Max. comprobata, fertur. De eo porrò item epiſcopo Maſſilienſi Beda, Vſuardus, Fortunatus, et s. Antoninus in chron. par. 1. tit. 6.

Tranſlatio s. Ignatij ep.) De quo s. Hieronymus in martyrologio, quod eius nomine inſcribitur, Vſuardus, Beda, et Vuandelbertus. De eo autem ſcripſimus Cal. Feb.

ss. martt. Victoris, Victorij, et Sociorum.) E libro ſcripto.

Decimo quinto cal. Ianuarij.

ſs. martyrum Rufi, et Zoſimi.) Aliàs, Sozimi. De ijs Polycarpus in ep. ad Philip. Vſuardus, Beda, cęteriq. eiuſdem generis.

s. Moiſetis mart.) Vuandelbertus, Beda, Vſuardus, et Cornelius Papa apud Euſebium lib. 6. cap. 35.

BB. martt. Quincti, Pauli, et aliorum.) Ex priſcis eccleſiaſticis annalibus, librisq. manu ſcriptis.

s. Gratiani ep.) Vt habet Beda: at, Gatiani, legitur apud Vſuardum in mart. et Gr. Tur. in lib. 10. cap. 31. hiſt. Fr.

Decimo quarto cal. Ianuarij.

s. Nemeſij mart.) s. Dionyſius Alex. apud Euſebium lib. 6. cap 34 hiſt. ecc. De eo Latini, Beda, Vſuardus, et Ado.

s. Timothei mart.) Cuius martyrium Græci ſcribunt, et concelebrant.

s. Darij mart.) Vſuardus, et L. S.

ſs. martt. Cyriaci, Paulli, et Sociorum.) Beda.

s. Gregorij ep.) Ex tabulis eccleſiæ Antiſiodorenſis. De eo Vſuardus item.

s. Adiati abbatis.) Ex lib. ſcripto.

Decimo tertio cal. Ianuarij.

Vigilia s. Thomæ Apoſtoli.) Beda, Belethus lib. de diu. off. cap. 164. Durantius lib. 6. cap 7.

ſs. marttt. Ammonis, Zenonis, Ptolomæi, et reliquorum.) Ado, Beda, Vſuardus, et Dionyſius Alex. apud Euſeb. lib. 6 cap. 34. hiſt. eccl.

ſs. Eugenij, et Macarij martt.) Vt litteris græcis traditum eſt.

s. Iulij mart.) Vſuardus, et M. S.

s. Dominici ep. conf.) Tabulâ ſanctorum eccleſiæ Brixienſis.

s. Philogonij ep.) De quo extat præclara Chryſoſtomi homilia.

s. Dominici confeſ.) Cuius uitæ hiſtoria legitur in Breuiario Cordubenſi.

Duodecimo cal. Ianuarij.

s. Thomæ Apoſtoli.) In antiphonario, et libro ſacramentorum Gregoriano inſcribitur, Natale s. Thomæ Apoſtoli: cuius tamen diem natalem Græci agunt pridie Nonas Octob. Quæ de eo hiſtoria, litteris mandata eſt, in apocryphis cenſetur non ſolum ſanctione Gelaſij Pont. Max. ſed etiam Auguſtini iudicio; ut pote cum illam quidem commentitiam, à ſutoreq. confictam, multis locis arbitretur, ut pote lib. 22. cap. 79. contra Fauſtum. lib. 1. de ſerm. Domini in monte, cap. 38. lib. aduerſus Adimantum cap. 17. Idem ſcribit Radulphus Tungrenſis lib. de can obſer. prop. xi. aſſertq; in hanc ſententiam librum, quem appellat Summam Longobardicam. Conſentiunt præterea, Sicardus, Durantius lib. 7. et Belethus. Verum enim uero. de s. Thoma leguntur multa non ſolum in euangelio, ſed in patrum

etiam

etiam commentarijs,ſermonibus,et homelijs. De eo Ioan. 11.14.20 21. s. Chryſoſtomus hom. 26. in ep. ad Heb. hom. 2 in Matth. s. Leo in ſerm. de Paſcha Honorius Auguſtodunenſis ſer. de eodem. Sophronius cap. 8. de uir. ill. Dorotheus in ſynopſi, Euſebius lib. 3 hiſt eccl. cap. 1. Nicephorus lib. 2. cap 40. Methodius, Hippolytus martyr, Metaphraſtes, Rufinus lib 11. cap. 5. Caſſiodorus lib. 10. Trip. cap. 28. Iſidorus de pat. utr. teſt. Gr. Tur. lib. de glor. mart. cap 31. Xyſtus Senenſis lib. 2. bibl. s. Antoninus in chron. par. 1. tit. 6. cap. 10. Viterb. in chron. par 14. Perionius demum uitam ſcripſit. At uero de hiſtoria s. Thomæ uide Melchiorem Chanum in lib. de locis Th.

s. Iulianæ uirg. et mart.) E græco martyrologio.

s. Themiſtoclis mart.) Vt græce expoſitum eſt, ita narrauimus.

ss. Ioannis et Feſti.) Vſuardus, et L. S.

s. Seuerini ep.) Secundi. Ex tabulis eccleſiæ Treu.

s. Mennij ep.) s. Antoninus in chr. par. 1. tit. 6. Demochares ex tabulis epiſcoporum eccleſiæ, Cathalanenſis. Volaterranus lib. 17. comm. Tab. præterea epp. Tungrenſium.

Vndecimo cal. Ianuarij.

Beatiſſimorum martt. Triginta.) Liber ſcriptus, et Equilinus, Vſuardus, Vandalbertus, Ado beda.

s. Schirionis mart.) Vſuardus, beda uero pluribus, et Euſebius lib. 6. hiſt. eccl. cap. 34 in noua editione, Ado item. Sunt, qui appellant Chiridonem.

s. Theodotæ, et filiorum martt.) Quorum martyrium græce narratur.

sss. marttt. Demetrij, Honorati, et Flori.) Vſuardus, et liber ſcriptus.

Sanctorum quàm plurimorum martt.) De quibus s. Dionyſius Alex. in lib. mart. beda item.

s. basilei mart) beda, et M. S.

Decimo cal. Ianuarij.

s. Victoriæ uirg.) De qua Vſuardus, ſed beda copioſe, Ado præterea copioſius. Sunt de ea uerſus s. Aldhelmi ep. lib. 2. de uirginibus. De loco, ubi uirgo hæc martyrium obijt, Equilinus aliter ſcribit, quàm beda, et Ado: quibus duobus potius aſſentimur.

Sanctorum martyrum Viginti.) De martyribus Nicomedienſibus Euſebius in lib. 8. cap. 5. et 6 hiſt. eccl.

Beatorum martyrum decem.) Quorum nomina, et certamina litteris græcis prodita ſunt.

s. Seruuli.) s. Gregorius Papa. lib. dial. et hom. 15. in euangelia.

Dedicatio baſilicæ s. Crucis.) Ex tabulis ſolemnitatum eccleſiæ Pariſienſis.

Nono cal. Ianuarij.

Vigilia Natalis D. N. Ieſu Chriſti.) In lectionario s. Hieronymi, Vigilia Natalis Domini; in Antiphonario, Vigilia Natiuitatis Domini; in libro ſacramentorum, In Nomine Domini, VIIII. cal. Ian. Vigilia Natalis Domini. Ad

Sanctam

ſanctam Mariam, inſcribitur. Eſt enim hoc die ſtatio perantiqua ad S. Mariam Maiorem. De officio huius diei Ordo Rom. pag 19. Amalarius in lib. de ord. Ant. cap 33. et auctor Micrologi cap 33. quo loco etiam ſcribit de officio ſeptem dierum, natale Domini proxime antecedentium: quod officium exceptatum uocat eccleſia Ambroſiana. Illud etiam animaduertere libet, quòd hodie in Miſſæ ſacro, ut eſt in libro ſacramentorum, extat oratio ſuper populum. Quod tamen orationis genus, non niſi in Quadrageſima, adhiberi conſueuiſſe, ſcriptum eſt in Micrologo cap. 51. De huius præterea uigiliæ officio Sicardus, Belethus cap. 68. Durantius lib. 6. cap. 7. In uigilia hac extat ſermo P. Damiani. et s. Bernardi ſermones item ſex.

Bbs. marttt. Metropij, Pauli, et Luciani.) Liber ſcriptus.

Sanctarum uirg. et mart. Quatraginta.) Vſuardus, et Vandalbertus.

s. Gregorij presbyteri, et mart.) De quo Vſuardus breui, ſed Ado pluribus, et Beda item. Tu uide præterea Surium, qui in uolumine VI. illius martyrium ex antiquis tabulis contexuit. Affirmat præterea huius martyris ſacras reliquias Coloniæ religioſe aſſeruari.

s. Eugeniæ uirginis, et Sociorum martyrum.) Philippi ſcilicet patris, ac propinquorum: de quorum martyrio græce ſcriptum eſt.

Beatorum mart. Luciani, Zenoti, et Sociorum.) Vſuardus, Luciani tantum meminit: nos Zenotũ, cæteroſq. ſocios adiunximus, ſecuti Bedam, codiceſq. ſcriptos.

Octauo cal. Ianuarij.

Hebdomada ſexageſima tertia.) Dan. 9. Earum ſexaginta trium hebdomadarum rationem ſi iudæi recte inirent; profecto facile cernerent, de illis uſque ad natiuitatem Domini ne momẽtum quidem deſiderari, aut ſupereſſe, ut ſupputatio tota ob oculos in eorum monimentis ponitur, qui contra illos diſputationem ſuceperunt. Natus eſt igitur Chriſtus Dominus anno circiter quadrigenteſimo, quatrageſimo, ratione annorum ſcilicet, ab illius prophetiæ temporibus uſque ad Chriſti diem natalem ducta: nempe anno XLII. imperij Cæſaris Auguſti, propemodum emenſo, ut ſcribit Paulus Oroſ. lib. 7. cap. 2. Idem ſentiunt, Euſebius lib. 1. cap. 5. hiſt. eccl. et in chron. Epiphanius lib. de menſ. et pond. et in Ancorato, et tom. 1. contra hær. Tertullianus lib. contra Iud. Clemens. lib. 1. ſtrom.

De natalis Domini ſolemnitate Iſidorus lib. 1 cap. 25. de diu off Albinus Flaccus lib. de diu. off. cap 1. Amalarius lib. 3. cap. 41. de eccl. off Rabanus lib. 2. cap. 31. de inſtit. cler. De huius diei officio, ritibus, et cærimonijs, Ordo Rom. pag. 39. Micrologi auctor cap. 33. 34. Albinus lib. de diu. off. cap. 1. Carolus Magnus in Fragm. Sicardus, Belethus, et Durantius fuſe ſcribunt. De tribus Miſſis, eo ſacro die celebrandis, cum Innocentius Pont. Max. tum ceteri, qui ſupra, ſcriptores, tabulæq. antiquæ rituum eccleſiaſticorum, teſtantur. De natiuitatte Domini s. Auguſtini ſermones 23. tom. 10. ſermo 1. in ſerm. de uerb. Domini, et unus item in ſerm. ad frat. in heremo; s. Gregorij Papæ homilia una, in baſilica s. Mariæ habita; s. Ambroſij ſermones quinque, nempe 12. 13. 14. 15. 16. s. Hieronymi ſermo unus, s. Cypriani ſermo unus item; s. Leonis Papæ ſermones decem; s. Maximi Taurinenſis ſermones ſex; s. Gaudentij Brixienſis ſer. unus; s. Petri Chryſologi ſermo unus; s. Iſidori Hiſpalenſis ſermo unus; s. Fulgentij ſermones duo; Innocentij III. Pont. Max. ſermones tres; s. Bernardi ſer. 1. et 6. uigiliæ; Bedæ presbyteri ſermones duo; Iuonis ſermo unus; Petri Aliacenſis ſermones tres; Petri Damiani ſermo unus, apud Lipomanum, et Surium; s. Brunonis ſermo 1. Honorij

Auguſtodunenſis ſermo item unus; Radulphi Ardentij Homeliæ;et Euſebij Emeſſeni homilia una: Græcorum uero Patrum,ut pote s. Baſilij homilia una: s. Gregorij Naz. concio una; s. Athanaſij ſermo unus apud Metaphraſtem; s. Ioannis Chryſoſtomi homiliæ græcæ complures, non impreſſæ,in bibliotheca s. Laurentij,Florentiæ aſſeruatæ;Theodoti, Ancyrorum epiſcopi,oratio;Pauli Emiſeni homelia,Alexandriæ habita;Procli homilia,in tom.6. cõcilij Epheſini, nuper impreſſi; Gregorij Nyſeni homilia una; Origenis homeliæ duæ; et aliorũ multorũ, tum ſermones,tũ cõciones,ſeu homeliæ, quas longum eſſet omnes percenſere. De hac præterea ſolemnitate Clem. pont. et mart. lib. 8. conſt. Ap.cap.39. lib.5. cap.13. conc. Brac. can.9.

s. Eugeniæ uirg. et mart.) Cuius diem natalem græci agunt pridie huius diei, nempe nono cal. De martyrio illius cum græca eccleſia, tum Metaphraſtes græce ſcribit; latine Vſuardus,Ado,Beda,et tabulæ, manu ſcriptæ,et Surius, Lipomanuſq. ex Metaphraſte.

s. Anaſtaſiæ.) Cuius,et Chryſogoni martyrium Græci concelebrant undecimo cal. Ianuar: quo die græce ſcriptum in Horologio illud comperies. s. Anaſtaſiæ nobile martyrium,manu ſcriptum extat, præfatione adſcripta Anaſtaſij Bibliothecarij. Illius epiſtolæ,et Chryſogoni item ſunt græce ſcriptæ apud Suidã, latine apud Surium in uol. VI. De ea præterea libri rituales Romani, et liber ſacramentorum,antiphonariuſq. Gregorianus: quo libro ſcribuntur de s. Anaſtaſia orationes: quas Amalarius item meminit in præf.2.lib.de eccl.off.et lib.3.cap.41. Illius item hiſtoriam narrat Honorius Auguſtodunenſis, præter ceteros, quorum peruulgata ſunt monimenta.

Septimo cal. Ianuarij.

s. Stephani Protomartyris.) Act. 6. 7. 8. De quo diximus etiam tertio nonas Auguſti. De huius diei officio Ordo Rom.pag.20 tabulæ antiquæ rituum S. Eccleſiæ Rom. Micrologi auctor cap.35. Amalarius lib 4. cap. 37. Sicardus, Belethus,et Durantius copioſe ſcribunt. Græci hoc etiam ipſo die illius celebritatem agunt. Porrò de s. Stephano Lucianus,Auitus,Euodius Ep. et s. Auguſtinus: cuius de eo ſermones extant ſexdecim; eſt præterea Gr. Nyſeni homelia, Suidæ teſtimonio,numquam ſatis laudata: Fulgentij ſermo unus; s. Gregorij Papæ homilia xviij. in Ezechielem; Maximi Taurinenſis ſermo unus; s. Petri Chryſologi ſer.1. Emiſeni homilia una,5.Clem. in conſt. Ap.

s. Dionyſij Papæ.) Pont.cap.26. Vſuardus et ceteri.

s. Zoſimi Papæ.) Aliàs, Zozimi, Anaſtaſius cap.43. Pont. s. Auguſtinus ep. 157.lib.2.cap.8: contra Pelagium lib.2. cap.4. contra duas ep. Pelag. Poſſidius in uita s. Auguſtini; Proſper in chr. Gennadius Maſſilienſis in lib.de eccl. Dogm.

s. Marini mart.) Vſuardus, noſq. aliàs.

Sexto cal. Ianuarij.

s. Ioannis Apoſtoli,et Euangeliſtæ.) De quo Matth.4. Ioan.21.13.19. Luc.8. 22. Act.3.4.8. Gal.2. eiuſq. potiſſimum ſacri libri: tum patres Latini, et græci in cap. ult. eu. Ioan. et Cyrillus in primis. Eſt de illo præterea in tom. VI. concil. Epheſini oratio eiuſdem Cyrilli. Oecumenius, in extrema parte commentarij in Apocalipſim, ſcribit illius uitam: quæ a Metaphraſte exſcripta, a Surio relata eſt in uolu-

in uolumen vi. Iam porrò plerique omnes, et græci, et latini eccleſiaſtici ſcriptores de eo litteris mandarunt, s. Hieronymus, de uir. ill. cap. 19. in epitaphio Marcellæ, lib. 1. contra Iouinianum, in ep. ad Gal cap. 6. Tertullianus in lib. de præſcrip. hær. s. Ambroſius in ſerm. de ss. martyribus, et in lib 3. de uirg. et in pſ. 118. ſer. 20. Dionyſius Areopagita in epiſtola, ad illum miſſa; Irenæus lib 3. cap. 3. s. Auguſtinus in tract. ult. in Ioan. s. Hilarius lib. 6 de Trin. Io. Damaſcenus in ſerm. de tranſf. Domini, Anſelmus in Elucidario; Iſidorus de pat. utr. teſt. cap. 74. Honorius Auguſtodunenſis in ſerm. Beda in Homel. P. Damianus in ſerm. Prochorus, Melito Sardenſis, Euſebius lib. 3. cap. 17. 18. hiſt. eccl. Nicephorus lib. 2. cap. 42. et lib. 3. de Dem. Eu. cap. 7. Suidas; Matthæus item Galenus in Areopagiticis. De adoleſcente ab eo in uiam reuocato, ſcribunt Græci, Euſebius, Metaphraſtes, et Chyſoſtomus præclare ad Theodorum Lapſum: non deeſt tamen, cui ea hiſtoria non probetur. De illius, ut uocant, tranſitu Græci cum latinis non ſentiunt, Hilario excepto. Sed de hoc quidem genere Georgius Trapezuntius opuſculum ſcripſit ad Pium II. pont. max. An ſponſus in Cana pingendus s. Ioannes Euangeliſta; cur item imberbis, curq. aliquando cum calice pingatur; tu uide Molanum in lib. de picturis.

s. Maximi ep.) Vſuardus, Euſebius item lib. 7. cap. 10. hiſt. eccle. in noua interpretatione.

Quinto cal. Ianuarij.

ss Innocentum martyrum.) Matt. 2. Latini, Beda in primis, et Græci in illud, Mat. cap. ut pote Chryſoſtomus. De illis ſunt hymni et Prudentij, et Bedæ, et Sedulij; Homiliæ item Bedæ, Baſilij Seleuciæ, ſermones s. Auguſtini quattuor; Petri Cryſologi unus, et s. Cypriani unus item.

ss. xx. millium mart.) De quorum martyrio litteris græcis traditum eſt, ut nos in Martyrologium retulimus.

ss. marttt. Caſtoris, Victoris, et Rogatiani.) Liber ſcriptus.

ss. Eutychij, et Florentiæ.) M. S. s. Gregorius lib. 3. dial. cap. 15.

Quarto cal. Ianuarij.

s. Thomæ Archiepiſcopi, et mart.) Cuius uitam, ab Eduardo eius æquali, a ceteriſq. deinceps copioſe ſcriptam, breuius enarratam comperies apud Surium in. uol. vi.

s. Trophimi ep.) 2. Tim. 4. Ado Vien. in chron. æt. 6. Vſuardus, Gr. Tur. lib 1. hiſt. s. Antoninus in chr. Petrus Cluniacenſis cap. 8. contra Henricianos, Beda Vamerius, et Vandalbertus. ceteriq. item.

s. Creſcentij ep.) Ex tabulis eccleſiæ Viennenſis. Eum alij Creſcentem appellant: de quo Ado Vien. in chr. ætate vi.

ssss. martttt. Dominici, Victoris, Primiani, et Liboſi.) Beda, et M. S.

Ordinatio s. Iacobi Apoſtoli.) De qua ſcilicet in eccleſia Mediolanenſi fit ex perueteri inſtituto, ut ex Beroldo, rituum Ambroſianorum ſcriptore, et Breuiarijs illius eccleſiæ antiquiſſimis animaduertimus. Sed illa quidem Hieroſolymiæ ſcripta eſt vi. cal. Ian. ut in martyrologio Bedæ notatur: in hunc uero diem ritu Ambroſiano transfertur, ob alias ſanctorum celebritates, quæ in octauam Domini celebriores incidunt.

s. Ebrulphi confeſ.) Vſuardus, et M. S. et Surius in tom. VI.

Tertio cal. Ianuarij.

s. Liberalis ep et mart) Liber ſcriptus, et Equilinus præterea.

ss. martt. Sabini ep. Exuperantij et aliorum.) De quibus Vſuardus, at Adofuſius; ijſdemq. pene uerbis Beda in martyrol.

s. Manſueti mart.) Vandalbertus, et Vſuardus, M. S. item.

s. Anyſiæ mart.) Græci et Metaphraſtes apud Surium in tomo VI.

s. Perpetui ep.) Ex tabula epiſcoporum eccleſiæ Turonenſis.

s. Eugenij ep.) Ex tabulis antiquis, in baſilica Euſtorgiana Mediolani aſſeruatis.

s. Liberij ep.) Deſiderius Rauennas, Hieron. Rub. et tabula ſanctorũ eccl. Rau.

s. Chrichini ep.) Quem alij Cricinum, alij Grichinum, quidam Crecinum, ſeu Crichinium dicunt, ut narrant, qui tabulam epiſcoporum eccleſiæ Veronenſis confecerunt.

Pridie cal. Ianuarij.

s. Siluestri Papæ, et confeſſoris.) Cuius actus, nempe hiſtoriam de rebus, ab eo geſtis, Gelaſius pont. laudat, ac probat, quamuis illius auctorem incertum eſſe affirmet. Sed de toto huius hiſtoriæ genere, eiuſq. partibus, clariſſimos uiros docte pieq. ſcribentes, proq. ueritate catholica differentes legamus præter ceteros licet, Polum Cardinalem, qui a beatiſſimo Silueſtro Conſtantinum Imp. baptizatum eſſe oſtendit certis argumentis; et Auguſtinum Eugubinum contra Vallam pro eccleſia de donatione præclare diſputãtem; et Couuaruuiam eos omnes actus deſcedentem lib. 4 cap. 16. Var. Reſ. Dies feſtus s. Silueſtri apud latinos, et Græcos iam diu cultus apparet, ex baſilica, eius nomine extracta, in qua aliquando hoc die natali s. Gregorius homelias ad populum habuit: ex libro lectionario s. Hieronymi, ex antiphonario, s. Gregorij, ex ſermonibus Innocentij III. pont. hoc ipſo die habitis, ex Gregorij IX. conſtitutione tit. de Fer. ex concilio Lugdunenſi, diſt. 3. de conſ. ex Metaphraſte, atque e tabulis Græcorum: apud quos dies, beatiſſimo Silueſtro dicatus, agitur IIII. Non. Ian. Atque hæc quidem breuiter hoc loco de s. Silueſtro: cuius res, diuinitus actas, fuſe explicamus libro notationum, quas Platinæ adiunximus.

ss. Sabiniani ep. et Pontiani.) Aliàs, Pontentiani, ut Vuandalbertus eum nominat. De illo præterea Beda, et tabulæ eccleſiæ Senonenſis.

s. Columbæ uirg et mart.) Hæc Senonenſis eſt: altera, ut aliàs diximus, Cordubenſis: de qua cum aliàs, tum lib. 3. Mem. Eulogius egregie ſcribit.

s. Melaniæ uirginis.) Aliàs, Melanæ: cuius uitam, græce ſcriptam, legimus, ut eandem martyrologio adſcripſimus.

s. Hermetis Exorciſtæ.) Vſuardus, et M S.

s. Barbatiani presb. et conſ.) Ex tabula ſanctorum eccleſiæ Rauennatis. At ſermonem, quem de eo P. Damianus habuit, in uolumine VI Surius retulit. Tu præterea lege Hieronymum Rubium, de illius uita, ſanctiſſime acta, rebuſq. diuinitus geſtis, præclare ſcribentem in lib. 2. hiſt. Rau.

LAVS DEO.

SVMMA PRIVILEGII PONTIFICII.

SAnctiſsimi D. Gregorij XIII. Pontificis Maximi, priuilegio cautum eſt, nequis Martyrologij huius, et notationum uolumen, ſine Petri Galeſinij, auctoris, aut eius, cui ille mandarit, uoluntate, per decennium a die impreſsionis abſolutæ, imprimat; aut ab alio impreſſum, uenale habeat. Qui ſecus ſaxit, cùm excommunicationem ſubibit; tum alijs præterea pœnis mulctabitur: prout diſtinctius, latiuſq. in eiuſdem pontificij priuilegii litteris expreſſum eſt. Dat. Romæ, Die 1. Aprilis. M. D. LXXIV.

ERRATA.

Pag.17. uer. 10. nobi.) nobili.
pag.21. uer.12. preuium.) pretium.
pag.32. uer. proæmium) præmium.
pag.53. uer.5. ſupplicius) ſupplicijs.
pag.40. uer.18. epiſcopis) epiſcopi.
pag.45. uer.1. Calendas) Calendis.
pag.48. uer.2. Antiochiæ) Ceſareæ in Cappadocia.
pag.54. uer. pen. exitit) extitit.
pag.58. uer. 21. perſpeſsi) perpeſsi
pag.144. uer.21. falſis) falſi
pag.144. uer.9. in Anglia s. Saluatoris et aliorum) In eccleſia s. Saluatoris: beatorum.
pag.207. uer.2. tum a feræ) tum feræ.
pag.228. uer.21. effectus) affectus.
pag.234. uer.37. Eugenii) Euſtachii.
pag.235. uer.12. confeſſoris) martyris
pag.248. uer.9. Callimii) Calinici.
pag.278. uer. ult. monaſterio) monaſteria.
pag.287. uer. 30. duobus) duabus.
pag.290. uer.21. liberate) libertate.
pag.292. uer. 13. at) ac
pag.298. uer.23. proceſſii) proceſſit.
pag.317. uer.24. martyris) confeſſoris.
pag.342. uer.22. eluſcens) eluceſcens
pag.343. uer.20. Reliquis) Reliquijs.
pag.347. uer.4. mediatione) meditatione.
pag.358. uer.6. ſuſceptæ) ſuſcepta.
pag.382. uer.4. eluſcens) elucens.
pag.397. uer.10. gladio) gaudio.
pag.406. uer.4. Emertitæ) Emeritæ.
pag.406. uer.9. Eulaliæ) Iuliæ.

In notationibus.

pag.1. uer.15. ſecundo) ſecunda.
pag.4. uer.12. ſit) fit.
pag.5. uer.5. martyris) martyrii.
pag.16. uer.5. ſacram) ſacrum.
pag.16. uer.20. Perſcat) Perſia.
pag.16. uer.29. diem) die.
pag.16. uer.45. ſuceſſionibus) Sueſſionibus.
pag.50. uer.3. quæ) quem.
pag.92. uer.18. E) Eſt.
pag.98. uer.34. s. Scotia) In Scotia.
pag.102. uer.40. mors) moris.
pag.150. uer.39. in martyrologium noſtrum) in martyrologio noſtro.
pag.180. uer.44. expletionis) exceptionis.

Conceſſu ſacræ Inquiſitionis.

MEDIOLANI,

Apud Pacificum Pontium
M. D. LXXIIX.

Digitiz [illegible]